


From the
Library of
No.
DR. JAMES MOORES BALL, ST. LOUIS.

A1K
1178299




*Superiorum permiſſu.*

laudes perenni aliquo tradere monumento, ne imitabilis excellentiæ ſpecie, auidi bonorum, fraudarentur obtutus. Verùm vrgebat admodum ingenuus pudor meus, innumeros ſuggerens beneficiorum cumulos, quibus non ſolùm me tibi olim vix de facie cognitum ornaſti, ſed ſubinde etiam alijs temporibus, vel præſentem, vel abſentem inceſſanter obſtringere non deſtitiſti; quæ propterea ſingula, verè non poteram niſi turpiter ingratus, ac mihi (vt fatear) abſimilis diſſimulare. Fugacem tamen vtrunq; ac breuiſſimum animi motum, ea ſtatim cogitatione ſedaui, quòd præſtantiſſimis viris debitam, qui venerationem non exoluat, iniquus ab omnibus, ac naturæ iuribus aduerſus habetur: quando publicè priuatimq; adeò ſunt vtiles, ſuiſq; illuſtribus geſtis, diuinam adeò referunt celſitudinem, vt ſingulorum iccircò gratiam, ac plauſum iure optimo mereantur. Hanc igitur ob cauſam tibi, ſiue vt publico, ſiue vt peculiari meo conſulatur officio, ſacrandum hunc ingenij mei fœtum ſum ratus, imparem quidem amplitudini tuæ, ſed æquanimitati longè congruum, qua ipſius tenuitatem, egregia propenſi animi teſtificatione penſabis. Emines tu ea bonitatis dulcedine, literarum, ciuiliſq; prudentiæ temperata,

mo-

momentis, vt cùm vniuerſos in tui obſequium vltrò allicias, tùm inſolubili dilectionis vinculo continenter deuincias. Nullus in Patauino Lyceo, vbi ſtatim ex Anglia redux, poſt obitum parentis tui clariſſimi apud Regem Legati verſatus es, gratiorem vnquam ſui reliquit memoriam. Nullus ex Veneta nobilitate, quæ inibi frequens, iam inde ſui maiorem excitauit expectationem. Nullus ciuibus carior, exteris dignior, doctoribus mirabilior: qua etiam ego communi omnium commendatione tunc excitus, vota tibi mentis meæ dicaui æternitus duratura. Has verò dignationis tuæ primitias, ad eam nunc frugem in auguſta patria redigis, vt immatura adhuc ætate ſenator electus, propitios in te ſemper grauiſſimorum patrum experiaris adfectus. Quò fit, vt cum in tuo genio, cuncti Venetę probitatis, ac maieſtatis exemplar agnoſcant, ſummum etiam tibi non ſerò acceſſurum vrbani decoris faſtigium ominentur. Tu igitur ſic omnibus acceptus, deuoti hóc animi pignus lubens accipias: fiet conſpicuum luce tua, ſi meo caligabit influxu: in vmbris etiam parua corpora, nitore ſolis adiuta, multò auctiora cernuntur. Ac vel eo nomine tibi non iniucundum debet euadere, quòd res tua agitur, dum commemorandis inclyto-

# AVCTOR
## Lectori S.

*NOn erat amplius eludenda poſcentium à nobis id operis expectatio, ne ruſticitatem in re pulcherrima profiteri, vel fucatiorem, & moroſiorem ei cultum addere videremur. Prodit hoc in literatorum conſpectum ex veteri puberis ingenij pœnu. Effert ſe liberali pudore, exhantlati nauiter laboris in mitioribus ſtudijs monumentum. Æqui tu, boniq́ue conſule non culpandam indolem: ſi quid audacius forſan peccetur, excuſet ſuſceptum pro publica dignitate conſilium. Fuit hæc iam inde à Romanorum temporibus tradita conſuetudo, illuſtres heroum imagines, tabulis pictas, vel marmori ſculptas, publicè, priuatimq́ue intuentium oculis ſubijcere, ad gloriæ ſtimulos, & incitamenta virtutum. Nos laudatiſsima ſectati veſtigia, non quod voluimus expleuimus, at quod potuimus. Icones ad viuum*

*vbiq́ue*

*vbiq; locorum à nobis anxio, perenniq; ſtudio conquiſitas, vix cogere in vnum licuit paucas: nec impenſæ pepercimus, nec oleo, aliquam interdum, prout minus congrua cenſebatur, abolendo, aliquam reformando, & cum probatioribus conferendo, quò ſtudioſa, cupidaq; huiuſmodi elegantiarum tua non falleretur fiducia. An voti compotes redditi ſimus, cordatiorum eſto iudicium. Amplius ne quid ad incepti deeſſet complementum facinoris, adiecimus iconibus elogia, hiſtorico potiſsimùm lemmate concinnata; præferente ſic nobis facem in percelebri volumine Paulo Iouio, à cuius non abſcedentes inſtituto, continuandam præſtantium literis hominum commemorationem ſuſcepimus; aliquot enim ſui temporis, in calce operis ab ſe omiſſos refert, qui ſicut ſcribendi nobis primitias, ita vberiorem dein calamo ſegetem pepererunt. Ab eo nimirùm ad hoc vſq; tempus complexi ſumus egregiorum nomina, quos prolatis in fœtibus, immortali dignos memoria doctiorum adprobauit conſenſus. Sed iniqua heù noſtri conditione, plurimos inuito ſilentio præterire coacti ſumus, quorum vel imagines, vel vitas obtinere nequiuimus. Hi tamen cùm ſuapte ſibi opera, longè magnifica, & excelſa ſtruxerint in æternitatis ſacrario pegmata, iuſtum dumtaxat nobis ſui de-*

*fectus*

*fectus in hoc Muſæo mærorem, deſideriumq́ue li-querunt. Interim hoc verè tibi perſuaſum velimus, iconum delineationi æquare nos impenſa cura contendiſſe veritatem dictorum, quam cordi potiſsimùm habendam cenſemus elogiorum ſcriptori; vt enim exornatiua narratio defunctorum debetur gloriæ; ſic indolis, morum, inſtituti, fortunarum, geſtorumq́ue inſtructio, viuentium debetur emolumento. In id probatiores quiq́ue veterum, ac recentiorum præcipuè inſudarunt, Laertius, Suidas, Plinius, Crinitus, & alij, à quorum nos vix pateremur eximi conſortio, niſi accurata quædam nos deficeret ordinis ratio, quæ ſicut germano ſemper hiſtorico eſt propoſita, ſic à nobis ex quodam orationis arbitrio perſcribentibus neglecta eſt. Hoc etiam in imaginum, & elogiorum diſpoſitione ſeruauimus, vt non ex ingeniorum præſtantia, vel gentilitia dignitate locum ſingulis deſignaremus, ſed ex probabili quadam temporum æſtimatione, quibus vt ſibi quiq́ue paullò proximiores vixere; ita in hoc honoris aſylo, haud exacta ſunt omninò propinquitate locati. Quod in extremo quoq; huius operis expleuimus corollario, vbi viuentium nomina clariorum, indiſtincta & mutila narratione collegimus; mutila, inquam, propterea quòd alios non paucos, quorum nobis conſtat celebritas,*

*lebritas, in alteram huius Muſæi partem remiſimus, à nobis Deo dante cum Muſæo medico poſtmodùm euulgandam, in qua conſimili methodo, eorum qui ſupererant memoriam, & nomina recolemus. Fruere igitur tu æquus, & fauens, hoc qualicunq; edito ad tui fructum, & iucunditatem conatu, ac ſi lubet ipſum, pro tua humanitate, à maleuolorum conuitijs propugnato. Vale.*

IN-

# INDEX VIRORVM ILLVSTRIVM,

## Quorum, vel Elogia conſcribuntur, vel nomina recenſentur.


| | |
|---|---|
| ARnaldus Villanouanus. | pag. 55 |
| Andreas Alciatus. | 50 |
| Andreas Veſſalius. | 54 |
| Alexander Piccolomineus. | 81 |
| Aloyſius Triſſinus. | 88 |
| Aloyſius Granata. | 91 |
| Auguſtinus Maſcardus. | 200 |
| Alexander Syngliticus. | 206 |
| Andreas Argolus. | 208 |
| Albertinus Bariſonus. | 208 |
| Bernardinus Tomitanus. | 47 |
| Bernardinus Teleſius. | 78 |
| Bartholomeus Vecchius. | 206 |
| Benedictus Siluaticus. | 207 |
| Carolus Sigonius. | 57 |
| Cornelius Muſſus. | 67 |
| Cæſar Baronius Cardinalis. | 94 |
| Cæſar Cremoninus. | 172 |
| Citeſius Medicus. | 202 |
| Camillus Tridentus. | 209 |
| Daniel Heinſius. | 204 |


Ery-

Erycius Puteanus. 201
Franciſcus Robortellus. 60
Franciſcus Guicciardinus. 97
Franciſcus Panigarola. 104
Franciſcus Piccolomineus. 113
Famianus Strada. 201
Franciſcus Pona. 205
Fortunius Lycetus. 207
Flauius Querengus. 208
Franciſcus Camarellius. 210
Gaſpar Scioppius. 201
Gabriel Naudeus. 202
Gilbertus Iaccheus. 205
Hieronymus Fracaſtorius. 15
Hieronymus Vida. 35
Henricus Catherinus Dauila. 196
Hugo Grottius. 203
Henricus Antonius de Godis. 209
Iacobus Sadoletus Cardinalis. 23
Ioannes Caſa. 26
Ioannes Georgius Triſſinus. 42
Iulius Cæſar Scaliger. 63
Ioannes Fernelius. 71
Ioannes Argenterius. 85
Iacobus Cuiacius. 100
Iacobus Zabarella. 116
Iuſtus Lipſius. 119
Ioannes Baptiſta Porta. 122
Ioannes Baptiſta Guerinus. 128
Iacobus Mazzonius. 136
Iacobus Critonius. 140
Ioannes Baptiſta Marinus. 155
Ioannes Barclaius. 169
Iulius Pacius. 175
Ioannes Vincentius Imperialis. 186

Ioan-

Ioannes Baptiſta Imperia'is. 191
Ioannes Ciampolus. 201
Iacobus Gaffarellus. 202
Ioannes Riolanus. 202
Ioannes Gerardus Voſſius. 204
Ioannes Meurſius. ibid.
Io: Bapt. Contarenus. 205
Io. Franciſcus Lauredanus. 205
Ioſeph Aromatarius. 206
Io. Dominicus Sala. 207
Iacobus Caimus. 208
Iulius Sala. ibid.
Ioannes Galuanus. ibid.
Ioannes Vislinghius. ibid.
Iacobus Philippus Tomaſinus. ibid.
Iulius Saracenus. 209
Lazarus Bonamicus. 75
Ludouicus Septalius. 183
Lelius Mancinus. 206
Lelius Cereta. 209
Ludouicus Baitellus. 211
Marcus Antonius Muretus. 110
Marcus Antonius Maioragius. 125
Michael Angelus Rota. 205
Marcus Marchianus. 207
Mattheus Ferchius. 208
Nicolaus Craſſus. 205
Ottho Heurnius. 204
Octauius Ferrarius. 208
Octauianus Garzadorius. 209
Paulus Iouius. 5
Petrus Bembus Cardinalis. 19
Philippus Comminez Argentoni Dominus. 29
Pierius Valerianus. 38
Paulus Manuccius. 107
Pau-

| | |
|---|---|
| Paulus Benius. | 159 |
| Petrus Mattheus. | 166 |
| Philippus Faber. | 179 |
| Petrus Victorius. | 152 |
| Petrus Scriuerius. | 204 |
| Pacius Iordanus. | 209 |
| Raimundus Lullus. | 12 |
| Reginaldus Polus Cardinalis. | 32 |
| Robertus Bellarminus Cardinalis. | 162 |
| Scæuola Sanmartanus. | 202 |
| Scipio Feramuſca. | 210 |
| Torquatus Taſſus. | 131 |
| Thomas Mallonius. | 209 |
| VRBANVS VIII. Pont. Max. | 2 |
| Vlyſſes Aldrouandus. | 144 |

---

## Typographus Lectori.

CVm opus difficili ſatis auctoris charactere, contractiſq; ſæpè ſyllabis ad nos fuerit Vicentia tranſmiſſum, decreueramus ipſum remittere, quò in planius, & facilius exemplum commutaretur. Sed experimento à noſtris miniſtris facto, viſum eſt eis vlterius impreſſione progredi, at illo euentu, vt nonnulla irrepſerint menda, quæ tu benigne Lector ita corriges.

| pag. | Lin. | *Menda.* | *Emenda.* |
|---|---|---|---|
| 21 | 10 | Paulo II. | Paulo III. |
| ibid. | 17 | vel | propè |
| ibid. | 22 | ſuperum | ſuperumq; |
| 27 | 23 | Pauli II. | Pauli III. |
| ibid. | 31 | non | vix |
| 36 | 20 | Culmen Clemens | culmē Adrianus, poſtea Clemens. |
| 39 | 14 | indèq; ab eius | indeq; triēnio ab eius. |
| 43 | 30 | ſibi | deme hoc verbum. |
| 58 | 8 | patriam | in patriam. |
| ibid. | 21 | per | inſuper. |
| 66 | 5 | Saligeri | Scaligeri. |
| 77 | 17 | propijs | proprijs. |
| 80 | 13 | octobris | orbis. |
| 98 | 12 | abſolutionem | abſolutiorem. |
| 115 | 23 | ameniſſima philoſophia | ameniſſimæ philoſophiæ. |
| 141 | 17 | hominum | omnium. |
| 145 | 15 | induſtris | illuſtris. |
| 181 | 14 | in manus | in manus olim. |
| 192 | 32 | quæ | qua. |
| 193 | 10 | eſt | ſit. |
| 194 | 4 | ſibi | illi. |
| 197 | 24 | ſolitaq; | ſolicitaq; |
| 202 | 38 | Armādus Pleſſeius Cardinalis & Dux | Armandi Pleſſeij Cardinalis, & Ducis. |
| 204 | 28 | diuturniatis | diuturnioris. |
| 207 | 10 | accucuriſſe | præcucurriſſe. |
| 207 | 16 | actionum | actionis. |
| 208 | 1 | omniſcientijs | omniſcientis. |
| 208 | 38 | emetritum | emeritum. |




*Hæc, quæ picta viri fulget ſapientis imago,*
*Quod micat in reliquis continet vna decus.*
*Jmperialis enim doctos dominatur in omnes,*
*Eius & imperio ſponte Minerua ſubeſt.*

# MVSÆVM HISTORICVM,

Siue

# DE VIRIS DOCTRINA Illuſtribus

IOANNIS IMPERIALIS
Phil. & Medici Vicentini.



VRBANVS VIII.
Pont. Max.

# VRBANVS VIII.
## PONT. MAX.

SALVE Beatiſſime Pater Vrbane Octaue ter maxime, ſuauium Orbis, ſæculi amor, humani generis decus ac deliciæ. Salue literatorum parens, flos bonorum, pietatis norma, cælitum cura, & fax, cuius numine caligantes in hoc Oceano mortalium animi, ad cognatam beatarum mentium pręſtantiam reuocantur: cuius oraculo, furens Orci æſtus retunditur, phalanxq; retrograditur manium humanas ad clades perpetuò conſpirantium. Salue iterùm, cuius fortunam virtus æquiparat, virtutem honos, honorem admiratio. Tuæ iampridem indolis lyrica ſuauitate perfuſi, Diuorum carmina nectare dúlciora exhauriebamus, extero licet diſtracti cælo; nunc qui cælum, ac ſydus nobis es commune, ac ſolum, rapis vltrò in admirationem diuinitatis, fulgoreq; ac radijs velut offuſa in te naturæ lumina, humanos haud patiuntur obtutus. Iam igitur tuo iſto vindice genio, excitata doctiſſimorum Pontificum gloria, auream reddi terris fœlicitatem videmus, quam tot æuis óbrutam propè, atq; extinctam Muſarum alumni toties ingemuere. Nec pacis proſcriptæ tot flammis bellorum artes, nec belli cura vecordi placiditate neglecta: lætatur tua lance Orbis militari faſtu, ac ciuica diſciplina libratus. Nos, qui tuo munere perfruimur hac ſtudiorum amęnitate, nullam verentes temporum immanitatem, patere ad aram immortalitatis, viuidam præfigere tuæ frontis imaginem, vt, quam excellentiæ, ac perfectionis idęam effingere potis non eſt pictoris, vel ſcriptoris exilitas, eam poſteris tua exprimat facies.

## Incerti.

*Candida mens eſt grata Deo, mens criminis expers.*
*Conſcia mens recti eſt hoſtia grata Deo:*
*Gratior illa tamen, quam finxit docta Minerua,*
*Exornat pietas, ſancta camena fouet.*
*Ergo viue animis doctiſſime, maxime Papa.*
*Es pietate bonus, magnus & ingenio.*

## Georgij Rotini.

*Lux Vaticani ſalue, Pater optime, cæli,*
*Aurea qui triplici ſtella nitore micas.*
*Inclyta te virtus notum ſuper æthera vexit,*
*Ingenio præſtas, vincis & imperio.*
*Vrbanus ſis vſq; licet: te ſydera ciuem*
*Eſſeq; cæleſtem te tua facta probant.*



PAVLVS IOVIVS.

# PAVLVS IOVIVS.

TE, IOVI Epiſcope, vel eo in primis nomine celebremus, quòd heroes literarijs, ac imperatorijs manubijs inclytos, excelſa, ſuſpiciendaq; ſemper indole poſterorum memoriæ conſecraſti: quo factum, vt nobilibus hiſce plurimi hærentes veſtigijs, vel acriores ad egregia facinora ſibi exindè ſtimulos addiderint, vel cæteri Sophiæ cultores, normam ex te hauſerint, propagandæ, illuſtrandæq; virtutis, quæ ſcriptorum ſocordia in magnis viris olim inauſpicatò latuerat. Sed prætereà illa etiam tuæ gloriæ præluceat æterna fax, quam iampridem latinæ tuæ orationis candori, vbiq; terrarum fauens doctorum omnium aura excitauit; ea enim cum omninò priſcorum magniloquentiam exæques, reddis huic ſæculo quæſitam toties fruſtrà Romanæ facundiæ dignitatem, ex quo meritò hiſtoricorum parens, oratorum anteſignanus haberis. His proptereà munitus egregiè, fultusq; dotibus, facilè tetros criticorum effringis aculeos, quos tuis, vel ſcriptis, vel moribus, immitis quædam fati conditio infligere viſa eſt. Calamo te quidam vti plumbeo, minitari ſolitum referunt, aliàs aureo, prout iniquo ſilentio velanda virorum inſignium nihil porrigentiũ geſta profitebaris, aliorum autem largiter profundentium, procaci ſtudio exageranda ſuſcipiebas; cuiuſce rei te præ cæteris Petrus Matthæus Gallus in præfatione hiſtoriarum ex Thuani auctoritate coarguit, vt etiam Bodinus quoq; Gallus, ambo forſitan eo perciti obiurgationis æſtu, quòd te Hiſpanicæ nationi acriùs obſecutum, Gallicam proteruiùs inſecutum exiſtimarint. Ita non perijſſe tuos in vrbis direptione hiſtoriarum libros, ſed altiore ſuppreſſos conſilio perhibent, ne ſeriò locutus amicorum plurimos læderes, aut Hiſpanos. Abſint hæc tamen, aliaq; id generis ab ingenuo, nobiliq; viro, qui ſtudio philoſophus, profeſſione medicus, in Ticinenſi gymnaſio, ſingularum abundè coluit inſtituta virtutum: abſint ab ſacrorum capite, ac Ortodoxi thematis aſſertore primario, quem medullitùs inſitum veritatis oraculum, conſtanti ſemper tueri, ac pandere pietate, ſibi quiſq; ſuadeat prudens ac bonus. Ac licet etiam interdùm eluſiſſes ſcriptionis fidem, vt æmuli obijciunt, condonetur tamen nonnihil rerum conditioni tuarum, quippe ſeptem, ac triginta annorum ſpàcio in Vaticano altus, atq; elatus cum fueris, fieri non potuit, quin ex conſuetudine, mutatis naturæ viribus, viroſã aſſentandi

con-

contraxeris luem, qua poſtmodum fætus tuos, quaſi contagione grauiter inquinaris. Nam quòd te laxiùs, atq; intemperantiùs vixiſſe dictitent, quàm eccleſiaſticum deceret, ſacriſq; oſcitantiùs vacaſſe precibus, ijs præſertim, quæ quotidie à ſingulis recoluntur clericis, ſunt hæ minutulorum quorumdam grammaticorum voces, qui tuum cùm attingere nequeãt excellentiæ faſtigium, ad iurgia facilè, ac miſerè prolabuntur: rati ſic fatuo planè ſui adblandimento, vel tibi pares, vel etiam maiores euadere. Nos inſitæ imbecillitatis conſcij, vt frontis tuæ veneramur obtutum, ità ſacrum Muſæi tui limen deoſculamur: te duce (nec piget fateri) arcana hæc Muſarum inuiſimus penetralia: tuo adplauſimus genio: ad vlteriora etiam alacres pergere conati ſumus, ſpe fructus, vel nominis, curioſi rerum ingentium imitatores, non æmulatores ſuapte frequenter judicio culpandi. Sit hoc igitur tibi auctori noſtro leuius, at non ingratæ memoriæ argumentum, & quando tu iam medicus, hanc elogiorum ſpartam ornaſti, epiſcopus deinceps perfeciſti, in tuum herculè cedat eximium decus, me ſtudio ſimilem, dignitate imparem, paſſubus ad gloriam tuis, viatico imparatum contendere; ſic enim renuentiũ penitus doctorum votis, exploſus forſitan labor meus, digniorem tuæ firmabit orationi primatum, donec in lucem prodeant alij, eodem in puluere fæliciùs decurrentes.

## Honorati Faſitelli.

*Ne debent Iouio viri elegantes,*
*Bonis artibus his, & his politi;*
*Ne debent Iouio elegantiarum*
*Parenti, artibus omnibus polito,*
*Quantum vix animus capeſſat vllus,*
*Nec viui modo, qui vident, amantq;*
*Vrbani ſenis & ſalem, & lepores,*
*Sed quos lumine adempto auarus Orcus,*
*Quis ſcit quo cohibet loco miſellos?*
*Nam facit Iouius ſuis tabellis,*
*Excultis lepido ſuo labore,*
*Lethi funera non timere viros,*
*Vitam viuere mortuos perennem.*



ARNALDVS
Villanouanus.

# ARNALDVS Villanouanus.

EN portentoſo vir ingenio veterum nouatorum maximus, dogmatum raritate percelebris, quem ſibi ciuem Galli certatim, & Hiſpani vendicant, quòd & in Hiſpaniæ tractu, qui ad Aragoniam pertingit, & in Narbonenſi Gallia oppidum, quod Villanouam nuncupant, inueniatur. Vtrinque ſinguli varios ipſius proferunt ortus: ſed potior eſt Gallis gloria non vnius ætatis curriculo confirmata. Is, licet humili patria, obſcuriſque profectus laribus, tamen arcano impetu, ac excellenti mentis indagine, peritiorum naturæ operum ſcrutator acerrimus, Europam ferè omnem ſui nominis maieſtate compleuit. Hoc ipſi vel in fatis fuit, Medicinam Aſtrologiæ, ac intimiori cuidam Philoſophiæ perpetuò iungere. Laudandus, quòd venuſtiſſima doctrinæ ſpecie adoleſcentium ſtudia pellexit, exciuitque in rerum magnarum admirationem: culpandus herclè, quòd medicam officinam ſuperſtitioſis præſidiorum cumulis perfundere non eſt veritus; nam, cùm ſigillorum, & caracterum impreſſiones, vtpotè morbis profligandis idoneas, in opuſculo de ſigillis temerè approbat: tùm & pharmaca ſingulari quadam, & latenti virtute iuuantia; quæ tamen, vt irrationabilia quodammodo plerique medicorum odêre. vnus ex Græcis Trallianus, ex Latinis Cardanus ijs videntur ſummopere delectari: cæteros communia quædam ſectantes, ſeu ad Galeni, & Hippócratis normam ſe penitus effingentes inuenias. Huiuſmodi notam plerique Magno inuſſerunt Alberto, quòd in libello de mirabilibus mundi plurima congerat, quæ vel doctiſſimorum captum effugiant. Ego verò multa reor opuſcula, præfulgidum tanti viri nomen ementiri ad legentium gratiam, quæ nec ſomniauit Albertus, nimia quippè ſcriptorum celſitudo, & opinionum firmitas in abditiſſimo rerum omnium examine, quàm ab ineptis quorundam commentis, quæ illi vulgus adſcribit, abhorreant, cuilibet vel oſcitanter legenti perſpicuum fit. Verùm Arnaldus tanta in flore iuuentæ ſciendi exarſit cupidine, vt auri conficiendi methodum, quam Alchimiam nuncupant, optimè aſſecutum, Ioannes Andreas Iuriſconſultus in titulo de crimine falſi teſtetur. Hoc verò an inſtitutis naturæ conſentiat, philoſophantium eſto iudicium. Diuus Thomas explodit Alchimiam, vt irritam, ac doloſam, quod etiam

Auicenna, & Auerroes Arabum ſapientiſſimi comprobarunt. Petrus quoque Aponus illuſtre Conciliatoris nomen emeritus, metallorum tranſmutationem humanis ſubditam viribus inficiatur. Magnus autem Albertus, & cum eo tota Chymiſtarum turba tuetur, aurum artis induſtria ex ſulphure, ac Mercurio educi veriſſimum poſſe, cur enim ſi ex aſinis veſpæ, ex equis Scarabei, ex mulis locuſtæ calore cæleſti gignuntur, nequeant etiam induſtri calore ſic metallorum corpora aptari, ac digeri, vt ex ijs perfectius quiddam exurgat, nempè aurum, cùm ſe natura ſemper ad excellentiora deflectat? Hæc inter phyſicas diſquiſitiones digniſſima, ſubtiliorum ingenia diù torſit. Vt verò Alchymiam, nec rationi diſſonam, nec vſu cõtemptibilem arbitror, ſic rerum obſcuriſſimam, ac reconditam, vnuſquiſque rectè ſapiens perſuaſit, quando licet duos, vel tres, Arnaldum, ac Lullium probatis conſtet hiſtorijs ipſam calluiſſe; tamen tot huius artis libidine, ſummam ſibi peperêre perniciem exhauſti ſumptibus, ac igneis occæcati ſplendoribus, vt Reipublicæ deterrimam horrêre meritò, ac proſcindere debeamus. Huius artis exiſtimatione Lutetiæ Pariſiorum Arnaldus, Medicinæ praxim celeberrima auditorum, ac nationum ferè omnium frequentia tradidit. Petrus tamen Aponus acumine ſcientiæ, ac diſputationum præſtantia, facilè cæteris eius æui omnibus eminebat. Arnaldus Medicinæ vſu magis enituit. Inde factum, vt Arnaldus cum magicarum fortè reus habitus, ſe ad Siciliæ Regem Federicum perfugij gratia tranſtuliſſet, à Summo Pontifice morbo tunc grauiſſimo laborante, inter omnes Italiæ medicos ad ſui curationem delectus ſit. At ex peregrinationis incommodis æuo grauis occubuit Genuæ, vbi adhuc ipſius marmoreum viſitur monumentum. Hunc virum lubentem vltrò fatis perfunctum aſſerunt, quòd prauo quodam ſenſu Antichriſti horrebat aduentum, quem ex ſacris Bibliorum traditionibus, tunc Orbi celerrimum fore prænunciabat.

## Iulij Ronconij.

*Arnaldus ſtudio pectora nobili*
*Inſignis coluit, prouidus imbuit.*
*Phœbeis viguit clarus honoribus,*
*Dictus Pæonia mente ſalutifer,*
*Preſſis corporibus tàm benè profuit.*
*Argentum ingenio fundere viuidum,*
*Inq; aurum potuit vertere fulgidum.*
*Ex fumo retulit ſic rutilam ſibi*

Famam;

*Famam, ſic nituit ſydere purior.*
*Sed doctum magicis viuere in artibus*
*Credebant homines, ipſeque Pontifex,*
*Tam portenta viris hic operans dabat.*
*Sic ſe quò fugeret, quæ premerent mala,*
*Ad Regem profugus contulit hoſpitem.*
*Aegro ſed citius corpore Pontifex*
*Hunc ſe ſollicitum viſere geſtijt,*
*Solus eſt opifex creditus adfore.*
*At fato veniens raptus ab aſpero,*
*Inuenit tumulum corporis in via,*
*Viuit ſed celebri nomine ſplendidus.*



RAIMVNDVS LVLLVS.

# RAIMVNDVS LVLLVS.

HISPANIA doctrinarum, atq; ingeniorum fęrax protulit Lullum in inſula Maioricæ, quæ Catalonię Prouinciæ inter Baleares clarior habetur. Hic præceptori ſuo Arnaldo Villanouano haud abſimilis, illuſtri quadam ſcientiæ peregrinitate, ſubrudis æui iudicia commouit, adeò, vt æterna ei Pallados laurus concordi omnium propè gentium plauſu deferretur. Nam cum tumulatam in Arnaldo Alchimiæ peritiam, ingemerent curioſi arcanorum perſcrutatores, dein huius viri acumine, ac induſtria velut ab inferis reuocatam, ac læto rediuiuæ præſtantiæ omine coli cęptam, ſtudio exceperunt inſigni: accedente autem ſcientiarum ornatu, ac celerrima quadam, & noua in ijs tradendis methodo, necnon ſpectabili vitæ ratione, ac morum fama, nihil omninò ipſi ad celſiſſimę virtutis exiſtimationem deeſſe videbatur. Ferunt nonnulli pilas quaſdam æneas, huius opera in auri ſubſtantiam verſas, ad hæc vſque tempora in Regis Britanni atrio aſſeruari: qua tamen re ſapientum haud fefellerim aures, cùm exactiorem veritatis notitiam adhuc mihi reddiderit nemo. Conſtans apud Hiſpanos eſt fides, Lullum trigeſimo ætatis anno, relicta vxore cum liberis, ſe totum impendiſſe Chriſto Ieſu, cuius nocturna ſemel apparitione illectus fuit. Hinc inter Diui Franciſci patres tertij ordinis cucullatus, eò perpetim cogitationes, & conatus retulit ſuos, vt Chriſtianæ religionis dogmata remotiſſimis etiam diffunderet gētibus; quo nomine Romam octies ad verendam ſanctiſsimorum Pontificum Sedem ſe contulit, opem ſibi ad præclari facinoris progreſſum, & augmentum imploraturus. Eodem pietatis ardore ſeceſsit in Aphricam, tranauit & mária, Tanaim amnem ſuperauit, Barbaricos inter cętus ſe immiſcuit, deflendos impietatis triūphos, temerata ſummi ac veri numinis delubra, tot locorum, ac terrarum ambitu circumſpexit. Ac interim in nefariam Maumetanorum ſectam acriter inuehens, plurimos ad Euangelicæ puritatis cultum pertrahere, imbutos fallacibus inſtitutis animos ad veritatis notitiam deflectere: vt à Thracibus iccircò Regibus, pluries carceris: non nunquam verberum pœna mulctatus ſit. Tandem Clementis V. Pontificis Maximi auſpicijs, agitato Viennæ generali Concilio, adfuit etiã Lullus. Inde rurſus in Aphricam traijciens, quò diuini verbi lucem pro viribus extremo, caligantique inferret mundo, Regis Bogiæ iuſſu inſtar protomartyris Stephani, lapidũ grandine obrutus eſt, octua-

Ex
tec

geſimo

geſimo ætatis anno, reparatæ ſalutis M.CCCXV. Quo glorioſo perfunctū martyrio, deferre Genuam cùm vellent Ligurum mercatores fortè ventorum acti turbinibus in Baleares inſulas exportarunt, vbi corpus eius in Diui Franciſci templo repoſitū, plurimis deinceps miraculis, perenni temporis ſpacio venerabile. Præclariſſima herclè huius viri memoria, ſcriptorum ſuorum, quibus plures mordicus obſtrepunt, vindicet gloriam, excutiat ipſis tenebras poſteritatis: Artis magnæ, ac paruę futiles, ac irritas alioquin traditiones, doctorum vulgus excipiat veluti luxuriantis fœtus ingenij, quo vaſtum ſcientiarum oceanum, expedita quadam artis norma, ad exiguos ceu fontes contrahere nixus eſt: humanam ſcilicet induſtriam, vt rerum omnium captui obnoxiam, ſic lucis vſuræ longè imparē pientiſſimè miſeratus.

## Rhenani Alſatici.

*Iam benè tricenos Raimundus vixerat annos*
*Pompoſus, vecors, deſidioſus, iners:*
*Turbida fallacis linquens cùm gaudia mundi*
*Durus in abrupta corpora rupe domat.*
*Noxia præteritæ redimens vbi crimina vitæ*
*Suſcipit, æterni munera larga patris.*
*Pariſios Latiæ tandem primordia linguæ,*
*Poſt octo ſitiens Luſtra peracta petit.*
*Grammaticen libans primùm, in fuſca arte reliquit*
*Innumeros nuda ſimplicitate libros.*
*Senſa ſub occultis latitant præſtantia verbis,*
*Quæ poſſint mentes erigere vſque pias.*



HIERONYMVS
Fracaſtorius.

# HIERONYMVS Fracaſtorius.

FLORENTE maximè omnium æuo excellentiũ fœcunditate virorum, prodijt Veronæ Fracaſtorius, immortalibus vtique monimentis digniſſimus. Nàm cùm ęquales ſuorum temporum nactus eſſet Petrum Bembum, Politianum, Sannazarium tantos gratiarum alumnos, mirabili virtutum fama ſingulos adeò concitarat, vt cùm illi inter ſe, tùm cum ipſo in primis, de ſumma ingenij, deq́; poeſeos laurea perpetuò decertarent. Hinc Sannazarium perlecto ſemel coram Hippolyto Cardinali Mediceo Fracaſtorij carmine, quo Siphillida cecinit, perhibent ingenuè faſſum, poema Virginei partus ab ſe viginti annorum ſtudio concinnatum, atque editum, huius omninò ſublimitate depreſſum, ac radijs obtenebratum eſſe. Igitur ex hoc homine illud apprimè conſtat, quàm non ineptè cum Muſarum ſtudijs coeat medicina, eiuſdem forſitan exortus, congenitarumque communione virium, quando pangendorum carminum, & medendi ſcientiæ parens idem Apollo, à priſcis fabularum cultoribus eſt effictus. Ornauit autem vir hic poeticam laurum, celeberrima tractandarum curationum induſtria, cùm domi, tùm foris, atque eo ſibi nomine, ſingularem apud omnes peperit beneuolentiã, quòd ægroti ſalutem præferebat inſigni charitate iuſti laboris pretio, quòd aliàs medici ſuo promerentur miniſterio. Reijci enimuerò ab eo ſolitum aſſerunt, vero ſanè incomparabilique humanæ conditionis contemptu: in eam ſcilicet curam intentus, vt abdicata ſenſuum ſolemnitate vnam coleret ſapientiam, quæ vt ſalutaris eſt mors corporis, ſic animi vitam, ac velut æterni à terreno ſegregationem nuncupat Plato. Propterea ſæpius ad Caſpios colles, lætiſſima Benaci facie, ac ſubiectæ adſpectu planitiei, nedum phyſicæ vacare meditationi, ſed aſtrorum etiam inſpectioni, & Coſmographiæ præſertim ſtudio, quo ſummoperè delectatum lignei teſtes orbiculi ſua manu adamuſſim conſtructi, ad variaſque locorum dimenſiones optimè noſcendas accommodati. Porrò ſi quando in vrbe medico diſtinebatur negotio, grauitate, ac taciturnitate quadam cogitabundus, referebat omninò priſcæ maieſtatis exemplar, quæ ciuium in ſe omnium ora, diuinarum propè virtutum opinione vertebat. Labrum ſibi ſuperius plerunq; commordere, obtutu hærere, ſedatam, ſed tetricam faciem gerere,

eloqui

eloqui non niſi laceſſitum, vel potiùs rogatum inſpiciebant; ſed nihilominùs admirandæ, vel inter loquendum, vel inter ſcribendum ſententiæ, vrbanitatis etiam ſale interdum conditæ, latere in nobili pectore ſtupendum naturæ arcanum, egregijs obuium, ignauioribus abditum teſtabantur. Nouit hoc præ cæteris Bartholomæus Liuianus Veneti exercitus Imperator, qui huius hominis conuictu in caſtris diù, ad Abduanam vſque cladem potitus eſt. Nouit etiam Madrutius Tridentinus Princeps, qui ſibi hunc arctis amoris, & humanitatis vinculis coniunctum, vel animi, vel valetudinis gratia, ſępiùs in proprium excipere conſuéuit hoſpitium. Nouerunt Andreas Nauagerius ex Veneta Nobilitate vates inſignis, & Io. Baptiſta Rhamnuſius vir vndique præclariſſimus, cum quibus ipſi perpetua obſtrictiſſimæ voluntatis officia interceſſerunt. Atque Rhamnuſij præſertim pietatis, æneę teſtes imagines, quas Fracaſtorio, & Nauagerio eodem lapide Patauij in magno porticu, propè D. Benedicti pontem extruxit. Sanè vir maximus ad extremum vſque inuidenda fęlicitate potitus, haud quaquam tetrioris fortunæ noxas expertus videretur, niſi apoplexiæ morbo correptus in menſa, repentinæ mortis impetum ſubijſſet; qua verè ceu fatidici defectu oraculi concuſſa patria, bonorumque omnium ordines, publico iuſtitio, & lachrymis colluxerunt. Cæterùm ſicut olim Carolus Quintus Imperator per Piſcheriam iter faciens, commonſtrato ſibi hoc inter inſpectantes homine à Madrutio Cardinali, greſſu nonnihil conſtitit, vt ipſum nominis tantùm celebritate agnitum curioſiùs aſpiceret; ita vel ex eo pariter in morte fęlix, quòd, erecta ei togata ſtatua, ciues ſui rediuiuam ipſius imaginem in foro maximo, ſibi, poſteriſque ad intuendum, & imitandum propoſitam eſſe voluerunt.

## I. Cæſaris Scaligeri.

*Os Fracaſtorio naſcenti defuit: ergò*
*Sedulus attenta finxit Apollo manu.*
*Indè hauri, Medicusq́; ingens, ingensq́; Poeta;*
*Et magno facies omnia plena Deo.*

## Adami Fumani.

*Longè vir vnus omnium doctiſſimus,*
*Verona per quem non Marones Mantuæ*
*Nec noſtra priſcis inuident iam ſæcula,*
*Virtute ſummam conſecutus gloriam*

*Iam grandis æuo hìc conditur Fraſtorius.*
*Ad triſtem acerbæ mortis eius nuntium*
*Vicina fleuit ora, flerunt vltimæ*
*Gentes, periſſe muſicorum candidum*
*Florem, optimarum, & lumen artium omnium.*

In foro Veronenſi ſub eius marmorea ſtatua.

Hieronymo Fracaſtorio
Pauli Philippi F.
Ex publica auctoritate
Anno M.D.LIX.



PETRVS BEMBVS
Cardinalis.

# PETRVS BEMBVS Cardinalis.

VENETI fulgor, ornatuſque cæli Petrus Bembus, meritò perſtringat acies intuentium venerabili frontis ſerenitate, oriſque configuratione protenſa valdè, ſed ingenua placiditate ſpectabili, vt barba etiam procera, & ad pectus vſque grauiter expanſa. Extat enim marmorea eius effigies in Patauino D. Antonij templo cum elogio Hieronymi Quirini opera ſubiuncto, quæ ab Italica iuuentute celeberrimi alumna Gymnaſij quotidie ſalutatur. Plurimas huic homini natura opifex inſeuit ingenij dotes, quibus cùm eius ſæculi viuens acclamationem, tùm defunctus poſteritatis ſtuporem eſt adeptus: vnica profectò ex ijs, quemlibet orbi redderet illuſtrem, quæ in ipſo excellenti ſummoq. gradu collectæ inueniuntur: vorſæ ac proſæ orationis nitor inſignis, tàm Italicæ, quàm Romanæ: antiquorum, ac recentium ſcriptorum egregia æmulatio: in tractandorum ſerie facilitas, in explicando puritas, in imitando induſtria ſingularis, vt Latinæ, ac Tuſcæ parentem locutionis agnoſcas, dum Venetum ad vtramque tàm eſſe habilem admiraris. Hinc optimæ ſe efferant vires inſtitutionis: quando is Florentiæ altus cum patre Legatum Reip. Venetæ nomine tunc agente, imbibere medullitùs eius nationis idioma ſic potuit, vt ferè natiuum aboleret omninò. Patet in libello, quem Aſolanorum vocauit, & in Hiſtorijs Venetis, & alibi quàm ſe nauiter Florentinum ſcriptorem ementiatur, quod immortali cedat noſtratium gloriæ, quam impensè pariter Speronus Speronius Patauinus vir anteacti ſæculi eloquẽtiſſimus amplificauit. Hunc igitur dignitate nominis vbique clarum, Feltria domus Vrbini olim ſolemne illud literatorum concilium agitans, ad ſe pluries pertrahere nixa, pluries etiam, & orantem audiuit, & ſcribentem excepit: inter cæteros Iulianus Mediceus extorris inibi degens cum Ioanne Cardinali, Leonis poſteà decimi nomine Pontificatum emerito, ſummis beneuolentiæ officijs Bembum complexus, ſubinde ipſi ad Leonis aulam ſtrauit aditum, iniuncto ſecretorum (vt vocant) Breuium perſcribendorum munere, ætatis ſuæ anno quadrageſimo tertio, vnà cum Iacobo Sadoleto Mutinenſi optimarum literarum laude florenti. Ea in aula tanquam in ſpecula, virtutis ſuæ ſpecimen toti orbi pulcherrimum præbuit, ac ex munifico Pontificis genio, ſa-

tis

tis amplos aucupatus reddituum titulos, purpurei etiam pilei decus ſortè captaſſet; niſi graui, ac diuturno morbo præpeditus, Romano ſolo cedere, ideòque Patauium antiquam Æſculapij officinam petere coactus eſſet, vbi poſtmodum perenni annorum curriculo inſidẽs, incolumitatis ſuæ, ceu Muſarum in gremio fructum, prædulci ex otio, exoptatiſſimum retulit: eius namq; domus perpetuis magnorum hominũ conuentibus frequẽs, nouum quaſi reſerare Peripati oſtium, ſiue alterius æmulum Mœcenatis diuerſorium magnificè ſpectabatur. Hac vitæ norma ad ſeptuageſimum pertingens annum, à Paulo II. Farneſio amico perueteri vix deſignato Pontifice, renunciatus eſt Cardinalis, famoſa illa vſque adeò multorum electione, vt flores ingeniorum ex omni terrarum ambitu collecti, purpureoque ſacri nitoris ſtemmate inſigniti, fragrantiſſimum exinde ſapientiæ, religionis, virtutumque maximarum odorem orbi afflauerint vniuerſo. *Protractum aliquantiſper aiunt Bembo huiuſce dignitatis decus, quòd nobilem concubinam Roma perductam, laxiore ſenſus intemperamento coluerit; ſuſceptis nimirùm ex ea tribus fœminis, ac vel ad frigidum ſenium arcta ipſius conſuetudine propagata. Ita ex Platonis ſententia ſumma ingenia, ſumma etiam plerunque vitia conſequuntur.* Cæterùm fidiſſimo pietatis cultu, præaltaque diſciplinarum exiſtimatione, cùm in tanta Romanæ vrbis luce verendus, & conſpicuus emineret, ad hortum fortè ſuum vectus equo ſecedens, in ſuperum aditus limen impingens, exitialem excepit ictum, à quo ſummo Italiæ ſquallore biduò eſt ereptus.

## Cynthij Gyraldi.

*Thuſca tuo debes Petrarchæ, Muſa, parenti*
*Multùm, Bembeæ ſed magis vna lyræ.*
*Namq; is te genuit: Bembus reuocauit ab Orco,*
*Illud mortale eſt: hoc reor eſſe Dei.*

## Io. Ambroſij Perſonæ.

*Dum nitet eloquio, rubro dum ſplendet amictu,*
*Purpuream Petrum, quis neget eſſe roſam?*
*Eſt roſa, dum loquitur, redolet ſic namque diſertus.*
*Eſt roſa purpureus, ſic roſa namque rubet.*

## I. Cæſaris Scaligeri.

*Si probitas, pietas, grauitas, animusq; quietus*

*Cedunt ijs numeris, qui Ciceronis erant:*
*Sic palmam ex Cicerone feram, ſin gloria maior*
*Ex illis, palmam de Cicerone feram.*

## Ex Auguſtino Beatiano Bembi tumulus.

*Bembe iaces, tecumq́; iacet, quæ prima canendi eſt*
*Gloria ad extremos non reticenda dies.*
*Bembe iaces, tecumq́; iacent cæleſtibus apti*
*Mores, quos poſthac ſæcula nulla ferant.*
*Bembe, iaces tecumq́; iacet ſincera voluntas,*
*Et, qui nos prohibet dicere falſa, pudor.*
*Bembe iaces, animiq́; iacet laudabile tecum*
*Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.*

## Incerti.

*Delitiæ Bembus Muſarum ad ſidera cantus*
*Traxit Apollineos, Auſoniamq́; lyram.*
*Carmine ſat gemino mortales imbuit aures,*
*Nunc immortales conciliare iuuat.*

## In templo D. Antonij Patauij.

Petri Bembi imaginem, Hieronymus Quirinus Iſmerij fil: publicè exponendam curauit.
Vt cuius ingenij monumenta æterna ſint, corporis quoq; memoria, ne à poſteritate deſideretur.
Vixit an. LXXVI. Menſ. VII. Dies XXIX. Obijt an. MDXLVII.




IACOBVS SADOLETVS
Cardinalis.

# IACOBVS SADOLETVS Cardinalis.

IACOBVS Sadoletus Mutinenſis inſignem impendit operam à ſecretis, vnà cum Petro Bembo, Leoni decimo Pontifici optimo, à quo poſteà Carpenctoratenſis Epiſcopus in Gallia eſt electus. Ac multarum commendatione dotium, cum ingentem Romanæ curiæ plauſum eſſet promeritus, primùm Clementi VII. carus, mox etiam Paulo III. acceptiſſimus extitit, adeò vt è ſex hominibus in Chriſtiana Republica ad reformandam Eccleſiam deſignatis, vnum eſſe voluerit Sadoletum. Quod in poſthabendis Comitijs deſtinatæ purpuræ teſtimonium ſingulis apertiſſimum præbuit: die nãq; XI. Ianuarij anni M D XXXVI. pronunciatus eſt Cardinalis titulo S. Caliſti cum alijs eius æui celeberrimis viris, qui diuinum Pauli Pontificis in tàm digna collatione iudicium æternæ memoriæ teſtatum reliquerunt. Fuit Sadoletus ingenij acumine acer, verſatili indole, tẽperie præſtanti, at biliosiore; quamobrẽ ſtudiorum gloriam cum agendorum dexteritate iunctam obtinuit. Sacro iccircò agnitus ſummorum patrum collegio, ac in primis Pontifici, fuit in Galliam nobiliſſimo legationis munere miſſus, ad agitandam cum Franciſco Rege, & Carolo V. Imperatore concordiam, quæ licet impleta non fuerit, mirum tamen in modum exulceratus inſanabili propè odio Regis animus, perblanda huius viri medicatione conualuit. Sanè viuidi ipſius, præcellentesque impetus, in editis quoque ſcriptis transfulgent, vetuſta gentilium ſuorum, congenerique propagatione inſiti. Enimuerò ſi & poemata ipſius nonnulla, & Orationes varias, & Epiſtolarum volumen, & Commentatiunculas in Pſalmos, & D. Pauli Epiſtolas, æquus rerum æſtimator aduertat, ſolidam prorſus eruditi, ſuſpiciendique ingenij laudem attigiſſe fateatur. Æquandum propterea Bembo ætas illa conſtanter ſenſit, quorum virtutis inuicem comparandæ, cùm loci honos apud Leonem non impar, tùm fœturæ ingenij alternis fermè diebus, ex vtriuſque calamo excidentes, necnon affectata in aperto ab vtroque primę laudis acquiſitio, anſam vltrò curiæ quotidie ſuggerebat. Bembus tamen tumidiori elatus eſt aura, quam ei Muſa præſertim Etruſca, & Latia, dulciſonis redundans numeris excitauit. Cæterùm, vt inter ſe glorioſa æmulatione certantes ad ſummum ſunt euecti ſacroſanctæ digna-

dignationis faſtigium, ita ex eorum genijs perenne, ac nobile Itali homines hauriant archetypum, ad quem æmula politiores ſectantium literas induſtria referatur.

## Incerti.

*Nobile purpurei lumen Sadoletus honoris*
*Romani ſplendor maximus eloquij,*
*Cuius fulgenti radiata Eccleſia luce,*
*Vt gemma ex Petra lucida in orbe micat.*

## Georgij Rotini.

*Conſcius arcanæ tractas oracula mentis,*
*Et peragis tacito iura verenda foro.*
*Conſilium ſummi regis alto corde Leonis,*
*Et Vaticani præſidis acta tenes.*
*Non ſe Roma tuis tradit, Iacobe, regendam*
*Hactenus auſpicijs, ſed neque Roma negat.*

## Ioſephi Mariæ Ciriæ.

*Quid, Sadolete, iuuat ſacratæ purpura frontis,*
*Serto & Apollineo quid redimita coma?*
*Mors ſi pro lauru dedit inuidioſa cupreſſum,*
*Oſtriferum texit veſtis & atra caput?*
*Sed, quod ſuſtulerat tibi, iam cum fœnore reddit*
*Vnius inuictæ mentis ad Imperium.*



IOANNES CASA.

# IOANNES CASA.

IOANNES Caſa patritio apud Florentinos genere ortus, eminet politioris literaturæ faſtigio, elapſi, ac præſentis propè ſæculi hominibus inacceſſo; præterquam quòd enim patrio, latinoque carmine ſuauiſſimè concinit, ſoluta etiam vtriuſque idiomatis oratione ſic excellit, ac potiſſimum Itali, vt ſinceræ puræque ſcriptionis exemplar ex eius affatim opuſculis deſumatur. Ac profectò ſi ex eius lacteo eloquentiæ fonte, riuuli ad poſteritatis fructum manaſſent vberiores, nihil dubium, quin noſtratium ingenia frequentiſſimo hauſtu, illos æquè ac nectarea Petrarchæ, ac Bocaccij & aliorum huius cenſus pocula deguſtaſſent. At fato neſcio quo cecidit periniquo, vt longè pauciores exiſtant, quàm literatorum cætus exoptet. Verè libellus, in quo Galathei nomine luculentam morum edocet rationem, ſuperque teſtetur vnus perraram incomparabilis calami fęlicitatem, quando breuitati candorem, eruditionem, ſuadam, perſpicuitatemq. ita connectit, vt inextinguibilis quidam eius etiam, atque etiam legendi ardor cunctos abripiat. Hunc propterea Thuanus Gallicus auctor, veterũ longè præſtantiſſimis ęquandum exiſtimat. Hoc etiam intuitu viuens à ſummis Pontificibus Paulo III. Marcello II. egregia munificentiæ retulit ornamenta, collato ſibi nimirum Archiepiſcopatu Beneuentano, indeque grauiſſimarum legationum munere à Paulo IIII. pluries iniuncto. Conſtans apud illius ęui criticos fuit opinio, Caſam Pauli II. gratiam præ cęteris egregiè aucupatum, ſibi ad purpuratorum patrum decus aditum parauiſſe, quorum in cętu clam à Pontifice adnumeratus cùm eſſet, ac deſignatus, inuida mox ſuggerentium exprobratione, *turpi laſciuiæ nota culpatus, quæ in productis etiam aſſeuerata ſchedulis, ex albo tot pręnſantium curis perpetim affectato expunctus eſt. Ità nec forſitan mentiuntur alij perhibentes, eum à puberibus vſque annis plurimùm luxui deditum extitiſſe, à quo vel ſacro etiam indutus Archiepiſcopi ſyrmate nòn deſciuit.* Verùm elato ingentique animo, vt ſe palàm dignitatum profitebatur oſorem, ita priuatis amicorum conuentibus addictus, inſita quadam hilaritatis dulcedine, animo curis vacuo blandiebatùr. Quo mox exacto beatioris vitæ curriculo, cum Romæ communi ſummorum hominum loculo occubuerit, oricellarij nepotes ſui nobilitate, rerumque amplitudine clari, appoſito in maiorum Sacello Eccleſię D. Andreæ de Valle eius gloriæ, ac nomini monumento ſingulari, præclarum gentilitiæ pietatis officium perſoluerunt.

D. O. M.
Ioanni Caſæ Archiepiſcopo Beneuentano
Cuius ſingularem in omni virtutum,ac
diſciplinarum genere excellentiam
Immortalibus illuſtrem monumentis
Æmula ne quidquam poſteritas
admiratur.
Horatius Oricellarius auunculo
optimè merito. P.

Incerti.

*Mente fui magnus, decore impar: lumen honori*
*Abſtulit ipſa Venus, quæ dedit ingenio.*

M. Antonij Flaminij.

*Diſertiſſime Caſa, quem libellum*
*Legendum dederas mihi, relegi*
*Sæpe, ac ſæpius, ac tamen legendi*
*Is deſiderium mihi reliquit,*
*Nec mirum, ſiquidem tuus libellus*
*Tàm doctus, numeroſus, eleganſque eſt*
*Vt ſcriptus videatur aureo illo*
*Sæculo Ciceronis, atque ab ipſo*
*Diuino Cicerone, nec profectò*
*Viuet iſte minus diù libellus,*
*Quàm libri Ciceronis, ergo Caſa*
*Diſertiſſime perge, ſæculumq;*
*Noſtrum orna aureolis tuis libellis.*

M. Antonij Romiti.

*Cur Caſa miraris merito non fulgeat oſtro?*
*Id formica ſalax paruula præripuit.*



PHILIPPVS COMMINEZ
Argentoni Dominus.

# PHILIPPVS COMMINEZ Argentoni Dominus.

PHILIPPVS Comminez Gallus deſeruijt aliquot primæ iuuentæ annis cubiculo Caroli Burgundiæ Ducis, vnde arcanis poſteà laceſſitus iniurijs, ad Ludouici XI. Gallorum Regis aulam tranſmigrauit, cuius miniſterio diuturna, eaque intima obſequij, ac fidei profeſſione dicatus, Argentoni oppidi Dominatum ab excelſa illius Regis munificentia eſt adeptus. Hic vel eo nomine ſtupendum ſui offerat ſpectaculum, quòd nullis inſtructus literarum præſidijs, at vnius fretus gratuitæ, inſitæque præſtantiæ viribus, non ſolùm ſupra Gallicos eius æui principes extulit ſe ſe, inculpata ſolidiſſimæ prudentiæ prærogatiua, verùm etiam geſta eorum temporum memorabilia perſcribendo, præſtitit adeò, vt ex omnibus hiſtoricis vnus purgatis eruditorum auribus diſertiſſimus habeatur. Præ cæteris Lipſius ipſum Polybio ſcriptori ex Græcis admirando æquare non dubitat: alij modernum etiam Tacitum nuncupant: nec me latet plurimos huius ætatis principes, ipſum in delitijs habere ſolitos, ceù rerum gerendarum, & politicæ negotiationis magiſtrum, ac prętereà velut incorruptæ veritatis integerrimum aſſertorem. Hinc in æterno literatorum concilio ſancitum, vt ſicuti Iouius in hiſtorica factorum narratione præſtat, & Guicciardinus in detegendis conſiliorum omnium, actionumque cauſis, ita Philippus in dirigendis ad ciuilem prudentiam animis, ſingulari quodam ingenij bono præcellat. Igitur quod ſummè arduum à phyſicis exiſtimatur, hic intelligendi vigorem cum agendi ſolertia coniunxit. Nulla propemodum extitit Europæ curia, ad quam Ludouici Regis ſui nomine non fuerit orator tranſmiſſus: nullus Lutetiæ magiſtratus, quem ſanctiſſimè nõ obierit, eo prorſus pietatis tenore, quem in ſuis præfert ſcriptis, cùm nemo politicorum diuinæ venerationis ſtimulos acriùs legentium auribus inſerat, admirando, æmulandoque ſtudio. Nicolaus quippè Macchiauellus miſero, ac veſano auſu religionis contemptor, perſonatam in ſuo principe, non intemeratam requirit, futilibus omninò argumentis ſubnixus. At verò quis eum, quàm Argentoni ſcriptis validiùs reijciat, vbi glomerata exemplorum ſerie, ſingulos omnium temporum dominatus ob neglectum religionis cultum, præpropera, & vindici ſummi numinis manu, funditùs oſtendit eſſe conuulſos?

Nulla ſanè gratior, ac ſuauior pijs animis lectio poteſt occurrere, ſi ei ſe quiſpiam parumper deuouerit. Ab eo dictatum illud manaſſe referunt, quo interrogatus, quid ſibi in Italica legatione notabile occurriſſet, reſpondit, politica Venetorum & Florentinorum adminiſtratio; eos ſiquidem ingenio viuido, & ad eximia quæque habili, nullis ad Rempublicam rectè gerendam artibus vnquam vſos eſſe: alios pacatiore indole, nec viritim ingenti præſtantes acumine, inter ſe iunctos excellentem dominatus temperiem conſtituere, ob quam toti orbi prudentiæ, virtutiſque commendatione venerabiles fiunt. Obijt feſſus æuo, ac rebus Pariſijs in ſacello conditus Auguſtinianorum, quod biennio anteà ſibi cum ſtatua etiam appoſita ſtruxerat, ex qua iconem hanc ad viuum curauimus tranſumendam.

## Georgij Rotini.

*Prima ſalutauit docti vix limina Pindi,*
*Et vix Aonidum mouit in antra pedem.*
*Attamen humanæ tot certa oracula vitæ*
*Explicat & regni iura Philippus habet.*
*Gaudeat hic ſe ſe doctorem audiſſe Platonem;*
*Ille Stagireo ſe didiciſſe ſene.*
*Eſt quædam ſub magno laus ſtuduiſſe magiſtro:*
*Maior at ex animo ſe didiciſſe ſuo.*

## Ronconij.

*Congeris illuſtri magnas res corde, Philippe,*
*Pectore celſa capis, pectore mira ſapis.*
*Quæ tibi condecorat ſolers prudentia mentem,*
*Lumina clara parit, numina ſumma tenet.*
*Conſilio polles, prudens atque omnia calles,*
*Præſcius ante vides, prouidus ante paras.*
*Egregius rerum tutis moderator habenis,*
*Tu benè cuncta regis, tu benè cuncta geris.*

## Ioſephi Mariæ Ciriæ.

*Romuleis Taciti faſtis pulcherrima rerum*
*Conſpicitur ſeries, eloquiumq; graue.*
*Aſt, tua ſi monumenta lego, mens ilicet ardet,*
*Rebus & eximijs capta repentè ſtupet.*
*Argento nè magis riguo decorentur, an auro,*
*Ambigit; aſt auro plus decorata videt.*
*Sic eſt, Argentone, tuis argentea libris*
*Copia: at aurifero pectore tota fluit.*



REGINALDVS POLVS
Cardinalis.

# REGINALDVS POLVS Cardinalis.

MISERRIMO illo, ac fúneſto Britannicæ calamitatis tempore, quam Henricus Octauus, vt Catharinam Auſtriam vxorem effero impietatis æſtu repudiaret attulerat, in viuis agebat Polus, quem diræ tempeſtati ceu ſcopulum, ſeu opiferam tot in procellis anchoram, diuina forſan clementia reſeruarat. Iunctus erat affinitate generis Henrico Regi, cui perinde charus adeò ſemper fuerat, vt præter annuum quingentorum aureorum honorarium ei collatum, dum in Italiam ſtudiorum gratia profectus eſt; tùm matrem eius Margaritam regia in aula perhonorificè detineret. Gratiam igitur, & auctoritatem, qua is in Angliam reuerſus apud nobiliſſimos quoſq; florebat, maximè ſibi fore opportunam ratus, ad ſuſceptam repudij cauſam, vel cohoneſtandam vel tuendam, incaſſum verò ac diu eiuſdem ſollicitato conſenſu; inteſtina, ſæuaq; cœpit exindè in Polum odia exercere. Hinc factum, vt hic in Italia veluti profugus, ac Nicolai Leonici, quem præceptorem habuerat, nec non Lazari Bonamici, Coſmi Gherij, Longolij, ac aliorum doctorum hominum illectus commercio, rurſus Patauij conſederit, mox trahente fato Romæ, vbi Gaſparis Contareni, Sadoleti, Bembiq; vocibus excitata inclytæ virtutis opinione, à Paulo Farneſio Pontifice purpureo decoratur galero. Quam ergò conſtanter iniquo Regi denegarat in deteſtabili ſchiſmate operam, ad ſacroſanctæ fidei tutelam, & augmentum impendens, demortuo Rege legatus à latere in Angliam deſignatus, immortali ſua cum gloria, & incredibili eius ætatis triumpho, totius regni primates, vnà cum populo vniuerſo ad priſtinum Romanæ ſedis obſequium reuocauit. Cuius tamen progreſſum facinoris herculè, haud ſcio, an immitioris fati cæcitas, an Pauli Pontificis Caraffæ inita conſilij ratio Polum ab Legatione Anglica reuocandi, an veriùs Reginæ Mariæ pientiſſimæ fœminæ, eiuſdemq; Poli præpropera, ac trium vix horarum ſpacio diſtincta eluſerit mors; ab hinc enim in exulceratis multorum animis tabidum latens virus, Reges, ac totam rurſus infecit inſulam, contagio ad hæc vſq; tempora propagato. Plurimùm intereſt animis in religionis ſenſu hæſitantibus facem præferre hominem inculpatis moribus, ac doctrinæ fama conſpicuum, vt in cuius veſtigijs populi credant inerran-

Iter inſiſtere. Polo vt virtutis nitor, & morum candor purpuræ dignitatem adſciuerat, ita rerum ingentium vſus, maiorum claritas, eruditionis laus ſingularem apud omnes gratiam compararat. Bis in Concilio Tridentino Pauli tertij Pontificis nomine legatus, primùm Moroni, ac Pariſij Cardinalium ſocius, altera vice Montis, & Coruini, quorum ille mox Iulij tertij, hic Marcelli ſecundi nomine Pontificatum adeptus. Ac Iulium tanti decus faſtigij, nonniſi à ſāctiſſimo viro Reginaldo, ſibi velut de manibus traditū, prædicare ſolitū referunt, quòd in conclaui conuerſis in hunc vnum Alexandri Farneſij ſtudio Cardinalium votis, adorationem ſibi veſpere quodam oblatam minimè obiri ſit paſſus, at ad poſteram voluerit lucem differri: rem maximam, ac diuinam diù agitandam: lucis Deum non tenebrarum amantem dictitans eſſe: hac verò interpoſita noctis mora, diſtractæ multorum voluntates ad ipſum mox Iulium adorandum coiere. Fortiſſimus, quod (vt aiebant) ſtipitis inſtar tanti Sacerdotij; vel adipiſcendi ſpe, vel amittendi metu non eſt commotus: leniſſimus, quòd Londini ætatis annorum LXVIII. febris quartanæ duplicis diuturnitate ſurreptus, Aloyſium Priolum patricium Venetum, indiuiduum ſuorum itenerum ſocium, & aſſeclam, bonorum ſibi omnium adſcripſit hæredem. Quæ ſingula cùm Andreas Duditius Epiſcopus Tininienſis familiaris eius conſcripſerit, ſufficiat nobis hàc perexigua, ſed verenda corporis, animiq; ſpecie noſtrum exornaſſe Muſęum.

## Fabij Codori Angli.

*Dum Phlegetonteis truculentior exilit antris*
*Hæreſis, & Reges ſub ſua ſigna vocat,*
*Impauida ſtat fronte minax, Regumq; ſecures*
*Contemnit ſtabili fixus in axe Polus.*

## M. Antonij Flaminij.

*Si velut egregia pictura, maxime Pole,*
*Eſt expreſſa tui corporis effigies,*
*Sic diuina tuæ potuiſſet mentis imago*
*Pingi, nil oculi pulchrius aſpicerent.*



HIERONYMVS VIDA.

# HIERONYMVS VIDA.

QVOD Chriſtianæ Reipublicæ optandum maximè, adnitendumq́; erat, vt acerbiſſimam Chriſti Domini mortem, prædulci quiſpiam metro concineret, id ornatiſſimè perfecit Vida Cremonenſis, immortalibus idcircò piorum omnium plauſibus recolendus. Is profectò Virgilianæ ſuauitati proximus, & rhytmica grandiloquentia fœlix, aureo illo Leonis decimi æuo, poetæ omnium incomparabilis nomen promeruit; quamobrem è Canonicorum Lateranenſium clauſtris, in quæ vix ephebus fuerat ingreſſus, ad Romanæ curiæ lucem ſummo Pontificis nutu tranſlatus eſt, quò ad incæpti carminis complementum, acrioribus præmiorum inde manantium ſtimulis vrgeretur. Cæterùm cum infauſto aulicorum ſtrepitu, Apollinea non conſonante lyra, in oppidulo Tuſculo apud Hetruſcos, perameno ad canendum receſſu prioratũ obtinuit, vbi pacato docti pectoris ſpiritu, Muſis, ac genio leniter indulgens, Heliconis ebibit, profuditq́; rores, quibus æternos gloriæ ſuæ campos rigauit vberrimè. Inibi verò dùm iucundè admodum moraretur, continuo lætus doctorum hominum ipſum vndiq́; inuiſentium hoſpitio, Leoni demortuo ſubrogatus eſt ad Eccleſiæ culmen Clemens, vt amplitudinis, ità heroicæ propenſionis hæres inclytus. Eius hic pedes antiqua fretus ſtudiorum communione, Romam deoſculatum accedens, eiq́; abſolutum Chriſtiadis poema in publicos euulgandum vſus porrigens, Albenſis ab illo Epiſcopatus thiaram, grata exhantlati laboris æſtimatione retulit; cui cùm decus hic præfulgidi nominis auxit ſplendore, tùm ex eo viciſſim pernobilis in curia ipſius probatio meriti redundauit. Præclaris poſtmodum in ſacerdotio geſtis, tàm numinis cultu, & fanorum extructione, quàm concupita in vrbe morum correctione, bonis omnibus adeò carus, Inſubris autem extitit venerabilis, vt diuinus propè cælo delapſus vates ad titillanda diuinorum lenocinio corda, Dauidici æmulus carminis haberetur. Hinc factum, vt ſelectioribus coętaneorum calamis, eius encomia poſteris luculenter ſint mandata. Ludouicus Areoſtus inter alios, Vidam inexhauſtum altæ facundiæ fontem appellat: Xiſtus Senenſis hunc aſſerit ex latinis poetis primum vitæ Saluatoris ſcriptorem, maieſtate carminis Maronem propemodum exæquaſſe. Vt proptereà diuino forſan conſilio ſtatutũ ſit, vt quemadmodum Maro inopinâter in Eclogis Pollionis filij natalem canendo, ex Cumeæ virginis oraculo, Saluatoris noſtri natalem altiſſimè cecinit, ita hoc eiuſ-

dem

dem mortem haud impari ſublimitate lugente, præalta æterni herois facinora, ſummo eoq; inimitabili duorum vatum eloquio decantentur. Verùm qui aures ſuas, & animũ ad angelicos effinxerat modulos, ſenio grauis anno M. D. L V I. geſtijt corporeis exutus vinculis, feliciſſimo euolatu ad ipſorum choros proximiùs audiendos conſcendere.

## Io: Thomæ Muſconij.

*Ecquid erunt tanti diuini carmina vatis,*
*Deſueta vt tentem plectra mouere manu?*
*Nam ſimul ac Diuum monitu patrimonia liqui,*
*Et mea ſunt ſacro colla ſubacta iugo;*
*Nil mihi cum Phœbo, nil cum Permeſside lympha,*
*Nec lauro placuit compoſuiſſe comas.*
*Nunc quid agam oppreſſus verbis, & pondere rerum?*
*Me ne tuis ſperem verſibus eſſe parem?*
*Protinus vt fiant leuiora, grauiſsima quæ ſunt*
*Carmina, ſitq; maior copia culta minùs.*
*Hoc tamen ingenium, grauitaſq;, lepoſq; puſillum*
*Exuperent, tantum hoc pectore noctis ineſt.*
*Si fortè expectas, tradam tibi chalcea tanquam*
*Titydes; tu dans chryſea Glaucus eris.*

## Ronconij.

*Non iuga Vida petit Pindi, ſed ſcandit Olympum,*
*Qui ſpernit terras, & magis alta cupit.*
*Non illum Aonides docuerunt carmina Muſæ,*
*Carmina ſed cæli ſacra dedere chori.*
*Sic, dum melliflua voces modulatur auena,*
*Cælica cæleſti mente camæna canit.*
*Quid mirum, rabidi vincit ſi temporis iram?*
*Non ius in cælum temporis ira tenet.*

## Ioſephi Mariæ Ciriæ.

*Grande Pedum micuit, dextrâ, rectumq; ſacratâ eſt,*
*Cinxit Apollineum cum tibi Mitra caput.*
*En te vectum mæſto Imperialis auena ſepulcro*
*Vindicat, & ſuperas cogit inire vias.*
*I, pete felici ſtellatas omine ſedes,*
*Tetraq; funereæ deſere tecta pyræ.*
*Hæc te penna magis ſuſtollet in aera: quam, ſi*
*Turrigerum patriæ te vehat axe iugum.*



PIERIVS VALERIANVS.

# PIERIVS VALERIANVS.

PIerius Valerianus ex Bolzania gente Belluni peruetuſta prodijt, Vrbano patruo inſtitutori ſucceſſor, rara ſelectioris ſtudij notitia perpolito. Hinc emerito vtriuſq; fato obiecta ſibi inuicem ipſorum è marmore icon, in meridionali externo templi Fratrum minorum latere, Venetijs ſtat infixa; vt, quos pares nexerunt animorum inſtinctus, corporis etiam obtutu non longè diſſitos poſteritas veneretur. Eiuſdem auſpicio patrui, cui virtutis ergò Leo decimus adhuc adoleſcens, humanioribus literis informandus obtigerat, Florentiam hic appetens, aliquantiſper in illo tunc Gręcorum excellenti conuentu, egregia Laurentij Medices liberalitate excito moratus eſt, vbi latino candori adeptam peregrinæ eruditionis præſtantiam adiunxit. In Leonis poſteà fidem, & clientelam ſuſceptus, indeq; ab eius obitu inter Clementis ſeptimi digniores electus aulicos, eam modeſtiæ, atq; integritatis laudem emeruit, vt eius curæ Hippolyti, Alexandri, & Catherinæ nepotum educationem Clemens commiſerit: eorum alter Cardinalis, alter Dux patriæ primus, tertia Gallorum ex connubio regina, perennibus virtutum cumulis, illuſtrem, æternamq; præceptoris memoriam reddidere. Ab opiferis iſtorum manibus, quanta ſibi rei familiaris ſubſidia potuiſſent accedere, refertiſſimus literatorum cætus Medicęorum munificentia ſpectabilis iudex eſto. Ipſe tamen inſito quodam mediocritatis adfectu, ſuis ſatis rebus conſultum fore putauit, ſi honeſto in otio ab vrbanis exemptus curis, ſacra Muſis facere pro libito poſſet. Ac illud obfirmati eius virtute animi præſtet fidem, quòd primùm Iuſtinopolis, mox etiam Auenionis deſignatus antiſtes, vtrunq; honoris, & pietatis munus conſtantiſſimè detrectauit, vnica prothonotarij apoſtolici, & comitis dignitate contentus. Eius ſcripta cùm poetica, tùm phyſica, & hiſtorica, & oratoria, verſantur iam eruditorum in manibus peracris ingenij adſcita laude, cum verè in ſingulis ſolidæ neruos doctrinæ liceat agnoſcere, vel id ſummo teſtante Scaligero, qui Pierium poetæ nomine prorsùs dignum, non verſificatoris affirmat. Vulgatiſſimum præ cæteris hyerogliphicorum opus, quod arcanas Ægyptiorum refert notas, dum curioſos antiquitatis reddit abundè ſatures, præclara moralis, ac politicæ documenta recolit, ad imitabilem non inſipientis populi normam congeſta. Demùm hic ſui compos, ſuiq; domitor, ac æterna quaſi Pallados lauru redimitus, cum terrenas

exoſus

exoſus ærumnas ad cæleſtia quotidie aſpiraret, fato functus eſt Patauij, anno ætatis octuageſimo primo, natalis Domini M. D. LVIII. Parentis obitum Pierides, anteſignani doctiores quique, familiaris intimi Patauinus Pótifex, iuſtitio, lacrymis, funebri pegmate decorarunt.

## Incerti.

*Valeriana ferens priſcæ cognomina gentis*
*Pontificisq; Cliens magna Clementis in aula,*
*Clementis ſumpto ſepteni nomine Petrus,*
*In curam excelſos Medica de ſtirpe nepotes*
*Sumpſit, Alexandrum nexu, Hippolytumq; ligatos.*
*Fraterno (hic meritos crines labentibus annis*
*Purpureo texit velamine, cardo creatus,*
*Ille prior valido Florentia mænia ſceptro*
*Inuaſit) iuſsusq; ſacras geſtare thiaras,*
*Qua Iuſtinopolis fortes conſurgit in arces,*
*Auion, atq; ſuam muris ingentibus vrbem*
*Cingit; at oblatos ſolido neglexit honores*
*Conſilio, Pindum genio, ſtudioq; ſequutus;*
*Vndè viro præſtans acceſſit copia fandi,*
*Altaq; condendi prouenit carmina virtus.*
*Hic Antenorea tandem conſedit in vrbe*
*Præſulis in laribus ſacrati, cuius honores*
*Expertus largos decies inſtantibus octo*
*Annis, extremo ſubmiſit lumina fato.*

## Georgij Rotini.

*Obſcura ſub nocte notæ, quas Dædala finxit*
*AEgyptus, tacitæ delituere diù.*
*Deniq; depulſis patuere arcana tenebris,*
*Claraq; Pieria ſymbola luce nitent.*
*Pieridum, cæcas errorum abſtergere nubes,*
*Et ſtudijs animos irradiare fuit.*
*Id porrò Muſis donarit Apollo; ſuopte*
*Donat ab ingenio lumina Pierius.*

In externo pariete templi Fratrum Minorum
Venetijs.

D. O. M.

Pierio Valeriano Bolzanio
Bellunenſi,

Cuius ſi negotia diù apud ſummos
Principes curata noris,
Nihil eum vnquam legere, ne dum ſcribere
potuiſſe dicas.
Sin quæ multa tàm docta ſcripſerit
inſpicias,
Nulli hominum otia quietiora cõtigiſſe iudices.
Io: Cornelius Fantini patritij Veneti filius,
Et Fratres locum amico ſuo intimo
Vnanimes conceſſere.



IOANNES GEORGIVS
Triſſinus.

# IOANNES GEORGIVS Triſsinus.

TRISSINVS ciuis meus ingenij pænu longè mirabili, plurima cùm ad poeſeos, tùm ad orationis dignitatem diſertiſſimè prodidit, quibus veterum poetarum ſtudia propè obruta, dehinc ab Italis alacriùs coli cęperũt. Quî enim poſſit ſe ad Euripidis, Sophoclis, Homeri, & aliorũ exemplar quisq; componere, vnus hic apud noſtrates auctor, & princeps videtur extitiſſe: primus Tragædias Italicè conſcripſit: primus heroum facta ſoluto carmine decantauit. Vtrunq; & Sophonisba ipſius Tragædia, & ipſius Epicum Italiæ liberatæ opus teſtatur. Rem pariter molitus perarduam, characteres græcos noſtris immiſcendi literis, ad varios verborũ ſonos aptiùs ſignificandos, vt repentè multos ad ſui, vel laudem, vel iurgia traxit, ità poſtmodùm huic inuento, cullam (vt aiunt) ipſemet parauit, & loculum; reclamante doctorum cætu, quòd in tantis doctrinarum momentis, monſtruoſa elementorum nouitate animos haudquaquam turbandos putauerint. Detur ipſi tamen Italici ſermonis gloria, quem luculenter excoluit, ornauit, adauxit. Detur ipſi vindicis, & inſtauratoris elogium, cum ipſius opera, & nutu poetica ſtudia, verè ad priſcorum dogmata, & normam fuerint reuocata. Maxima herclè ſuo æuo floruit induſtriæ fama, & virtutum ſplendore. Nam Romam cùm ſe vigeſimo ſecundo ætatis anno receperit, quo adhuc nulla doctrinarũ rudimenta perceperat, à quibus prauo quodam mentis errore fuerat alienus, mox ex ſolis doctorum altercationibus, ac ſtudioſorũ congreſſibus, ſic excitus eſt in ipſo ingenitæ præſtantiæ vigor, vt auidiſſimè ſe totum poeticæ, ac eloquentiæ ſtudijs dediderit, eo progreſſu, quem planè commentitium crediderim, niſi gẽtilium ſuorum ſcripta, quibus vitæ ſuæ ratio perſcribitur, dubitationem mihi omnem eripuiſſent. Hoc in præſenti ſufficiat, quòd munito ſibi ad Leonis X. gratiam aditu, in ſplendidiſſimo Muſarum, & virtutum atrio ſic vixit, vt nonnulli delatum ſibi purpuræ honorem prolis gratia reiectum ab ipſo prodiderint. Ità ex veteri adagio, fortunæ ſibi quiſq; faber exiſtit. Receptus in patriam, ac nuptiarum ſacris initiatus, filium ſuſcepit nomine Iulium, cuius deterrima erga ſe officia, ad inſigne poſteritatis exemplum expertus eſt. Aiunt perpetuis ipſum conuicijs laceſſere ſolitum; nullam ipſi charitatis, nullam pieta-

pietatis, vel obſequij vicem referre: turpatis naturæ legibus parentis nomen odiſſe, à cuius propterea conuictu ſemper abhorruit. Hinc Georgius ab vxoris obitu, ad ſecunda vota, vel ſenex, & inuitus trãſiuit, Cyrumq́; comitẽ ſuauiſſima indole filiũ, fœliciori omine geniũ, fortunarum mox omniũ hæredem inſtituit, cuius adhuc nobiliſſima progago Vicentiæ viſitur. Ceterùm Iulius cùm ad patris, vel multam, vel excidium editus videretur, addito ſibi ex Venetorum iudicio notabili rei familiaris prouentu, eò patrem adegit, vt ſpontaneo velut exilio ſe à patrio cælo, ſeù potiùs à truciſſimi filij oculis abdicandum, Romam denuò referendum putarit, vbi communi tandem fato conceſſit. Fuit Georgius apprehenſionis facilitate inſignis, cum doctrinarum omnium, quibus ſe vel ſegniùs impenderat, arcana celerrimè introſpiceret: & ſancta naturæ penetralia, & Mathematicarum pręſertim Geometriciæ receſſus; & Muſarum vireta luſtrauit: erraticus in ſtudendo, ac varius: rerum quoq́; agendarum vſu pręcellens. Clementis enim ſeptimi acerrimi æſtimatoris nutu, ex Romana curia ad Carolum Cæſarem nuncius eſt electus; inde ad ſapientiſſimum Venetorum Senatum. Huius Pontificis beneuolentia, & officijs mirum in modum claruit, conſiliorum quippè arbiter, ac intimus propè curiæ moderator ad inuidorum vſq́; ſtuporem extitit. Bononiam cùm olim Pontifex adijſſet ad eiuſdem Cæſaris coronationem, nec non ad initi fœderis iura cum ipſo, ac Venetis oratoribus cõfirmanda, Georgius aurei ſyrmatis ferendi munere in maxima procerum celebritate dignior eſt habitus, quod anteà non niſi ampliſſimis, ac principibus viris delatum. Patria igitur indole, ac præſtanti ſuæ gentis genio, ſic emerſit ex magna vndarum voracitate, vt fati rabiem eluſiſſe, patriæ, ſuisq́; decus eximium, ſibi perennem nominis exiſtimationem peperiſſe videatur.

## Ioſephi Mariæ Ciriæ.

*FAma centenis animata linguis*
*Aureo pergat reſonare cornu*
*Triſſini buſto ſuper, & iacentes*
*Excitet vmbras.*
*Fas vbi triſti gemuere luctu*
*AEra: iam partum recinant trophæum*
*Fauſtitas, & pax, & amica feſto*
*Gloria plauſu.*
*Heù! nimis ſæua truculenta falce*
*Perculit doctos Libitina manes,*

*Nobi-*

*Nobiles, & iam ſatis occupauit*
*Vrna triumphos.*
*Heù! truci quantùm furibunda nimbo*
*Dira fatorum fremuit procella:*
*Luce iam pulſis rutilet ſerena*
*Nubibus Aether.*
*Quid minax fruſtrà tonat ira læthi?*
*Strauit heroem tumulo, ſed orbe*
*Fama decantat, meritoq; ouantem*
*Reddit Olympo.*
*Ingeni lumen, nitor ò decore*
*Vrbis, & rarum iubar ò tuorum*
*Ciuium claris, patrieq; geſtis*
*Inclyta lampas.*
*Vena virtutum, elogijq; torrens*
*Plenior vaſto exuberante Nilo*
*Non ſinè argenti liquidi ſuſurro*
*Qui petis aures.*
*AEqua te Romæ ſtupuere roſtra*
*Tullij cum alto loquereris ore*
*Triſsine, & tota gradereris vrbe*
*Celſior aſtris.*
*Summa te regum coluere ſceptra*
*Te mytræ inſignes, nitidiq; faſces,*
*Et togæ, vt pulchrum diadema crines*
*Cinxit honeſtos.*
*Inter & laudes, ſolidosq; plauſus,*
*Te fauor vexit genialis auræ,*
*Et triumphantem populi per ora*
*Te iubet ire.*
*Eia ſublimes perarato campos,*
*Triſsine, illuſtri redimite lauru:*
*Surge, quid vilis cinis implicatos*
*Diſtinet artus?*
*Ito; quid languor grauis otioſas*
*Comprimit plantas, animosq; nectit;*
*Dedecet pigro generoſa ſaxo*
*Membra cubare.*
*Icari dorſo cecidere pennæ,*
*Quas calor Phœbi nimius peruſsit*
*Merſus in pontum, Icarioq; fecit*

*Nomina ponto.*
*Pegaſo fiſus domitor chimæræ*
*Deſuper celſas equitare nubes:*
*Ima ſed turpi premit arua lapſu*
*Dum petit aſtra.*
*Tu decor Pindi, atq; Heliconis undæ*
*Alta Parnaſsi iuga tranſuolabis:*
*Demigra, quò te ciet auſpicato*
*Fama volatu.*
*Non tibi caſus timor expeditas*
*Compede iniecta cohibebit alas:*
*Soſpitem ſed te Imperialis axe*
*Penna locabit.*

In templo D. Laurentij Vicentiæ.
Ioanni Georgio Triſſino
Patritio Vicentino, Poetæ & Oratori
celeberrimo
Tàm nobilitate, quàm doctrina, & integritate Leoni X.
& Clem. VII. Pont. Max. necnon Maximiliano,
& Carolo V. Impp. alijsq; Principibus
acceptiſſimo.
Legationibus pro Chriſtiana Repub. temporibus difficillimis fœlici
cum ſucceſſu apud eoſdem peractis. Daciæ indè Regi deſtinato.
In coronatione Caroli Imperatoris ad ſacræ pallæ Pontificiæ nitentis
ferendi ſyrmatis munus, inſignioribus Principibus ad hoc
ipſum aſpirantibus poſthabitis, Bononiæ electo.
Aurei velleris inſignibus, & Comitis dignitate pro ſe,
& poſteris ab ijſdem Impp. decorato.
Apud Sereniſs. Remp. Ven. ſępius legati nomine de Clodianis Salinis,
de Veronæ reſtitutione, de pace, deq; alijs negotijs grauibus re ad
votum tranſacta. Sublimiori gradu ſobolis ergo recuſato.
Operibus cum antiquitate certantibus elucubratis.
Rebus ſuis, & poſteris eidem inclytæ Reip: Venetæ ex teſtamento
commendatis, vita religioſiſſimè functo. An. ætatis ſuæ LXXII.
Virginei verò partus M D. L.
Pompeius Cyri comitis, & equitis filius vnicus ſuperſtes, nepos, &
hæres, affineſq; tanti anteceſſoris memores pij, gratiq;
animi M. P. P. An. Sal. M D C X V.

BERNARDINVS
Tomitanus.

# BERNARDINVS Tomitanus.

SIMILE quod iam hiſce noſtris perſcriptionibus opus, vir iſte moliebatur, quod in vulgus etiam cogitabat emittere, niſi dira ipſū lues, quæ anno M D L X X V I. per totam Venetiæ oram miſerrimè graſſabatur, de medio ſuſtuliſſet, ex quo, cùm mũlti ſuorum ſtudiorum frutices interſecti fuere, tùm, quæ literarum monumenta penitùs abſoluerat, poſteà vel temporum fato, vel ſuorum incuria perierunt. Nobis duntaxat fragmenta quædam Italica cernere licuit, quibus noſtratum oratorum laudes comptiſſima oratione perſequitur, vt quilibet ſanè, quantum rei literariæ decus ex ijs additum fuiſſet intelligat, ſi cætera æquè caſta & perfecta in noſtras manus venire potuiſſent. Cęterùm adſpectus dignitas, oriſque lepos cum ingenitæ hilaritatis fulgore, planè huius hominis excelſum præferebant mentis robur, præſtantiſq; indolis excellentiam. Index animi vultus, ac vt animæ vigor in excelſo corporis nitet, haud ſecus ipſa ſui veriſſimas inibi præbet notas. Itaque mellita ipſum orationis facundia, egregioq; actionis decore in exedra perorantem, illa tũc perpetuò admirata eſt ætas, ideòque Patauinis longè omnibus conſeſſus maieſtate præcelluit; erat enim verò ipſius gymnaſium nobile velut emporium, ex quo dehinc Epiſcopi, Cardinales alijq; ornatiſſimi viri ſcientiarum laude florentes, nunquam vberiùs, ac feraciùs prodierunt. Bernardinus Petrella, Commendonus Cardinalis, Zabarella præceptoris Tomitani doctrinam ſcriptis vndequaq; ſuis referunt, cùm ex eius fonte cuncti propè ſuos hortulos irrigarint. Illud in ipſo commendatione digniſſimum, quòd præter ſcriptorum perregrinitatem, ac pondus, in ciuilibus etiam negotijs pereximiè verſatus eſt: pluries enim ad ſui, vel amicorum tutelam in forenſi ſtrepitu exultauit: pluries orando clamores populi, & adludentis turbæ plauſum eſt emeritus; ac interim profeſſione medicus, & philoſophus in Academia patria docendo, vel in vrbe morbis curandis continuò diſtinebatur. Extant ipſius in Auerroe contradictionum ſolutiones, reconditæ, ac multiplicis eruditionis opus. Feruntur etiam Eclogæ quædã de cultu hortorũ, Cloridon, Clonicus puberis (vti reor) ingenij fructus: porrò, & opuſculũ de Idęis, & fuſiores de Tuſca lingua elucubrationes, ac demùm ſcripta logica nondũ edita, doctorũ manibus

paſſim

paſſim trita, perennem ei poſterorum gratiam conciliarunt: nullus fortè in penetrandis Logicæ latebris fœlicior, nullus in eo dumetorum anfractu, captioſaq; argumentorum vertigine doctior, ac ſubtilior: viuens adhuc in Circenſibus lectorum ludis, quorum adhuc vſus in eo gymnaſio celebrabatur, tàm elata vigebat virtutis fama, vt collegæ ſui altercationum doctrinalium iudicium pleruná; ad hunc vnum deferre non grauarentur, quin immò verendus in palæſtra miles, ſi quando congredi cum alio ferebat occaſio, præominatis victoriæ vocibus ab omnibus excipiebatur. Indignationi magis interdùm, quàm par erat, obnoxius, plurimorum ſibi captabat odia, quæ tamen lenitate morum admixta incredibili ſuauitate bonitatis mulcebat. Abſtinentiæ cultor, veſpere tantùm cibum aſſumere, fructuum cuiſcunq; ordinis auidiſſimus. Quo vitæ genere vſq; ad extremum perfunctus eſt, vel quòd obeſitati ſui corporis plurimùm detrahere poſſe arbitrabatur, vel quòd à primis annis in magna rerum anguſtia inſtitutus, temperantiæ characteres, indelebili ſobrietate contraxerat.

## Ex Ioanne Plazzone tumulus Tomitani.

*His artes varias, illis ſapientis honores*
*Attribuit ſummus, qui regit omne, Deus.*
*Sed, quæ diſtinxit multis, Tomitanus abundè*
*Poſsidet ille vnus, qui iacet hoc tumulo.*

## Eiuſdem.

*Cum dotes natura ſuas componeret omnes,*
*Fingeret vt clarum quàm ſtudioſa virum:*
*Te Tomitane, ſuis complexa eſt fortiter vlnis,*
*Et geris in gremio tot bona dona tuo.*



ANDREAS ALCIATVS.

# ANDREAS ALCIATVS.

ALCIATI Mediolanenſis virtus, tàm celebri paſſim encomio decoratur, vt nullius magis carmine, vel oratione recoli mereatur, quàm ſua; fidiſſimus enim, idemq; ornatiſſimus Iuris interpres, antiquata opinionum barbarie, penitiores legum ſenſus mirabiliter aperit, ſcribentium futilitates expungit, ſingula perpetim ad priſcorum Iuriſprudentum inſtituta reuocat, quibus omninò recta capeſſendæ legis ratio fulcitur. Huius propterea veſtigijs hærentes Duarenus, Cuiaccius, Otthomanus, elapſi ſæculi lumina, facem prætulere cæteris eius ſcientiæ ſtudioſis, quò ex Romanorum oraculis æqui, boniq; pondera celerrimè hauriant, longis nunc repetentium ambagibus inuoluta: fœlix herculè incœptum, ſi apud Italos, perindè ac apud Germanos, & Gallos eadem ſcribendi methodus excipi potuiſſet. Verùm quod in iuris doctoribus plerunq; deſideres, is abundè conſecutus videtur, politiorum inquam artium præſidia, quarum ſe bono ſuprà ipſorum vulgus extulit, ideoq; cũctis Italię gymnaſijs optatiſſimus, longè vberem sũmorũ principum munificentiam eſt expertus. Ex Iani Parrhaſij, quem Mediolani coluit præceptorem, ſchola vix exiens, primò ad Auenionenſes, mox ad Bituriges in Gallia, annuo aureorum mille ac ducentorum accitus ſtipendio conuolauit. Indè Ticinum à Franciſco Sfortia reuocatus, ſenatoriæ dignitatis inſignia retulit. Bononiam poſtmodum ſe recepit eidem profitendi iuris oneri addictus, toto prænſante quadraginta virorum ſenatu, eiuſq; fortunas effuſis omnium ſuffragijs cumulante. At rurſus Ticinum Caroli Imperatoris iuſſu reuerſus eſt. Rurſus etiam pẽrẽnibus Herculis Eſtẽſis Ferrariæ Domini precibus abſtractus, ad eius Academiæ ſubſelliũ tranſmigrauit. Tandẽ requietis auidus Ticinum repetens, totius Italiæ propenſiſſima in ſe vnum vota, inibi velut in fatali laborum ſuorum aſylo complenda eſſe putauit. Plurimi in ipſo adhuc viuente tàm variæ perregrinationis inſolitos improbarunt æſtus, quod parem ea mentis inconſtantiam teſtari videretur: propterea vario interdũ ſcõmate ab æmulis perſtrictus, publicam in ſcriptis excuſationem adducere coactus eſt: hæc verò potiſſimùm in teterrimam ſæculi conditionem relata, quo bella vbiq; flagrantia, tutam nulli ſedem, ac præſertim Muſarum cultoribus relinquebant, qui ceù pilæ Deorum, (vt ait Plautus) huc illuc reuolutæ, incertæ ſtationis infandas perpeti ſæpius coguntur ærumnas.

Muniebat etiam ſe præclaro Vlyſſis exemplo, qui diuini poetæ acumine ideò abſolutum ſapientis promereri nomen eſt habitus, quòd varios ille populorum mores, & vrbium conſpexiſſet. At ſui eſto cuiq; genij voluptas. Dominorum porrò gratia pleruncq; allicit, iuſſa vim inferunt, promiſſa circumueniunt, vt idcircò mens doctorum creberrimè irretita, nec ſui compos obrigeat. Præter ingentia, quæ prodidit volumina, illuſtre admodùm cenſetur emblematum opus, in quo certatim inuentio, & iudicium, doctrina, & phraſis, concinnitas, & lepos antiquitatis gloriam videntur prouocaſſe. Ac vel vna de illo ſufficiat Scaligeri acutiſſimi viri ſententia, tale ipſum inter poeticos fœtus exiſtere, vt æquari vltrò cuilibet, dulciloquio, puritate, ac ingenio queat. Obijt decimoquarto inuectæ febris die Ticini, annum adhuc octauum, & quinquageſimum non excedens; anno autem ſæculi M D L I X. in baſilica perhonorificè conditus. Concinnant poſteri eius nomini pæana laudum, ac manibus extruant gloriæ monumenta, nullo ſæculorum delenda curriculo; dum nos etiam ingenuo pudore incomptum hoc elogium, ſacroſancti in literatos obſequij pignus exoluimus. Dignus is herculè ſymbolo quod viuens aſſumpſit, Iaſoni etiam Maino Iuriſperito celeberrimo proprium, hoc eſt Mercurij caduceus inter duo Amaltheæ cornua repoſitus, præfixo titulo, virtuti fortuna comes, ſubiectoq; carmine.

*Anguibus implicitis geminis caduceus alis*
*Inter Amaltheæ cornua rectus adeſt.*
*Tollentes ſic mente uiros, fandiq; peritos*
*Indicat vt rerum copia multa beet.*

Quadrat optimè in Alciatum, & Mainum, qui virtute freti, liuore perdomito, dignitates, & opes ad beatioris vitæ ſubſidiũ ſunt adepti.

## Achyllis Bochij.

*Qua ratione homines rerum caperentur amore*
*Pulchrarum, quondam magnus Ariſtoteles*
*Fortè rogatus: ea eſt cæcorum quæſtio dixit:*
*Et benè; namq; oculi ſunt in amore duces.*
*Ergo tuæ cur tàm capiar virtutis amore,*
*Qui quærat, poſt hac, hic mihi cæcus erit.*

## Ronconij.

*Excipit Alciatum ſtellis Aſtræa ſupernis,*
*Excipit inq; ſuis docta Camæna choris.*

Sis

*Sic populos illinc, pandit pia iura, docendo,*
*Hinc recinens, mores, pollice corda docet*
*Legibus, anuè lyra meliùs ſua gloria præſtet,*
*Neſcio, tàm præſtat legibus, atq; lyra.*
*Ah dicam: Iuris reſonat prudentia plectro,*
*Et prudens plectrum carmina iure canit.*

## Georgij Rotini.

*Humanos varia depinxit imagine mores,*
*Qualia Dædaleus ſigna Canopus habet.*
*Imò etiam Pharias vicit ſolertia formas*
*Alciati, & Nilus symbola quotquot habet.*
*Obſcuris obducta latent Aegyptia griphis*
*Dogmata, at Alciati carmine clara patent.*



ANDREAS VESSALIVS.

# ANDREAS VESSALIVS.

PRÆCELLIT ex omnibus artis chirurgicæ reparator, ac vindex Andreas Veſſalius Bruxellenſis, fœliciſſimo humani generis fato ex patre, auo, atauoq; medicis progenitus; latẽti ſiquidem impulſu naturæ, ſedulam corporũ diſſectioni operam ſpeculabundus impẽdens, tantos vel prima in iuuenta progreſſus fecit, vt, qua circa mẽbrorum ſegregationem induſtria verſabatur; eadẽ coagmentationi, reſtitutioniq́; ipſorum ad miraculũ propè ſufficeret. Teſtatur autem in primis hanc ſingularis excellentiam virtutis præclarum de hominis fabrica opus, anno ætatis vix octauo & vigeſimo elucubratum, quo ſuperq́; obruta veterum anatomicorum gloria, ſibi nomen diuini apud grauiſſimos Reip. literariȩ proceres vindicauit. Ergò Lutetia Pariſiorum è Iacobi Syluij præceptoris gymnaſio Louaniũ vix profectus, præclara cæpit eius artis in ſuggeſto dogmata pandere. Inde admirabili nominis commendatione in Italiam conuocatus, Bononienſem, Piſanam, Patauinamq́; demùm Academiam, ingenij ſui fæcunditate ditauit; quoad Cęſar Carolus quintus, Philippuſq́; eius filius Regum maximus, ingẽtibus ad ſe illectum prȩmijs valetudini ſuæ præpoſuerunt. Cæterùm tantùm hoc decus præcelſa in aula infauſtũ ceſſit homini ex vetere inſtituto à principum obſequijs alieno: quippè iniquis obtrectantium, inuidorumq́; probris notatus, (vt ait Argenterius) quòd à Galeni placitis abhorreret, coactus eſt aliò ſecedere, vicemq́; ſubire tota herclè poſteritate deflendam. Cum enim pietatis æſtu ad ſacra Paleſtinæ, ac Hieroſolymæ vrbis inuiſenda loca migraſſet, rediens poſtmodum cum Iacobo Malateſta Ariminenſi, terreſtrium copiarum Senatus Veneti Duce, efferoq́; pelagi turbine ad Zacynthi inſulæ oram compulſus, vaſta in ſolitudine rerum inops, miſerrimo euentu abſumptos efflauit ſpiritus, propè quinquagenarius; ac mox ab aurifabro, qui fortè illùc paulò poſt appulit recognitus, ne eſca feris fieret, obſcuro in loculo conditus eſt.

## Iulij Ronconij.

*Per te clara tibi Veſſali Anatomia debet:*
*Gymnaſia & debent Itala cuncta tibi.*
*Sed tu non Aulæ debes; dum ſiſtis in Aula;*
*Non tibi certa fides, non probitasq́; manet.*

*Dum*

*Dum loca ſancta pius Solymæ tendiſq́; , rediſq́;*
*Impia te frangit, quæ ſtrepit vnda maris.*
*Siccinè virtutem contemnúnt terra, fretumq́;*
*Et ſatis in tuto non viget illa loco?*
*Ah! ſibi digna gerit ſolum ſe præmia virtus,*
*Nec cupit ima ſolum, quæ premit alta polum.*

## Incerti.

*Qui viuis hominum depinxit membra figuris,*
*Aeternum viuis viuet imaginibus.*



CAROLVS SIGONIVS.

# CAROLVS SIGONIVS.

CAROLVS Sigonius Mutinæ natus perantiquo genere, ac nobili, multùmque naturæ dotibus illuſtris, floruit apud omnes ſingulari doctrinæ, ac virtutis opinione; præſertim verò in vetuſtatis arcanis eruendis, & annalibus abditioribus recolendis, cæterorum ſui temporis facilè princeps eſt habitus. Iuuenis adhuc Marini Grimani Cardinalis ampliſſimi diù generoſam hoſpitalitatem expertus, patriam deinceps affinium precibus ad rei domeſticæ tutelam accitus eſt, vbi ſtatim Franciſci Portij Cretenſis græcarum literarum interpretis tùm defuncti locum obtinuit, ætate licet vix permittente, cum annos duo, & viginti nondum egreſſus diceretur. In dies ergo maiori apud omnes excita ingenij celebritate, factum eſt, vt Senatus Venetus ad Venetam iuuentutem eloquentiæ ſtudijs informandam, ampliſſimis ipſum condicionibus inuitarit. Quam prouinciam cum ex eius ordinis voto, ac ſpe multos annos ſuſtinuiſſet, ipſum dehinc omnes non vmbratili puluere, ac ciuico tantùm plauſu, verùm ampliori multò palæſtra, & laurea digniſſimũ iudicarunt. Patauinam itaq; ingreſſus eſt Academiam, ſeu potiùs celeberrimum bonarum artium emporium, in doctorum omnium conſpectu, ac luce humaniorum literarum ſtudia tractans, vbi verè multos per vtriusque fortunæ flatus expertus eſt, nam cùm Robortellum ſortitus eſſet collegam, virum vt inanis gloriæ percupidum, ità Sigonio non diſſimulanter iniquum, nunquam deſtiterunt inter ſe odioſis altercationibus conflictari etiam ad gladios vſq;, vt propterea quidam dictitaret Aiacis, & Vlyſſis certamina tot ſæculorum curriculo obruta, tunc temporis multò acriùs renouari: iocans in eo, quòd Sigonius breui licet corpore, mentis tamen vigeret præſtantia, alter vaſtæ molis homo, veris prudentiæ ſubſidijs carere videretur. Ac ſanè illud in hoc homine mirabile ſemper fuit, quòd innumeris Robortelli obiectis, magno ſatis volumine comprehenſis triduò reſcripſit, propria ſententia centum circiter paginis exarata; eo autem verborum lepore, ac flumine, vt Romanæ prorſus magniloquentiæ referat speciem. His igitur egregiè depulſis inuidiæ fluctibus, cum iàm ipſe vnus in tota Italia magnam eſſet nominis gloriam conſecutus, præter omnium expectationem, ad Bononienſe tranſijt Athenæum. Ita enim ſubtiliorum animis comparatum eſt, vt, ſicut in hoc naturæ geſtientis theatro, mirum in modum eos oblectat ſedula tot en-

tium

tium contemplatio, ita locorum varietati mens quaſi peregrina inhiet, ac humanum exoſa domicilium ſuo fato trahatur ad repetenda ſuperùm orbium clauſtra, vnde ſemel corpori eſt immiſſa. Moratus autem Bononiæ plures annos, humanitatis inibi vices expleuit, ſed multò citiùs, quàm vel vitæ modus, vel ætatis ferrent incommoda, clandeſtini cuiuſdam angoris impetu exanimatus. Hunc eò notabilem euentum referunt, quòd cum à Tullio paſſim ſui cuiuſdam opuſculi de Conſolatione fiat mentio, quod adhuc hominum oculis non illuxit, cecidit in mentem Sigonio ambiguo fortè nimis auſu, extremas ingenij vires experiri, ac libellum ſuamet opera confictum ſub Ciceronis titulo emittere; in eo ſiquidem, affectata Tullianę dictionis excellentia, facilè futurum putauerat, vt à doctorum vulgo inter genuinos Tullij fœtus reciperetur; inde verò patefacto errore, lepidam omnes auctoris induſtriam, præaltosq; niſus admirarentur. Ceterùm ſtatim ac eiuſmodi liber prodijt in lucem, ad varios alliſit ſcopulos, variosq; ſortitus eſt criticos, qui ipſum perſonatum adgnoſcerent; in primis autem Antonius Riccobonus vir inter eximios non ignobilis, accuſatoris munia ſubiuit, ac diſertè oſtendit opus illud omninò ſpurium, nec vllo pacto Ciceroni adſcribendum; fucoſum nempè ſtyli genus, & adſcititiam rerum vim, oneroſamq; vbertatem redarguens. Hinc factum, vt Sigonius eas incaſſum, ac futilè initas à ſe vigilias animaduertens, & aduerſarij ſtudio ereptam ſibi auguratæ gloriolæ ſpem, quin etiam duriorem hac de re ſenſum hominum mentibus obrepſiſſe, morboſum animi contraxerit æſtum, quò deinceps alijs vel increpantibus, vel etiam miſerantibus eſt ſurreptus.

## Iulij Ronconij.

*Vincere tàm potuit volucres Sigonius annos,*
*Quàm fuit hiſtorias perpetuare potis.*
*Stamina, quæ ſcribens duxit, non parca reſoluet,*
*Contextæ ſolide ſtant adamante notæ.*
*Non dolor vllus adeſt, poſſit qui lædere vitam,*
*Quam validam virtus non moritura tenet.*
*Deficiat caſu compreſſum corpus iniquo:*
*Sorte ſua ſtabili fama decora viget.*



FRANCISCVS
Robortellus.

# FRANCISCVS Robortellus.

HÆC contractæ frontis grauitas, hæc palpebrarum conniuentia, cum nutantibus oculis, biffida, & lata barba, oneroſaq; totius corporis mole, vtiq; Franciſcum Robortellum Vtinenſem inſpectantibus referunt. Spirat adhuc efficta oris imago turgidam mentis ferociam, & effrænem ciuilis auræ cupiditatem, quibus ipſe ambabus, vſq; ad ludibrium perpetuò conflictatus eſt. Nullum æquè vario ſortis turbine ad ſublimiora prouectum: nullum in ſecundis elatiorem, aut in aduerſis infractiorem inuenias: viuida quadam indole, animiq; ardore inſurgebat erectior, cùm inuerſus, ac proiectus ab omnibus habebatur: vt re vera oſtenderit fortunam tanquam fœminam præclaris virorum conatibus cedere, ipſamq; in humanis ſubditam, non dominam, vnis rationis viribus ancillari. Quis non admiretur ipſum Lucæ homicidij conuictum, ideoq; publico edicto exilij pœna multatum, dehinc Piſis perhonorifico iudicio ad primam Eloquentiæ cathedram eſſe traductum? Quis non admiretur exinde ipſum ad illuſtriores Italiæ Academias certatim refertiſſimis præmijs accitum, quas triginta ferè annorum ſpacio, immortali cum gloria peragrauit? Ac tamen interim multa, quæ in alijs notata, eos ad imum fortè præcipites habuiſſent, ipſum de ſummo honore, nec vlla ex parte deijcere potuerunt. Inerat in homine peracris obtrectandi libido, ſummaq; in doctos omnes iniquitas, quos cùm pares ferre non poſſet, continuis proſcindebat conuicijs: eximio ſcilicet florens ingenio, ſibiq; plus, quàm par eſſet, indulgens, procaciori ſtudio popularium affectabat obſequia. Hinc Sigonio ſemper infenſus, vt quem acerrimum ſortitus erat æmulum induſtriæ, laboris, ingenij. Cum Alciato pariter, alijsq; clariſſimis eius æui luminibus, internecinas propè ſimultates exercuit. Quò factum, vt ſemel Venetijs Baptiſta Egnatius optimus, ac doctiſſimus vir crebris ab eo laceſſitus iniurijs, educto ſenili gladiolo, in eum impetum facere non dubitarit. Nihilò ſe propterea vel ignauior, vel inſulſior ingenitos numquam faſtus depoſuit: præſtanti virtutis fama, veluti Achyllis clypeo tectus, omninò alacer inhiabat literariæ contentioni; qui enim Lucæ primùm, mox Piſis, inde Venetijs, & Patauij, ac Bononiæ, iterùmq; Patauij, publicam mitiorum artium prouinciam nobi-

nobiliſſimè ſuſtentarat, indecorum, ac turpe rebatur eſſe, ſi non pro viribus Muſarum ſibi ſtudia illuſtranda, innouanda, ſoluendam errorum caliginem, prodendam annalium veritatem cum impoſtoribus multis, alioq; ſelectiori doctorum agmine ſuſcepiſſet. In hoc tamen tanto naturæ vigore, illud poſteris mirandum reliquit, quòd cum Bononiæ rogatu Hiſpanorum, Caroli Quinti Imperatoris laudes, funebri oratione perſecutus eſſet, in ipſo dicendi exordio collapſus animo, ſenſibusq; turbatus, haud ampliùs coactam orationis ſegetem expandere potis fuit: ex quo peręgris audientium nictubus, & obſcuris omnium ſermonibus exceptus eſt. Næ tu parem caſum cum Porcio Latrone olim diſertiſſimo viro, & Ioanne Faſeolo, ac Soncino ſeniore coętaneis tuis omninò ſubijſti.

In clauſtris Diui Antonij Patauij.

Franciſco Robortello Vtinēſi Rhetoricæ artis, Moraliſq; Philoſophię profeſſori clariſſimo, qui in florentiſſimis quibusq; Italiæ gymnaſijs, magna famæ celebritate triginta totos annos publicè docuit,
Natio Germanica præceptori
benemerito in perpetuam
grati animi memoriam
vnanimis.

P.

Vixit an. L. Menſ. vi. Dies ix. Obijt xv. Kal. April. M. D. LXVII.

Ioannis Plazzonis.

*Si qua recordanti veterum præcepta virorum*
*Grati animi ſemper maxima lætitia:*
*Robortelle, tui tàm clari nominis, omnis*
*Græcia perpetuò ſtat, Latiumq; memor.*



IVLIVS CÆSAR SCALIGER.

# IVLIVS CAESAR Scaliger.

QVÆ ſingula cęteris non vulgarem parare ſolent nominis claritatem, ea dulci quadam coniuratione in vnum coiuêre Scaligerum: nitor ſermonis, linguarum eruditio, iudicium acerrimum, mens altiorum omnium indagatrix, Poeſis, & Orationis præſtantia cum doctrinarum propè incredibili iuncta varietate, quibus verè omnem ad ſe trahit poſterorum admirationem. Neq; verò hiſce duntaxat togæ, ac pacis artibus florens, verùm etiam ſagi, ac rei militaris peritia vſq; adeò inſignis, vt Magiſter equitum Rauennati prælio penè confoſſus, & obrutus per diem totum ſub ingenti cadauerum tumulo delituerit, ex quo deinceps ab Imperatore Maximiliano equeſtribus donatus inſignibus, plura quoq; alia virtutis bellicæ retulit ornamenta. Extat perelegans filij Ioſephi libellus de Scaligeræ gentis nobilitate, quò pluribus contendit ſuorum originem ad veram Scaligerorum ſtirpem referre, quem ego nec reiecerim, nec admiſerim, quòd ſuperq; nimia rerum humanarum viciſſitudo cunctis ſit obuia, deq; altiſſima ſede plurimos ad imum rerum ordinem deuolutos, tùm vetera, tùm recentia ſuggerant exempla. Aduerſus tantùm Cæſari noſtratium eſt rumor, quem ex tenui foco, nullis maiorum titulis aſſerunt emerſiſſe. Vtcunque verò ſe habeat, illud eſt proditum, Venetorum cohortes per agrum Veronenſem bacchantes, & Scaligerorum germina radicitus euellere cupientes, fortè edoctas de nupero infantis natali, in caſtro Ripa ad caput Benaci, repentè conuerſis ad eius necem animis caſtrum illud acerrimè inuaſiſſe, quod eis tamen ex voto non ceſſit, cùm mater iam ſingulari prouidentia, tuente natum gremio, fuga ſibi conſuluiſſet. Vide compendiariam ſuæ vitę narrationem in epiſtola Iuſti Lipſij epiſtolis adnexa, quam ipſe poſtremam artrithide morbo præpeditus dictauit, quo etiam confectus eſt; ac longè plura in allato Ioſephi libello de ipſius genere, moribus, indole, ac vtraq; fortuna exarantur. At verò excelſa eius animi bona externis haudquaquam ſubſidijs eguerunt ad gloriam: abundè ſatis vir doctus pulcherrima virtutis ſpecie, cunctorum in ſe ora, oculoſq; conuertit, quæ ipſum æternæ perennitati tradere apta eſt. Miretur quiſq; ipſius ſcripta nobiliorum quarumq; artium, peracri ab omnibus ſtudio euoluta. Miretur in ijs

beatiſ-

beatiſſimam ingenij fæcunditatem, ac mirificum diſſerendi robur cum dictionis ornatu, ac lepore. Miretur nobiliſſimum de Poetica opus, & Exotericarum exercitationum volumen de ſubtilitate contra Cardanum, ex quibus vtiq; fulget peregrina eruditi hominis excellentia, quam venerari profectò, non æmulari fas eſt. Hoc vnum in eo quiſpiam deſiderarit, vt Medicorum hortulos pari quoq; irrigaſſet induſtria, ſiquidem conſtat ipſum ſedatis bellorum fluctibus, totum ſe poſteà Medicinæ ſtudijs addidiſſe, quam Agenni etiam, quæ percelebris Aquitaniæ ciuitas, honorificè profeſſus eſt. Quin etiam ſcholaſticæ Theologiæ dogmata plurimùm calluit, quam nihilominus nullo exornauit opuſculo. Ceterùm medicis fortè ſatisfactum luculentis in Theophraſtum cōmentarijs de plantarum natura, & in Hippocratis libellum de Somnijs. Quòminus autem in ſacris inſudauerit ſcriptis, illud obſtitiſſe reor, quòd cum olim ſe Frāciſcanorum cætui aggregarit, vbi prima illius ſcientiæ hauſit rudimenta, mox ab ipſorum abſtractus conuictu, tàm contumaciter abnuit violatæ profeſſionis memoriam, vt quos exinde hauſerat veræ ſapientiæ fructus, tetriore dehinc ſilentio voluerit diſſimulare. Statura fuit procera, facie ſubrigida, & oblonga barba, crinibus aureis, charopis oculis, habitu corporis graui, conſtanti, ac vegeto, qualem octuagenarius propè ſeruauit. Animo ad iactantiam prono; ſibiq; nimiùm indulgenti de ſe omnia polliceri. Moroſus alioquin auiti decoris aſſertor; at Delphica potitus lauru, obijt Agenni, filio Ioſepho ſolertis, at multò imparis ingenij relicta laude.

## Antonij Percini.

*Dum grauis Hæroos molitur Cæſar honores*
*Et ſua cuiq; ſerit facta, genusq; Duci*
*Ipſe vbi ſit dubito: Genios nam verſus in omnes*
*Haud vna meruit ſede tenere locum.*

## M. Antonij Mureti.

*Dic, Dea, quod poſſim ſcripturus fingere nomen,*
*Scaligeri quod par laudibus eſſe queat?*
*Cur petis imprudens, quod habes? dic, Scaliger: illud*
*Omnia virtutum nomina nomen habet.*

## Aliud.

*Dicite mî, Muſæ cultiſſima numina nobis,*
*Quonam Scaligeri paſcitis ora cibo?*
*Sic ego, ſic Muſæ: quàm te ſententia fallit?*
*Nectare quò potiùs nos alat ipſe, roga.*

## I. Cæſ. Saligeri de ſe ipſo.

*Extulit Italia: eduxit Germania: Iulij*
*Vltima Scaligeri funera Gallus habet.*
*Hinc Phœbi dotes, hinc duri robora Martis*
*Reddere non potuit nobiliore loco.*






CORNELIVS MVSSVS
Epiſcopus Bitontinus.

# CORNELIVS MVSSVS Epiſcopus Bitontinus.

QVIS credat exiguis naturæ cancellis, anguſtiq; corporis ergaſtulo, tantos occludi potuiſſe ad eloquendum impetus, vt animos, quocunq; libuerit, impelleret, ac effrænes affectus mananti orationis flumine deliniret? Præſtantioribus Italiæ templis eius nomen creberrimo exceptum plauſu, viget etiamnum ad ſeram tranſitura poſteritatem gloria. Iſocrates Italus doctorum propè omnium iudicijs habetur. Neque robur Demoſthenis, vel Tullij vbertatem, & Curtij lepores, aut in ipſo Liuij maieſtatem deſideres: miro quodam confluxu coeuntia naturæ munera, hunc velut Oratoriæ facultatis exemplar videntur effinxiſſe, vel Sadoleto, ac Bembo teſtantibus, qui ei Romæ conciones habenti, cum ſe quotidiè auditores præberent, tùm primas hoc in orandi genere, illuſtri encomio deferre conſueuerunt. Hic Patriam ſortitus Placentiam, matris (vt ferunt) ſæuiſſimo partus dolori ſuperſtitis voto, Franciſcanorum familiæ dicatus eſt. Zimaræ dehinc Philoſophi pernobilis doctrina, & præceptis imbutus, Patauij Theologicas pariter hauſit ſanctiones, vt mitiorum etiam literarum præſidia, eadem in luce diutiùs compararat. Nulla ſuarum laudum ei vix ephebo in omni frequentia, admirabiliorem adſciuit gratiam, quàm ſingularis, ac propè diuina memoriæ vis, qua perſæpè innixus docentium lectiones verbo reddere, ſiue ſacros clauſtralium ſermones repetere, ſibi reputabat in ludicris. Hinc factum, vt funebribus cuiuſpiam encomijs inopinatò dicendis, vel ſanctorum facta ſtatis diebus, præpropero patrum ſuorum monitu celebrandis, præter Muſſum ſufficeret nemo. Ità incredibili verborum, ac ſententiarum copia, illos mentis ardores, illam eloquentiæ ſpeciem referebat, quæ patrum noſtrorum in ſcriptis, vt excellenter proponitur, ſic rariori æuo à ſe fortè agnitam quiſq; teſtari poſſit. Semel quidem Mediolani Franciſcus Sfortia, cum audiſſet orantem in pergamo, Ticini mox voluit ſuſpicere docentem in exedra, diùq; diuinæ Philoſophiæ dogmata explicantem. Eo verò demortuo, Bononiam ingenti honorario pertractum, nepotis ad aulam Farneſius Pontifex Paulus Romam acciuit: inibi quadriennio Theologi, ac Oratoris ſacri munere perfunctus: inde Bertinori, mox Bitonti antiſtes electus: Germaniam ad ſuadendum Ferdinando Impera-

pera-

peratori concilium tranſmiſſus: ad id porrò Tridenti illa totius orbis celebritate initum, Iulij tertij, mox Pij quarti Pontificum nutu bis profectus, diſputatoris, arbitri, examinatoris ſuſceptam acriter prouinciam exercuit: aurea quinetiam ſextæ ſeſſionis de iuſtificatione decreta, huius in primis opera excuſſa, digeſtaq; fuere. Optimè autem de his Eccleſiæ rebus promeritus, Pontificum etiam diù quotidianum ferè adeptus conuictum, cum Romana in curia, gratia, & auctoritate cæteris anteiret, communi literatorum fato liuoris tetròs expertus aculeos, deſtinata ſibi honorum faſtigia non attigit, mortis inſuper bonorum inuidæ ſuperuentu.

## Incerti.

*Cornelius ſancto Franciſci ex ordine Diui*
*Muſſus, deuotus Mitræ ſubiecit hianti*
*Antiſtes crines, clara Bitontis in arce,*
*Fudit hic ad populum, plena intra templa coactum*
*Flumina verborum tonitru referentia terrens.*
*Arbiter hic Synodus colitur dum ſacra Tridenti*
*Additus eſt numero ad ſtantum, hic collegit in vnum,*
*Quid faciat iuſtas animas, tractantia ſcripta.*
*Farneſias verò delectus Epiſcopus ædes*
*Inſedit, magnis affectus honoribus. Inde*
*Quà præceps tumido Ticinum deuoluitur amne*
*Sfortia dum Inſubres populos ditione premebat*
*Franciſcus, cathedris diuinam ſparſit ab altis*
*Doctrinam, & cæli ſecreta interna recluſit.*
*Hic demùm, cuius fuerat non grandior ætas,*
*Romanis animam ſupremam afflauit in aulis,*
*Eſt tamen eloquij celebris ſed fama ſuperſtes.*

## Iulij Ronconij.

*Si te Muſſe, Salem, celebrans tua nomina, dicam,*
*Tu condire ſoles pectora noſtra ſale.*
*Et ſi te pariter nitidum appellauero ſolem,*
*Tu pia cæleſti lumina ſole geris.*
*Omnigena virtute micans, probitate refertus,*
*Dona ſalis cumulas, munera ſolis habes.*
*Doctrina, exemploq; docens oſtendis in orbe*
*Sal hominum vitam, ſolq; ſalutis iter.*

Geor-

## Georgij Rotini.

*Increpat, & populos compellit ad ardua Muſſus*
*Atq; alacres vrget cælica caſtra ſequi.*
*Sed nihil ille iubet, quin Chriſti ſigna ſecutus,*
*Auſpice Franciſco, magna per auſa tulit.*
*Publica nimirùm dicenti concio paret*
*Cum prius, Orator, quæ docet, ipſe facit.*

## Ioſephi Mariæ Ciriæ.

*Cum olim Muſſe tuis reſonarent pulpita labris*
*Pectora traijceres, fulmineaq; face:*
*Ferrea, & auriferis religares corda catenis,*
*Eloquium gentes obſtupuere tuum.*
*Ingenium Imperiale tuo dat maius honori*
*Nunc decus, & fari poſt quoq; fata iubet.*



IOANNES FERNELIVS.

# IOANNES FERNELIVS.

NEMO ſuæ tempeſtatis medicorum Ioanne Fernelio ſpectabilior, atq; illuſtrior fuit: nemo ſubtilius artis ambiguæ ſanctiones ad ſolidiora naturæ parentis exordia reuocauit; vt iccircò Gallorum Hippocrates, ſublimi celeberrimæ orbis Academiæ iudicio vocaretur. Hic vel grandior natu inuitis parentibus è Claramontio oppidulo, vbi genitus, Lutætiam Pariſiorum ſe conferens, grammatica, & rhetorica rudimenta, in Iacobi Strebei viri tunc eloquentiſſimi gymnaſio celerrimè hauſit: inde ad phyſicas, & medicas, mox & mathematicas ſpeculationes conuerſus, tàm alacri mentis impulſu ſingulorum apices colluſtrauit, vt qui primùm inauſpicatò, ac intempeſtiuè literas ab æqualibus ſectatus dicebatur, dein præceptoris omnium lectiſſimi munere decorandus proponeretur. In mathematicis præſertim excelluit ſuprà quã homini medico ſit neceſſe; quandoquidem primæ iuuentæ annis, tanto ſe illarum cultui deuouit ardore, vt miniſtros domi alere, multa opificiorum genera innouare, ac filiorum iacturæ oblitus, rei domeſticæ ne hilum quidem parcere conſueſſet: donec illum tandem Senator Pariſienſis eius ſocer, ab effræni hoc inutilium alioquin ſtudiorum æſtu, acri ſuaſu, ac obiurgatione diſtraxit. Cæpit ab hinc medica mereri ſtipendia, ſolicitus in docendo, ac profitendo: cæpit ciuicis titillari plauſibus, etiamſi habitu ſeuero, cogitabundo, ſubtriſti, ſquallentiq; obtutu, & colore plumbeo, ſummopere à glorię popularis tentigine cenſeretur alienus. Etenim Henricus II. Gallorum rex inclytus, ipſum in regiam euocatum, propriæq; ſaluti prefectum in ſuſcepta bellorum aduerſus Anglos peregrinatione, perpetuum ſibi comitem voluit, cuius ope ſibi certò vitam propagatam iri opinabatur. Hinc miræ ipſius in aula, in gymnaſio, in vrbe, in Gallia tota auctoritatis fomes: hinc ipſius apud exteros quoſq; perennata celebritas, quæ libris ſubindè in re phyſica, & medica varijs confirmata eſt. Verſantur in omnium manibus, luſtrantur & oculis ſtupenda eius artis dogmata, ſuperbo, at non damnando auſu ad Gręcorum, & Arabum ſugillationem conſcriptã. Verè ſicuti nil dulcius eius oratione Tullianæ propemodum dictionis æmula, ità nil præclarius ſententijs humanæ ſalutis pręſidia inculpatè tuētibus: immenſa propterea eaſdem ſectantium cohors, per totum propè diffuſa orbem, vel ipſius interdum Galeni verēdæ vniuerſitati præpōderat. Quò magis deridendus videbatur Flexelius

lius Pariſienſis medicus, qui contumaces viuenti Fernelio lites indicere, atq; infauſta ingenij contentione laceſſere geſtiebat: ſed citò auerſis ab eius quæſtiunculis doctorum animis, in frequentibus obſtrepentium vndiq; iuuenum conuentibus expunctus eſt. Ac ſi egregiam virtutis opinionem, licet ex inuſitata lucri medici æſtimatione metiri, ſanè hic referente Plantio eius diſcipulo, congerere quotannis decem, ac duodecim librarum Gallicarum millia conſueuerat. In quò eius æui pauci ac fortè nulli hunc, præter vnum Iacobum Carpenſem anteceſſerunt, qui ex Fallopij teſtimonio, quadringenta aureorum millia præter cælatam argenteam materiã, vſu'inunctionis hydrargiri ab ſe inuentæ collecta, Alphonſo ſecundo Ferrariæ Duci ex teſtamento reliquit. Ita dare Galenum opes vetere, ac recepto adagio comprobatur. Verumtamen in eo videtur iniquior tanto viro contigiſſe fortuna, quòd imbecilla ſanitate ex ſtudiorum vigilijs potitus, lienoſus, decolor perpetuò vixit; vnde ſuæmet amariùs indulgens indoli, conceptum ex vxoris obitu dolorem diutiùs tolerare non potuit; trigeſimo namq; ab ea ſurrepta die, adaucta eius viſceris inflammatione, vrgenteq; febre, ac interiori morbo exanimatus interijt, anno M. D. LVIII. quinquageſimum, & ſecundum ætatis non tranſigens: quod eo notatum ſalſi poetæ diſtichon.

*Coniuge Fernelius rapta perculſus, vt aulæ*
*Vt lucis ſatur, vt nominis interijt.*

## Iulij Ronconij.

*Ferneli, haud mirum, facie ſi pallidus extas,*
*Te nimis ab' ſtudium, te nimis vrget amor,*
*Dimanat ſtudio pallor, dimanat amore,*
*Te ſtudio Pallas, Vxor amore tenet.*
*Dum famam ingenio longum producis in æuum,*
*Languet vita ſtudens, vitaq; languet amans.*
*Languore opprimeris gemino ſtudioſus amator*
*Te cerno ſtudio, cerno & amore mori.*

## Renati Geruaſij.

*Hippocratem natura parens mortalibus olim*
*Edidit, ipſa ſuum quò retineret opus.*
*Hoc duce longa fuit, magna ratione medendi,*
*Vita hominum. Tandem Ferneliumq; dedit:*
*Quo medico doctore volat tua, Gallia, gentes*

*Fama per ignotas. Omnibus ille ſalus.*
*Iam verò ipſe Deus, longos vt carperet annos,*
*Fernelium & terris, quem dederat, rapuit.*
*Priſca ætas illum Naturæ laudibus; ijſdem*
*Noſtra celebrabunt ſecula Fernelium.*

## In eundem.

*Hippocrates moriens arcanum credidit artis*
*Fernelio: huic fama par ſit, & ingenio.*



LAZARVS BONAMICVS.

# LAZARVS BONAMICVS.

EXÆQVAT loci natalis amœnitatem effloreſcentis ingenij vigor, quo præſtitit Lazarus. Patria fuit Baſſiano lætiſſimo Taruiſini agri oppido, quod Medoacus flumen alluit, & ſiluarum, collium, hortorum varius interſtinguit aſpectus: cuius hilaritate Merlinus ille luſorij carminis auctor delectatus, longa poſt otia, Muſis ac fatis extrema inibi perſoluit iura: viſitur enim adhuc eius ſepulchrum in Eccleſia Monachorum Caſſinenſium, quorum ex albo prodijt, hoſpitibus atq; exteris curioſum. Vir hic agrorum cultui à parentibus deſtinatus, qui hoc induſtriæ genere anguſtiæ proſpiciebant ſuæ, abreptus eſt haud ità ſæuientis fati munere ad literarum ſtudia, in quibus arcana quadam indolis prærogatiua, vberes adeò iucundiorum multò ſegetum parauit cumulos, vt ſatur gloriæ, pertenuiſq; fortunæ vindex, in Italica ingeniorum palæſtra, longè clariſſimus verſaretur. Calphurnio, & Muſſuro præceptoribus in latinis, & gręcis literis vſus, in phyſicis Pomponatio, dubium reliquit, veriusne ipſis decus reddiderit; quàm acceperit. At herculè vt non ſe abdidit in penetralibus Philoſophiæ, cuius faſces vltrò cæteris deferat, ita latinæ orationis nitore, cunctis eius æui dicendi magiſtris, eruditorum omnium calculis antecellit. Patauium itaq; ad mitiorum artium profeſſionem in gymnaſio tranſuectus eſt Roma, vbi cum in nobiliſſimo Reginaldi Poli contubernio, rerum ingentium ſpe ſolicitus moraretur, potuit miſerrimæ direptionis ſpectator eſſe, quàm immani rapacitate Carolus Borbonius Hiſpanorum Dux militum, in vrbe inexpectatus exercuit. Refertam enim inſignibus auctoribus bibliothecam, anxio, diutinoq; ab ſe conflatam ſtudio, eodem impietatis furore, detractam ſibi, & conuolutam teſtatur. Cæterùm Patauina in luce, ſingulare virtutis præconium apud omnes nationes emeritus, Tulliani affectatione ſermonis cùm maximè ſpectabilis habebatur, adeò vt plurimi ex eius ſcriptis purę ſincerę́q; locutionis idęam, æquè ac ex veterum fontibus auidiſſimè haurirent. Huic tamen celebritati virtutis impar eſt ſcriptorum paucitas, quæ ſint poſteris obuia. Præter epiſtolas miſcellaneis illuſtrium virorum nonnullis inſertas, vagantur manuſcripta quædam, & orationes diuina verè ſtyli fœlicitate pluribus antiquorum æquandæ. Nunquam adduci potuit, vt viuens aliquid ſui, vel proſa, vel verſa oratione, cuius etiam non caruit laude, typis excuderet, cum præcellens vtriuſq. facultatis character in Ciceronis, vel Virgilij ſupereſſe fœtubus dicer-

ret, quorum ad lancem vt incon cinnæ, vt incomptæ, ſic futiles, nec perenniori æuo dignæ noſtratium elucubrationes viderentur. Eodem popularis, exteriq; faſtus contemptu, ſic Venetorum indulſit imperio, quorum ornabat Athenas, vt vel ampliſſima Bononienſium ſtipendia, XL. virorum ſibi delata ſuffragijs, vel Clementis VII. oblatæ ſibi per Hieronymum Aleandrum Legatum honeſtiſſimæ vitæ condiciones, vel Ferdinandi Regis octingentorum Pannonicorum nummûm honorarium, nequiuerint ipſum ad alterius aſpectum cæli validius inuitare. Quæ igitur puberi extitit inſtitutionis, honoriſq; ſedes, eadem ſenis præbuit oſſibus loculum: iuſto quidem euentu, quâdo denegatos iuuenum genio animi ſui, ſiue ſuorum operum fructus, fas eſſet illuſtri, pernobiliq; ſui corporis monumento penſare.

## Iulij Ronconij.

*Non clarum Bonamico ineſt*
*Natale in proprijs quod laribus micet.*
*Vero nomine nobilis*
*Virtute, & meritis ſe propijs vehit.*
*Pulchris fulget honoribus*
*Titan, qui roſeus ſtat radijs ſuis.*
*Hic non ex alijs ſuos*
*Fulgores recipit, verùm alijs gerit.*
*Quamquam lilia fœtidis*
*Ex herbis veniant, attamen albida*
*Candorem nitidum tenent,*
*Laudanturq; ſuis vndiq; odoribus.*
*Sic auri ſpeciem ferunt*
*Ex tetris tenebris viſcera ſoli,*
*Quod cunctis radians placet,*
*Regaliq; mouet lumine pectora.*
*Hic præſtans animo exhibet,*
*Quod ſe flammiferum condecorat iubar:*
*Hic ſplendere ſuo mouet*
*Summorum egregius pectora principum:*
*Et tantis veritus viris*
*Iſſet conſpicuis vectus honoribus.*
*At non ambitio mala*
*Illi cor agitat, non amor æſtuans.*
*Immò nec ſibi ſe cupit*
*Scriptis perpetuum reddere viuidis.*
*Sed mens attamen ignea*
*Sedem cum rutilis ſideribus capit.*



BERNARDINVS TELESIVS.

# BERNARDINVS Teleſius.

NEQVE verò inuoluenda ſilentio nobis eſt Bernardini Teleſij Coſentini memoria, qui præualido mentis conatu phyſica peripateticorũ principis dogmata cõuellere auſus, ſumma eius ætatis ingenia cunctis ferè in orbis gymnaſijs concitauit. Is proauis genitus nobilitate, ac literarũ nitore fulgentibus, puer adhuc Mediolanum ad Antonij patrui raræ doctrinæ, ac integritatis contubernium profectus eſt: inde porrò vnà cum ipſo, decimoſeptimo ætatis anno Romam ſecedens, in illud incidit tempus, quo ciuitas Borbonij Ducis nequitia ſpoliata, execrabile Pontificis, ac rerum omnium ſpectaculum præbuit; communi verò ſuccumbens tunc fato Teleſius à militibus captus, bimeſtre carceris incommodum pertulit, donec Bernardini Martiriani ciuis ſui, principis Aureliani Borbonio nuper defuncto ſubrogati à ſecretis patrocinio eſt exemptus. Ab hoc infortunio Romanum exoſus cælum, ad Patauinas ſe contulit Athenas, vbi ſedulò Mathematicarum addictus ſtudio, ac potiſſimùm opticæ, noua, inexcogitata, imperſcrutabilia propè quamplurima detexit: in Philoſophiæ pariter indagine non acquieſcens Ariſtotelis diſſertionibus, inuentorum ſuorum iacere cæpit ſemina, quæ fauorabili doctorum perflata calore, fructum ſubinde veritatis amatoribus haud inſuauem pepererunt: longè ſiquidem planiori, ac munitiori via hic videbatur incedere, quàm ſophiſtæ aliqui iam tùm in Ariſtotelem debacchati, quorum corypheus Petrus Ramus, cuius opera tetro adhuc obliuionis carcere obruta, ſuſcepti incaſſum, ac temerè facinoris pænas luunt: Ceterùm Patauio Romam reuerſus, cum Vbaldino Bandinello, & Ioanne Caſa Archiepiſcopo Beneuentano doctiſſimis viris, obſtricto neceſſitudinis vinculo, magis, magiſq; ad inchoatę perfectionem philoſophiæ vtriuſq; vocibus eſt impulſus. Itaq; Coſentiam ſe referens, cum Diana Serſali nobiliſſima fæmina inito matrimonio, tres poſtmodum ſuſcepit maſculos, quorum tandem ſuperſtes vnicus, defuncta matre potuit grandior factus, Bernardino literarium quærenti otium, oneroſam domeſtici negotij molem ſubtrahere. Vnde factum, vt is in ſilenti luco ſe propè Coracem fluuium abdiderit, vbi celato Muſarum ſiluas, nemoraq; colentium numine percitus, & amena inſuper viridantis, exultantiſq; naturæ illectus facie,

cie,

cie, bina de rerum naturalium principijs volumina, aliaſq; rerum phyſicarum tractatiunculas elucubrauit, quæ ſingula mox edita, & anxio Neapolitanæ iuuentutis excepta ſtudio, ipſum ad eam vrbem accedere coegerunt, quò adſpectu ſuo hæſitantium plurimos iuuenum erigeret, firmatos tueretur, abditoſq; rerum præclariſſimarum ſenſus omnibus aperiret. Itaq; ab eo die excita inibi fuit Academia, in qua ſingulari contentione, nominatim Teleſiana Philoſophia aduerſus Ariſtotelis placita propugnata, diù etiam vel auctore demortuo floruit, licet deinceps bellorum viciſſitudinibus intermiſſa potiùs, quàm euerſa. Tandem Neapoli melancolico agitatus affectu, indeq; Coſentiam filij pietate tranſuectus, poſt annum, ac ſemis ecſtatico quaſi ſtupore præpeditus migrauit è viuis octuagenarius, redempti Octobris anno M D LXXXVIII. cum ſe anteà Thomæ fratris Archiepiſcopi Coſentini ſacris manibus eiuſdem tumuli gremio iungere concupiſſet.

## Iulij Ronconij.

*Doctrina inſigni, mira & Teleſius arte*
*Dogmata Ariſtotèlis vincere docta putat.*
*Nititur at fruſtrà: puris fulgentior aſtris*
*Emicat è tanto litera ſcripta ſopho.*
*Sed potis ingenio, ſaltem celebrandus abibit,*
*Aemulus in tantum qui tulit arma virum.*
*Cedere non turpe eſt, ſed contendiſſe decorum,*
*A' victore decus ſic benè victus habet.*



ALEXANDER
Piccolomineus.

# ALEXANDER Piccolomineus.

EFFERBVIT mirè ingenium Alexandri Piccolominei Senenſis in cogendo ſub Etruſcis vexillis agmine ſcientiarum omnium, quò intentato aliàs facinore, immortalem ſibi pararet in Italica celebritate triumphum. Memorabilis profectò induſtria, niſi trito proteri ſermone rerum apices prçclariſſimarum, eſſet contemptum ipſarum quendam apud viliores inducere, & quod magis intereſt, eſſet latinæ locutionis maieſtatem, ac ſtudium abdicare, qua vltrò vtiliſſima quæq; comprehenſa, & conſignata eſſe palàm eſt. Hac de cauſa perpauci eius veſtigia ſecuti, Tuſcum ſermonem in doctrinarum traditione probarunt, cæteris abundè omnibus, Romani decus acriter, venuſtatemq; tuentibus. Fuit in eo tamen fælix, quòd ſingula Rhetoricæ, Logicæ, Phyſicæ, Mathematicæ dogmata, tanta docuit perſpicuitate, vt iter tyronibus ad ipſorum intelligentiam planiſſimum ſtrauerit, quod in ſcientijs optandum maximè, quæ cum difficultate laborent ſua, debent in tanta vitæ mortalis anguſtia, implexas docentum methodos, ceù remorantes progreſſum ſcopulos euitare. Cæterùm hæc ingenij lumina, ſplendidiora multò reddebat inculpato morum candore, quorum in actibus ſe gerebat verè vti ſacerrimæ alumnus fidei, licèt eos ſcriptis traderet, vt ethnicæ ſectator doctrinæ: referebat nimirùm exemplo præceptorem æternum, ſicuti calamo profitebatur humanum, Ariſtotelem inquam, cuius inceſſanter conceptus promendos, explanandoſq; ſuſceperat. Pietas, religio, modeſtia, charitas in egenos eximia, ſobrietas, diuitiarum contemptus, in eius vſq; adeò florebant animo, vt non ſolùm patriæ, vel Etruriæ, ſed Italiæ totius conuerſos in ſe penitus obfirmaret obtutus. Dignitatibus idcircò plurimis deſtinatus, Patrarum Archiepiſcopatum emeruit, inde Senarum coadiutor electus eſt. Phyſica vtrobiq; ſtudia ſedulus coluit, iunxitq; perpetuò diuinorum indagini: momentum verò temporis dilabi ferebat ægriùs, quod in literis non impenderet: nouus herclè librorum helluo, nectareas magis, magiſq; Muſarum epulas eſuriebat, quarum tamen neq; ad extremum vſq; ſpiritum ſatur, inſito, aſſuetoq; præcellentium huius cenſus ingeniorum inſtinctu. Conſpicuam inter cætera præaltæ mentis fidem illud præbuit opuſculum, quod iuſſu Franciſci Medices Magni Ducis, de noua Kalendarij reſtitutione à Gregorio XIII. Pontifice

tenta-

ſentata euulgauit; vegeto enim inuſitatæ virtutis robore, nihil ſibi fo-re oſtendit imperuium, vaſtiſq; ſuis conatibus patere omnes, vel ab-ditiſſimos Mathematicarum receſſus, quarum ideò lucerna, interpres, ac vindex eſt habitus. Probarunt acutiſſimi quiq; illuſtrem Alexan-dri in illa ambiguitate ſententiam: ceſſere vel Germani ſcriptores lon-gè perſpicacis viri theorematibus: vnde factum, vt qui tantam cælo-rum ſcientiam callere diceretur, Carolus Borromeus Cardinalis ſan-ctimonia, & pietate ſpectabilis, ad ipſum conſultò Senas inuiſen-dum, ac ſalutandum accederet, ratus forſan eius ſe nutu poſſe iter il-lud ad aſtra tutiùs carpere, quod inuicta laborum, ærumnarum, abiectionis propriæ tolerantia intentiſſimè deperibat. Neq; tamen his dicatus grauioribus munijs abſtinuit interdum à luſibus poetarũ, comicas concinnando fabulas, quarum inſigniores duæ, amoris con-ſtantis, & Alexandri titulo feruntur impreſſæ, in quibus ſic excel-luit, vt ideò comicorum Italicorum princeps Traiani Boccalini iudi-cio cenſeatur. Tandem nihil ſibi ad gloriam dùm ſupererat, emen-ſo laudatiſſimæ vitæ curriculo, ad internam illam cælitum migrauit ſedem, cuius externam tantùm erat faciem contemplatus, grato ſu-bindè patriæ parentantis obſequio, quæ vt ipſum ſeptuagenario vix egreſſum amiſerat anno M D LXXVIII. ità ex ornatiſſimo Piccolo-mineorum ſtipite, perenni fæcunditate alios ſubinde non degeneres videns educi, ſolatur adhuc magnificè orbitatem ſuam.

In Eccleſia cathedrali Senarum.

Alexandro Piccolomineo Patrarum Archiepiſcopo, Senarum Coadiutori, cui comitas cum grauitate, & morum ſanctitate coniuncta, & amorem, & vene-rationem omnium conciliauerat. Incredibilis autem in omni laudandarum artium gene-re doctrinæ copia, & in eiſdem traden-dis perſpicuitas, nunquam morituris ab eo conſignata monumentis, ſummam toto terrarum orbe nominis celebritatem compararat.

Ioannes Baptiſta huius templi Æditúus, & Deiphœbus Archipresbyter, fratreſq; alij poſuerunt.

Vixit annos LXX. Obijt anno M. D. LXXVIII. Quarto Id: Mar.

## Petri Pauli Plouenei.

*Quæ Zeno, vel quæ Plato, quæuè Platonis alumnus*
*Edocuit, docto pectore clauſa tenes.*
*Per te contemptis Academia migrat Athenis,*
*Patriæ Alexander florida in arua tuæ.*
*Graiorumq́; ſophon obſcuras lucidus artes*
*Hetruſcæ linguæ floribus irradias.*
*Et vel fœmineas ſapientum ad dogmata mentes*
*Poſſe informari te præeunte doces.*
*Ne ſe miretur nata Cleobolus vna*
*Te duce quot doctas Thuſca dat ora nurus?*



IOANNES ARGENTERIVS.

# IOANNES Argenterius.

VEL eo in primis dignandus eſt encomio Ioannes ARGENTERIVS Pedemontanus, quòd plurium artis medicæ thematum innouator, poſterioribus anſam præbuit diſputandi, ſingulaq; ad ſeueriorem trutinam redigendi, quibus mox Hippocratis, & Galeni doctrina ſolidior, firmiorq; ad humani ſalutem generis redderetur. Fuit enimuerò hic ingenio ad inueniendum acuto, ad examinandum ſolerti, ad exarandum prompto, & vberi; neq; illi vel meditationis labor, vel inſaturabilis quidam abditiſſima quæq; capeſſendi ſpiritus defuit. Quò factum, vt in ſingulis Italiæ Academijs, Neapolitana, Piſana, demùmq; Taurinenſi, ea nominis in docendo auctoritate polleret, quam reuiuiſcenti cuipiam medicinæ parenti, vix obſequentiſſimi ſtudentum omnium ordines detuliſſent. Controuerſiarum de re medica ſelectiorum, vel è remotiſſimis Galliæ, Hiſpanięq; regionibus ab ipſo iudicia petebantur: incredibili propè doctorum, ne dum iuniorum ardore, ſcripta ipſius edita voluebantur, edenda expectabantur: ſolus ille artem medicam fæliciori methodo, quàm ipſe præſtiterit Galenus, perſtrinxiſſe, planiùsq; tradiſſe dicebatur; in qua cùm adhuc medicorum aliquot verſentur ſententia, fit, vt ſuperioris, præſentiſq; ſæculi ſectarius non ignobilis, licet, me iudice, cautioribus declinandus, habeatur. Scripſit ille quamplurima Theoricis Galeni placitis aduerſantia, plus æquò interdum audax, ideòq; celeberrimorum iurè laceſſens ingenia: ſed reiectus, non obrutus videri queat, ſi Fuchſij in eum inſultantis irrita ſæpius ſpectetur induſtria: longè acriùs, & grauiùs Comes Montanus ciuis meus, vulgato de morbis volumine, Galenum ab huius, & Fernelij, & aliorum recentiorum conuitijs vindicauit. Nec alij tota dehinc Italia defuerunt, illuſtri contentione virtutis, veterrima græcorum dogmata, quibus recta medendi ratio fulcitur, acerrimè tuentes. At verò quis tantæ præſtantiam indolis, in vniuerſalibus intellectus operibus, credat ſubindè in praxi medica particularia corpora tractando, memoriæ, ac phantaſiæ viribus, cui ex phyſicorum aſſertione id incumbit oneris propemodùm defeciſſe? Ioannes ſiquidem Huarthes in opuſculo de ingeniorum examine, hunc virum licet in ſpeculando, ſcribendoq; inclytum, in medendo tamen ſuprà quàm credi poſſit infœlicem extitiſſe teſtatur; adeò vt Auguſtæ Taurinorũ, vbi

*arebat moria, ſſe de ſtatur nm. in med. . cap. l. 2*

vbi ciuitate, ac prima docendi cathedra, & pręnobili Margaritæ Brolliæ connubio, Caroli tunc eius vrbis archiepiſcopi ſororis ornatus eſt, plurimi ægrotorum, eius acceſſum, ceù fallaci experimento inauſpicatum reformidarent. Occubuit inibi ferè ſexagenarius, vnico filio Hercule relicto, paternæ virtutis æmulo, vt generis traduce.

## Claudij Millieti.

*Hunc Argenterium, benigne lector,*
*Pictum quem inſpicis, eſſe ſi putares,*
*Erras: hanc faciem teret vetuſtas*
*Et longo fragilis peribit vſu.*
*Aſt, ſi Argenterium cupis videre,*
*Quem nec canities premet, nec ætas*
*Totum eius perlege opus, libellus,*
*Quis nam Argenterius ſiet, docebit.*

## Eiuſdem.

*Egregia hæc docti non te pictoris imago,*
*Non capit hæc nomen parua tabella tuum:*
*Conſilium, mores, animum, ſed fama loquetur:*
*Queis dius terris diceris eſſe σόφος.*



ALOYSIVS TRISSINVS.

# ALOYSIVS TRISSINVS.

LATERET propemodum obliuionis carcere obruta, excellens huius hominis virtus, lectiſſimumq; ingenium, niſi problematum Medicinalium ipſius inſigne quoddam in vulgus extaret opus, cui ſe iamdududum candidatorum ſtudia, doctiorumq; iudicia deuouerunt; enimuerò cum Ferrariæ Cynthij Gyraldi receptus laribus, ac mitioribus imbutus literis, eius Academiæ ſibi voces, ac plauſum quamcelerrimè conciliaſſet; (anno quippe infrà vigeſimum Philoſophiæ cathedram auſpicatò cōſcendit) mox ſæuiore fato eius Vrbis, atq; Orbis expectationem eluſit. præpropera immanis morbi rabie, quinto, ac vigeſimo ætatis anno cōfectus. Vberes proptereà tantæ indolis fructus reciſi miſerè contritiq;, vel ipſo viridantis, effloreſcentiſq; naturæ primordio emarcuerunt. Ingemuit præſtantium altrix, ac genitrix virorum Vicentia patria: parentauit eius funeri nobiliſſimo vniuerſa Ferraria: luxere iuuenum cætus: illuſtriores eius æui poetæ funeſtis hanc eius mortē nænijs deplorarunt: vnus præ cæteris ſummopere perculſus Gyraldus, eximia pietatis, amoriſq; in elegantiſſimum alummum officia prodidit, marmoreo lapide, non abſq; præclara ſuarum dotium commemoratione poſteris tradito. Prædura herculè mortalium condicio: imbellibus vt plurimùm corporibus, diuinum animorum ineſſe vigorem, & ſumma ingenia perrarò ſenectutem excipere, quod Pici Mirandulæ, Bartholi, ac aliorum frequentia teſtantur exempla. Euidens hoc forſan noſtræ perpetuitatis indicium: Intellectus nimirum quò perfectior eſt, eò ſe ab his corporis vinculis eximere ociùs optat, ac velut è lacunis emergens, cæloq; inhians, connatam attingere nititur diuinitatem. At verò cum pinguium aruorum luxuries ingentem dumorum ferè, ac veprium ſobolem præbeat, cecidit Aloyſium, effulgidum mentis decus, aliqua turpaſſe libidinis, ac laſciuiæ nota; quippe frequentibus muliercularum thalamis ſe commiſcens, amore tandem, (vt ſalacioribus vſu venit) captus eſt Caſſandræ cuiuſdam Minotæ, fortuna quidem, ac genere multò imparis, ſed vt quæ virginali forma, & honeſtate præſtabat, ſancto ſibi eam matrimonij fœdere copulauit; quod excuſabilis aliàs intemperantiæ facinus, cum Morandus Pater duræ ceruicis vir perpeti nunquam, vel Gyraldo, & alijs enixè prehenſantibus voluit, tùm ſera filius pœnitentia, conſilij expers, iuſtoq; dolore præpeditus vitæ ceſſit. Eius effigies veris efficta coloribus, viſitur

nunc in Muſęo Ambroſiano Mediolanenſi, ſingulari pietaté, ac ſtudio Gaſparis Triſſini gentilis ſui, religione, ac doctrina florentiſ velut ab inferis reuocata, donoq; tranſmiſſa nuper ad Federicum Cardinalem Borromeum immortale huius ſæculi lumen, & inclytum literatorum parentem.

## Gyraldi Elogium.

Aloyſio Triſſino Vicentino ſpectatæ probitatis iuueni,
cùm bonarum omnium diſciplinarum, tùm philoſophiæ,& medicinæ peritiſs. Qui Ferrarienſis gymnaſij ſummam ſibi penè adulto biennio commiſſam magna cum laude ſuſtinuit. Ferrariæ
Philoſophiam magna auditorum frequentia publicè profeſſus eſt. Quem
ann: vix natum XXV. P. M. (Prò
rerum humanarum inconſtantem viciſſitudinem) mórs impia
nobis eripuit.
Cynthius Io: Bapt. Gyraldus amicus amico omnium
optimo, ac benemerenti mæſtiſs. poſ.

*Hic Aloyſi iaces, ſed nos hac ſorte monemur*
*Quàm fragili conſtent omnia ſumma loco.*

## Gaſparis Triſſini.

*Aloyſium pingo: Phœnicem hoſpes lege*
*Ingeniorum, amicum Muſis, & Palladi.*
*Vnum; Ephebus omnes complexus artes propè.*
*Peonia pariter clarus, & Meonia:*
*Inuidit terris parca ſed tantum decus,*
*Nam iubet hunc quinto luſtro canere inter Deos.*

## Incerti.

*Ante annos ſciuiſſe nocet, nam maxima virtus*
*Perſuaſit morti, crederet eſſe ſenem.*



ALOYSIVS GRANATA.

# ALOYSIVS GRANATA.

DIVINÆ claritatis nitore coruſca facies, ingenuo ſuffuſa pallore frons, humentes genæ, oriſq; lepos, obtutus hilaris, ac ſuauis planè inſigni quadam pietatis, ac decoris ſpecie temperatus, hoc aſpectu graui, tereti veſte, deraſo capite, ac barba, celeberrimi omnium, quotquot nuper ſacris concionatorum clauſtris floruerunt Aloyſij Granatæ, veriſſimam imaginem repræſentant. Mellita eius oratio aurei fluminis inſtar exuberat, eloquio mirabili corripit in diuinorum admirationem animos, tragicam dum pingit humanæ calamitatis ſcenam, vel nequiſſimos horrore perfundit, vel innata ſenſuum feritate rebelles pertundit, ad verumq; Chriſtianæ religionis cultum deflectit. Eius propterea ſcripta ex germano idiomate Hiſpanico, ad Latinum, Italicum, Germanicum, Anglicum, Indicum vſq; translata, vniuerſo nunc penè Orbi communia ſunt. Sanè Beotica Vrbs in regno Granatēſi aliàs ſubobſcura, huius viri natalibus ſummoperè gloriatur. Romana Reſpublica hunc vnum adgnoſcit vindicem impietatis: literatorum cœtus hunc verè ſuſpicit præclaris ingenij, ac induſtriæ dotibus perpolitum: operis eminentiſſimi auctor æquè ac perfector habetur. Vt in morali homine ſub Cyri nomine conformando, laudem cæteris pręripuiſſe cenſetur Xenophon, in naturali Ariſtoteles, in eloquenti Tullius, in politico Tacitus, in militari Vegetius, in aulico Caſtilioneus, ita in chriſtiano Granata cunctorum ſibi gloriam iurè vendicat, eo frequenti Orbis commendatione dignior, quò virtutum apices, & aliarum rerum omnium excellentia, vno excelſo, immortali, diuino chriſtiani hominis nomine continetur. Diuus iccirco Carolus Borromeus præfulgentis huius patris doctrinæ, ac ſanctimoniæ fama permotus, apud Gregoriū XIII. Pont. Max. Cardinalitij decoris ſtemmata ei adiungenda curauit, quæ nonniſi ætate octuagenaria, nimiſq; ad Eccleſiæ munera imbecilli (vt perhibent) intercepta fuere. Peramplo tamen diplomate ad ipſum Olyſipone degentem tranſmiſſo, idem Pontifex emeritos tanti viri honores, nec intermorituras diuini propè ingenij laudes cumulatiſſimè teſtatus eſt. At enim Sebaſtianus Luſitaniæ Rex infelici admodum regni iactura memorabilis, ac ipſius frater Henricus Cardinalis, hunc hominem propriorum ſibi criminum arbitrum, & confeſſorem nacti, ſummis incaſſum titulis afficere ſtuduerunt; pientiſſimam quippè chriſtianæ virtutis imaginem ſuis in operibus

egregiè

egregiè adumbratam, ſingulari temperantiæ cultu, nec fucato rerum humanarum contemptu redderet illuſtriorem. In antrum quoddam Granatæ proximum abdere ſe interdum ſolitum referunt, vbi feruentis animi votis compellere ſummi Dei munificentiam, orare, meditari, ac effuſis lacrimarum fontibus diluere mortalium crimina, humaniq́; ſalutem generis expoſcere. Hinc pannis lineis, vbi ſacris fuit initiatus, nunquam eſt vſus: ſingulari victus temperie, lenitate morum inſigni, tùm excellenti, eaq́; ingenita ſibi grauitatis laude, interni concentum hominis præſeferre. Qua vitæ norma octuageſimum, & quartum ferè tranſcendit annum, licet ab incunabulis abſtemmius perpetua vini nauſea tentatus ſit. Eius volumina propè innumera fruſtrà ego in præſenti recenſeam, quod vulgi manibus paſſim trita, nec digniſſimis fraudata præconijs effulgeant. Id non omiſerim Catechyſmum ab ipſo editum, quo illuſtris Orthodoxę fidei veritas, conſpicuis vltrò naturæ argumentis firmatur, egregiam omninò à grauiſſimis bonarum artium patronis gratiam inijſſe, cum ingentibus præaltæ mentis opibus, tùm ſacra ſcripturarum myſteria pandat, veteres tùm ritus, ceremonias, & hiſtorias, Eccleſiæ aduerſitates, ac triũphos, diſerta, & ſolida narrationum ſerie complectatur. Iudaicæ præſertim ſectæ hoc opere truculentiſſimum vulnus inflictum, quod miſerabili cæcitate obduci percitos antiquata religione animos, & ſcientiæ lumine, & euidentia credulitatis oſtenderit.

## Petri Pauli Plouenei.

*Quem placidum ficti ſpectas per lumina vultus,*
*Demiſſis oculis, hoſpes amice, cole.*
*Cerne tamen venerans Ludouicum, cerne parentem,*
*Virtutis columen, Palladijq́; iubar.*
*Non tibi fas animi radios ſpectare comantes:*
*Comprimit hos docta pictus ab arte color.*
*Sic Phœbus ſi nube latet, ſua lumina pandit,*
*Viſibilem formam proſpiciendus habet.*



CÆSAR BARONIVS
Cardinalis.

# CAESAR BARONIVS Cardinalis.

EX vrbe Sora in Apulia non procul ab Arpino patria Ciceronis emerſit Baronius, qui à cælo demiſſus ad Chriſtianæ Reipublicæ propè labantis ſubſidiũ, ac tutelam exiſtimetur. Anteacto ſiquidem æuo tot hæreſum inquinamentis infami, cum cecidiſſet impiorum hominum ſtudijs Eccleſiaſticæ abrogari fidem hiſtoriæ, ſurrexit ipſe vnus athleta nobilis Italico in circo, cuius infracto ingenij robore proterui hoſtium eluderentur conatus, & quos temeratæ fidei non deterrebat pudor, puriſſimis vltrò veritatis radijs offunderentur. Euerterat ſubdolè nimis Magdeburgenſium hæreticorum cætus, vniuerſa propè veteris monumenta memoriæ, confecto centuriarum opere, quibus à fæliciſſimo Domini Saluatoris noſtri exortu, ſingillatim eius vitæ, ac mortis, geſtorumq; omnium, cum ſubſequentibus dehinc Eccleſiæ ſeculis, factisq; ſeriem deſcribebant. Circeo veluti poculo ſimpliciorum mentes, veſanæ huius doctrinæ hauſtu perfuſæ, dogmatum nouitatem, tàm ſpecioſo, ac turgido ſcriptorum, & ſacrorum, & gentilium penu velatam incredibili plauſu excepere. Diſcuſſit Baronius aureis annalium elucubrationibus funeſtam hanc, ac teterrimam impietatis nebulam, vt iccircò purpuræ dignitas ſibi à Clemente octauo ſummo ingeniorum æſtimatore collata, eius virtuti nunquam ſatis debita viſa ſit. Celſiſſimum Romani faſtigij pondus, huius herclè humeris, vt curiæ totius omine deſtinatum, ſic auſpicatò innixum incubuiſſet. Verùm tranquillitatis ſtudio effuſis ad cælum votis, quod ipſe duodecimo annalium teſtatur volumine, propenſos in ſe ſacrorum patrum forſan retardauit affectus. Ornabant ipſum ingentes præter literarum præſtantiam dotes, integritas, humanitas, morum grauitas, religio, candor, quas ex intimo Sancti Philippi Nerij Florentini conuictu perfecit: cuius etiam nutu ſacros induit faſces Romæ in pernobili patrum, quos Oratorij nuncupant, ſocietate. Tanti ducis verendis inhærens veſtigijs, ſibi perpetim in hoc rerum humanarũ cauit anfractu, ſibiq; conſuluit ad beatitudinis exindè præmia capeſſenda. Retulit autem vel tùm affectatæ perfectionis fidem, ac vicem, cum ſemel diutinam, & ſummam ſtomachi imbecillitatem perpeſſus, implorato de repentè fauſto eiuſdem Philippi numine, liberatus eſt. Porrò immenſis vigilia-

gilia-

giliarum incommodis, quas ſtudiorum alit amor, obſtitit eodem auſpice, vel in maxima ſenectute, in qua licet lethalem contraxerit nauſeam, adeò vt inſenſibili alimenti portione ſubſtentaretur, tamen ad ſeptuageſimum propè ſuperfuit annum, quoad duodecimum ſacræ hiſtoriæ librum, ex vetere ſuo, & immortali voto compleret. Defunctum extulit Roma infandis lacrymis, diſſectoq; medici tria vlcera in ore ventriculi inuenerunt, ex quo rebellis eius nauſeæ ſedatus ſtupor. Litant exteri: litat orbis totus eius manibus in Eccleſia Vallicelana Romæ locatis: patres in primis eiuſdem congregationis, ſpirantem ex illuſtri loculo æterni ſui nominis gloriam venerantur.

## Aloyſij Valmaranæ.

*Fert fluuium tranans ſua Commentaria Cæſar*
*Nec, ſua ne pereant, ipſe perire timet.*
*Tu tamen annales committis cautior illo,*
*Non tibi, ſed Petri, dum furit vnda, rati.*
*Quid, ſi iterùm tumidis Petrus titubaret in vndis?*
*Hos, mihi crede, ſua nollet abire manu.*






FRANCISCVS
Guicciardinus.

# FRANCISCVS Guicciardinus.

FRANCISCVS Guicciardinus Florentinus auitæ nobilitatis decora, longè ſpectabili præclariſſimarum dotium cumulo amplicauit, licet enim à vetere, præaltoq; ſtipite longam repeteret maiorum ſeriem in libera patria, cùm togæ, tùm belli artibus perilluſtrium, vnus tamen ipſe videtur inter fumoſos aliorum titulos, ceù ſidus atrato in cælo micantiſſimum affulſiſſe. Viget ipſius nomen ad exteras quasq; gentes hiſtoricæ induſtrię commendatione diffuſum: colitur ipſius memoria, ceù rerum omnium incorrupta lance integerrimi aſſertoris; vt iccircò ipſius ſcripta Cælij Curionis labore iampridem in latinum verſa ſermonem, necnon aliorum opera in Gallicum, & Hiſpanicum, multò cæteris abſolutionem rerum Italicarum notitiam ſuggerere cenſeantur. Inerat in homine præſertim elatus, ac reconditus iudicij vigor, cuius vel ætatis adhuc flore pubeſcens, tàm illuſtria præbuit argumenta, vt vix ex Philippi Decij, Caroliq; Ruini doctrina vtriusq; iuris lauream emeritus, indeq; conſultoris, & aduocati oneri addictus, ad Regem Ferdinandum Aragoniæ Regem legatus, communibus ciuium ſuorum ſuffragijs delectus ſit, quo munere pôſt biennium Florentiam reuerſus, Mutinæ mox ac Rhegij ſuſcepit gubernacula, iubente primùm Leone decimo; porrò etiam Adriano ſexto Pontificibus Maximis: demùm verò Clemente ſeptimo ſic eius ingenium probante, vt Galliæ togatæ præſidem deſignarit, & quod in difficillimis eius æui bellorum turbinibus egregium erat fidei monumentum, Bononiæ ditionis Eccleſiaſticę corculo, ſumma cum auctoritate præfecerit. His obitis munijs ſatur gloriæ, ſatur laboris, cum rurſus Florentiam patriam repetiſſet, Alexandro Mediceo Duci conſiliorum arbiter, ac moderator adhæſit, at ea notatus intimioris in ipſum obſequij propenſione, vt feruentiùs aliquantò in patriæ detrimentum libertatis, Mediceorum imperio indulſiſſe diceretur; qui enim inteſtinis, infandiſq; ciuium diſſidijs labare perpetim Reip. fundamenta perſpiceret, multò ſaluti publicæ conducibilius, optabiliusq; fore arbitrabatur, ſi præſtanti vnius duntaxat familiæ dominatui acquieſcerent. At verò cuius prima in proditis hiſtorijs extitit laus, arcana principum conſilia, fœdera, iura, facta, probatioresq; ſingulorum cauſas, inculpatè detegere, ægriùs, & acerbiùs multorum teſtimo-

teſtimonio Frãciſci Mariç Feltrij Vrbinatium Reguli famæ detraxit eoq; vt ferunt impulſu, quòd cum in expeditione illa, qua fœderati Italiæ principes Mediolanum inuadere cogitarunt, is Pontificiarum copiarum Legati vicem, Clemẽtis ſeptimi nomine ſuſtineret, in quodam belli concilio ab ipſo Feltrio acriter obiurgatus, tabidum dehinc impotentis vltionis aluit æſtum, eius vel obſcurando gloriam, vel geſta diſſimulando. Fuit enimuerò is indignationi procliuior, oriſq; ductu licet ſuaui, tamen ſeuero, & graui, genioq; ſuprà modum ſalſæ vrbanitatis dicterijs repugnante, quorum nullum in tota vita ipſi vnquam excidiſſe perhibent quidam: ex quo morum tenore ipſius etiam in ſcribendo ſeueritatem, ac fidem emetiaris. Duo tantùm à criticis adnotati, quorum nullum meminiſſe vitium videri poteſt, Ioannes Mediceus, & Gaſto Foiſſetus Gallus, verùm vtriuſq; iuuentæ duntaxat memorata facinora, anguſtum ſubciſiuumq; ipſius calamo ſpacium reliquerunt. Occubuit propè ſexagenarius virulentæ febris tabo confectus, maiorumq; ſuorum oſſibus intermixtus, ſacro Diuæ Fælicitæ in templo Florentiæ cubat. Poſthuma verò eiuſdem ſcripta, Angeli Guicciardini nepotis viri inclyti opera prodiere, vt ſcilicet marceſcente corporis mole, nitor ille immortalis ingenij, diſcuſſis vltrò liuoris, & corruptibilitatis tenebris, ad humanæ documentum prudentiæ diutiſſimè radiaret.

## Georgij Rotini.

*Vt florum princeps, nitidiq; antiſtita veris*
*Eminet, & ſuaui præſtat odore roſa.*
*Sic reliquos inter, genitrix quos Florida vidit,*
*Franciſco nemo nobiliora poteſt.*
*Ille magiſtratus iterat, ſeruatq; clientes,*
*Hiſtoriæq; idem nobile condit opus.*
*Hoc variat ſortem, roſa pallida pendit honores;*
*Franciſci æternùm fama celebris erit.*



IACOBVS CVIACIVS.

# IACOBVS CVIACIVS.

QVID refert Iacobi Cuiacij Toloſatis, ſingularem in Legibus exponendis ſolertiam celebrare, ſi Africani,& Papiniani ſtilum redolere ipſius opera concordi Iuriſconſultorum iudicio firmatum eſt? ſi varijs in vrbibus per annos quadraginta Legum doctor, diuinorum vbiq; oraculorum indelebilia reliquit veſtigia? ſi primus Romani iuris notitiæ, neglectum à cæteris iunxit latini candoris, ac hiſtoriæ apparatum? Quo poſteà nomine immenſum eius, & moroſum pelagus percurri ſuauius à cunctarum nationum ſtudentibus cæpit, quorum pleriq; tàm propenſo in hunc hominem in viuis etiam agentem ſtudio ferebantur, vt ceù numen à cælo demiſſum ad reſtituendum iuſtitiæ decus, quocunq; ad ipſam profitendam ſecederet, comitarentur. Abreptus enimuerò nobilium Academiarum certatim ad ſe ipſum pertrahere connitentium præmijs, migrauit ad eas; propterea quia vel iuuenis, cum in petitione cathedræ Toloſanæ repulſam iniquè tulerit; ingratam exinde patriam exoſus, Duionæ Cadurcorum ad Oltam amnem ſuggeſtum adeptus conſedit: mox Byturigis Cuborum ad Auaronem, vbi etiam nituerat Alciatus: Valentiæ quoq; Cauarum ad Rhodanum, & aliquando Toloſæ, nec non etiam Auguſtæ Taurinorum (vbi Senator Emmanuelis Philiberti principis nutu renunciatus,) ac iterùm Byturigis, vbi etiam ſeptuageſimum fermè attingens annum fato functus. Optarat equidem ad Bononienſe gymnaſium quondam concedere, tùm ne Gregorij XIII. Pontif Max. contemneret inuitamenta, tùm vt peregrinæ eruditionis pompam in clariſſima Italiæ luce ſolennitus oſtentaret; ſed ab alùmnis vndiq; ſuis in Gallia circumuentus, ſui impos voti remanſit, ratus diſcipulorum ſibi addictiſſimorum fructum, inani externorum auræ longè præponderare debere. Inuſitato enim hunc hominem adfectu complecti ſolitum ſtudioſos proditum eſt, quando præter animi cultum, pecunia etiam ſua illis interdùm ſubueniret, ſi fortè ſeriùs hæc deforis à parentibus tranſmitteretur. Prætereà ſtatis diebus cum illis in ſuburbano lætiſſimè conuiuari, ſic tamen, vt egerrimè ferret à quopiam de Legum ſtudio tunc temporis interrogari: tribuendum hoc enim aiebat ſaluti, ac genio, quæ hilaritate in primis, doloriſq; declinatione nituntur. Eapropter inuidere ſe Leoniceni Vicentini Medicorum principis longum dictitabat æuum, quem ad nonaginta vſq; annos integro, & inflexo corpore

pro-

productum enarrat Iouius. Hoc vtinam viro æternitatis memoria digniſſimo contigiſſet. Verùm pertinaces ſtudiorum vigiliæ, vt ſenilem plerumq; membris pallorem inferunt, ità inſtillatum à natura opifice rorem illum, quo vitalis alitur flamma caloris, latenter nimis, atq; inopinanter exugunt. Nulla verò vel firmiſſimi corporis conſtitutio, illarum ferè poteſt obſiſtere detrimento: etiamſi verè Cuiacius excellenti naturæ prærogatiua, hoc ad abſolutam vſq; pertulit ſenectutem. Fuit namq; ſtatura breui, at optimè temperata, cum ſudor ex eo manans ſuaue multùm oleret: barba illi in iuuentute nigerrima cum ſimili capillitio: color faciei candidus: vox clara, multoq; reſona ſpiritu: occiput protuberans indelebilis memoriæ teſtis. Quibus ipſe fretus dotibus, peracre, nec intermiſſum quotidie ſtudium potuit excolere, vel ad annos iam ſenio collabentes. Hoc enim inter cætera de ipſo mirabile, quòd nullam vnquam expoſuit lectionem, niſi ſex, vel ſeptem horarum interſtitio præmeditatam. Vrgentis tamen fati viribus cedere coactus eſt. 4. Non. Octob. An. M D XC. ad ſacras D. Petri Ædes nobiliorum diſcipulorum humeris translatus, & oratione publica à Cl. Mareſchallo Regio Conſiliario, & auditore olim ſuo collaudatus. Sed qui præfulgenti gloria cæcas inuidorum faces reſtinxerat, ac virtute famam repreſſerat æmulorum, & æquanimitate plebis in ſe quondam fædè irruentis retuſerat impetum, quòd Catholicæ parti aduerſus, Henrico quarto Regi propenſior videretur, eius poſt obitum cineres vniuerſi amicis fruſtrà lacrhymis madefaciunt, vt fragrantes inde, nec ampliùs inſpecti in Orbe toto Iuriſprudentiæ flores reuireant.

## Papirij Maſſonij.

*Digne Author iuris, Cuiaci, & docta Tholoſa*
*Clara ortu, & Biturix redditur ipſa tuo.*
*Viderunt ambæ florentem in iure Quiritum,*
*Illa etiam naſci, vidit at iſta mori.*

## Incerti.

*Romulei iuris lux & clariſſima legum*
*Conditur exigua magnus Cuiacius vrna.*
*Vos tamen, & lacrymis, & vano parcite luctu,*
*Muſarum ſtudioſa cohors, quem fletis ademptum,*
*Tot vobis tanti ingenij monumenta relinquens*
*Parte ſui meliore viget; nomenq; ſepulti,*

Quæ-

*Quæſitum meritis, quod nullo intercidet æuo,*
*Fama indefeſſis tollet ſuper æthera pennis.*

## Aliud.

*Legum, & Cuiacij commune eſt lumen ademptum*
*Quis poterit iuri nunc glomerare manum?*

## Iac. Cuiacio V. C.

Toloſæ. illius. dum. quondam. Palladia. fuit.
alumno. ſubcinericio. hæredíq;. ex. aſſe. poſtumo.
Romani. iuris. à. ſummis. conditoribus. interpreti.
primo. &. vltimo. cui. quidquid. puræ. natiuæq́;.
lucis. ei. ſcientiæ. vndecumq;. acceſſit. ætas. ſua.
debet. poſtera. etiam. ſi. quæ. legum. cura. manet.
debitura. eſt.
P. Pithœus. P. F. doctori. bene. de. ſe. bene. de. literis.
omnibus merito.
M. P.
Vale. Cuiaci. nos. te. ordine. quem. Deus. &. natura. iuſſerit.
cuncti. ſequemur.
Deceſſit. iv. Non. Octob. Annos. natus. P. M. LXVIII.




FRANCISCVS
Panigarola.

# FRANCISCVS Panigarola.

VIDEAS in liberali huius hominis ore deliteſcentem illam dulciloquentiæ indolem, qua olim ſibi primam ſacros inter oratores gloriam vindicarat, quametiam Muſſus in eo ſic amarat ephebo, vt paſſim à nemine ſui nominis ſplẽdorem veniùs, vel æquatum, vel ſuperatum iri ominaretur. Percrebuit autem auſpicatò hæc virtus, egregia Natalis Comitis inſtitutione, quem Mediolani patriæ gentiles ſui, nobilitate, ac ſenatoria dignitate florentes, puero domi præfectum voluerunt; hic enim mitioribus artibus, ac latino ſermone literatè peritus, puberi adhuc animo, ea ſerere potuit diſciplinarum ſemina, quæ mox in amplum, ac præcelſum excreſcerent fruticem. In logica præceptore Tomitano Patauij vſus eſt, in Philoſophia Flaminio Nobilio Lucenſi Piſis docente, nec non Andrea Ceſalpino Aretino percelebri eius temporis viro. Nihil herclè non præclarum, ac perfectum ex horum officina licuit haurire, quod ei mox ad apparatum conferret Oratoriæ maieſtatis. Perfecit eloquentiam doctrina, quæ viciſſim gratior, & admirabilior orationis lenocinio videbatur. Ei propterea velut huius facultatis vindici, atq; inſtauratori, tantùm perpetuò detulit Italia vniuerſa, vt plurimis in vrbibus, dum concionaretur, ad multitudinem coercendam, templorum portæ cuſtodijs munirentur, quod preſertim Neapoli contigit, vbi diuino quodam impetu peroranti, addictiſſima nobilium ſtudia, ac inſolitus depereuntis ipſum populi ardor, pergamũ auro, ac feſta fronde inſigniter exornarunt. Hoc fermè tunc à pluribus adagij loco iactatum, Toletum docere, Lupum mouere, Panigarolam delectare, quo etiam nomine notatus à nonnullis, quaſi oſtentationem declamantis potiùs, quàm grauitatem præſeferret orantis. Mea quidem patria Vicentia, ſeù manans ab eius ore mel, ſeù concitum experta fulgur, implacabiles odiorum affectus, quibus fato neſcio quo teterrimo conflictabatur ita coercuit, vrgente in primis Auguſtino Valerio Cardinali huc eadem pia cauſa traducto, vt in poſterum Martios, ac ferreos ciuium ſpiritus quodammodo retuſos, tractabilioresq; redditos plurimi ſeniorum adfirment. Mediolani pariter, cùm ſacros haberet in Eccleſia ſermones, vel eadem hora, qua æternum ſanctimoniæ lumen Carolus Borromeus populo

diuina interpretabatur myſteria, effuſiſſimis ad ſe omnium ordinum pertractis cætubus, vacuos ferè ipſi Carolo haud ſemel relinquebat conſeſſus. Eius tamen intimus extitit familiaris, vt etiam ſingulorum Italiæ principum, Alphonſiq; præſertim Eſtenſis Ferrariæ Ducis, cuius officijs è Franciſcanorum clauſtris ad ſuffraganeam Epiſcopatus Ferrarienſis dignitatem euectus eſt; licet eodem mox adnitente depulſus, quòd à Panigarola conſcriptas Cardinali Mediceo fictis characteribus deprehendiſſet literas, quibus aliquod clandeſtinum, ac ſuis rebus noxium contineri conſilium ſuſpicabatur. Quo ceù turbine actus in immenſos inopiæ, notæ publicæ, ac huiuſmodi ærumnarum fluctus, non niſi tandem fauſta Caroli Sabaudiæ Ducis humanitate, impetrato Aſtenſis Eccleſiæ ſacerdotio ſubleuatus eſt. Huius ingenium extitit verſatile, præcox, celer, varium, iudicio minus, quàm acumine temperatum. Statura fuit media, corporis habitu candidiore, mollioreq; ingenti fronte, reſimo naſo, temperie totius calida, & humecta, ob quam ſuborto ei forſitan in capite apoſtemmate anno ætatis ſexto, & quadrageſimo ſurreptus eſt. Scripta, quæ prodidit innumera non recenſuerim, quòd ingenito illo, ac viuido cum careant actionis lepore, ac robore, longè minorem videntur ei demortuo poſteritatis gratiam conciliaſſe.

## Petri Pauli Plouenei.

*Nexis Herculeis viuens ligat ore cateruas,*
*Hasq; catenatas Panigarola trahit.*
*Et moriens linquit calamos ſine labe loquaces,*
*Maior vt eloquio viuat, & ingenio.*
*Fas erat, extentum meritis produceret æuum.*
*Perpetuum nomen per ſimulacra tenes.*



PAVLVS MANVTIVS.

# PAVLVS MANVTIVS.

PAVLVS Manutius tranſacto ſæculo meruit Romani puritate ſermonis inter ſclectiſſimos cooptari, quãdo lucem illam Tullianæ facundiæ noſtratibus propè inuiſam, ac ſuperiorum obrutam ætatum caligine, ſolus ipſe conſpexiſſe, ac induſtri calamo Italis diffudiſſe cenſeretur. Ac eò præſertim admirabiliùs, quò moroſo addictus typorum exercendorum operi, anguſtiùs vacare literis, debitaq; ſtylum excolere poſſe ſolertia videbatur: rarum herculè in typographis exemplum, quos præ auaritia, & incuria, dignus hic ornandæ literariæ officinæ genius plerunq; deficit: vix huius claſſis alter in Germania contemporaneus eius occurrat Henricus Stephanus, prætereà nemo. Cæterùm hic Romæ peregregia ab Aldo Patre inſtitutione munitus, incæpta eiuſdem potuit ſignare veſtigia opifex, ac doctus: inde in aduerſa quæſitum fortuna ſubſidium, hinc in proſpera ornamentum. Vaticanæ primùm aliquantiſper bibliotecæ præfectus ad præclariſſimorum ſibi gratiam ſtrauit aditum, intima vſq; adeò officiorum communione, vt paterna ipſum, ceù Muſarum, & elegantiæ non vulgaris arbitrum pietate complecterentur. Verùm illi exoptabili hoc virtutis fructu diutiùs potiri non licuit, iniquioris fati turbine Venetias reuoluto; ſacris enim in clauſtris iampridem coniecta filia, eo dementiæ, ac furoris abrepta eſt ímpetu, vt inde ſe clàm egreſſuram minaretur miſero patri, niſi omni ſtudio ipſam extrahere niteretur. Quò factum, vt is plurium itinerum vexatione, moraſaq; apud Romanos iudices prehenſatione, æger animo, adflictuſq; corpore, tandem huiuſmodi poculum, licet peramarum, tamen iuſta neceſſitate quæſitum exorbere ſit coactus, inuſitato exemplo virginem pluribus annis Deo dicatam, mundanis iterùm anguſtijs deuouendi, quæ cum poſteà honeſto coniugi nupta, praua ſe libidinis fædarit indole, infæliciterq; peregerit, inteſtino is mærore correptus, reliquum vitæ ſolicita cogitatione traduxit. Quùm verò etiam ei acceſſerint vetuſta luis gallicæ inquinamenta, quibus alternatim vel temporum, vel locorum, vel victuum lædebatur mutatione, deterrimam prorſus vitæ conditionem ſortitus videri potuit, niſi commoderato ſemper, infractoq; animo, eam ſe perferre ſingulis oſtendiſſet. Veneta quippè ipſius domus, continuo Senatorum, inſigniumq; virorum frequentia nobilis, arcanos propemodum efflabat ſpiritus, quibus homo ſapiens, vel deiectus allicit cunctos admiratione virtutis:

cum

cum eo namq; colloquia ſerere, cùm iuniores fructu animi, tùm ſeniores ſtudiorum commercio geſtiebant. Ac illud non incertum, quòd eius viuentis depictam imaginem exterorum nobiliſſimi, ſuis in aulis repoſitam voluerunt, inter quos Matthæus Senarega Genuenſis, ac poſteà Dux patriæ renunciatus, octimeſtre cum eo ſpontè geſſit hoſpitium, quò erudita viri humanitate, ac prçſentia intimiùs frueretur. Hoc etiam nos forſitan non illiberali genio, eam hîc poſteris ſubijcere curæ fuit, etiamſi verè ſpecies animi longè præſtantior, ſuis in epiſtolis vltrò transfulgeat, quæ Aldi etiam filij claritate expanſa mirum in modum, ac propagata eſt.

## Petri Angelij Bargei.

*Exorta eſt tecum culti Ciceronis imago*
*Et viuit tecum, & tecum moriatur, oportet.*
*Viue igitur, mi Paulle diù, diù vt illa ſuperſtes:*
*Viuat, & hoc vni præſens tibi debeat ætas.*

## Ex Hyppolito Capilupo. P. Manutij tumulus.

*Qui te, Paule, gemit, linguam gemit ille latinam.*
*Quos ſimul extinctos hic breuis Orbis habet.*
*Illa tuo ſtetit ingenio, & præſtante labore*
*Suſtentata diù; teq; cadente, cadit.*
*Et voluit tecum, quia multos vixerat annos,*
*Tecùm etiam hoc tumulo poſt tua fata tegi.*
*Vna fuit vobis ſors vitæ, & mortis, & vrnæ:*
*Vnus & ambobus plangor, & vnus honos.*



MARCVS ANTONIVS
Muretus.

# MARCVS ANTONIVS Muretus.

HIC latinæ orationis facundia tantam ſibi apud omnes gratiam conciliarat, vt eius æui quaſi alter Tullius concordibus Italiæ vocibus acclamaretur. In Gallia natus patre (vt referunt) iuriſconſulto, ſplendidoq; genere bonarum artium ſtudia mirum in modum complexus eſt. Ac primo ſtatim limine, in eo videtur ſors illi contigiſſe clementior, quòd magnum Scaligerum præceptorem eſt nactus, à quo cùm præclarum ingenij cultum ſuſcipere, tùm fauſtis eiuſdem auſpicijs, & liberali æmulatione, ad altiora quæq; potuit inflammari. Itaq; peradoleſcens adhuc emenſis doctrinarum curriculis, Lemouico patria perobſcura in ampliſſimam Muſarum arcem Lutetiam ſibi commigrandum putauit, vbi docendi quoq; munere aliquandiù perfunctus eſt. Qua verò nominis claritate, quoue doctorum plauſu, vel ex eo perſpectum haberi poteſt, quòd Rex omnium maximus cum Regina vxore ad ipſum ſæpius audiendum acceſſerit. Cæterùm abreptus vetere, ac propè ingenito Tranſalpinarum gentium ſtudio, ad Italiam viſendam ſe contulit; cuius pulcherrimo ambitu perluſtrato, fęliciore ſuo fato Romam traiecit, vbi augusta vrbis ſpecie, regiaq; Hippolyti Cardinalis Eſtenſis liberalitate illectus, ad extremum vſq; ſpiritum conquieuit. Is verò fuit vitæ ſuæ modus, ea rerum ſuarum amplificatio, vt publico interpretandæ Ariſtotelis Æthices munere diſtrictus, longè omnium expectationem ſuperarit: exinde autem Gregorius XIII. P. M. acerrimus ingeniorum æſtimator ad Eloquentiam profitendam, honeſtiſſimis ipſum condicionibus transduxerit. Inſolitis omnino floruit auditorum conuentibus, quoad ipſi Romæ verſari licuit in lectiſſimo ſapientiæ ſeceſſu: politioris literaturæ velut parens ac princeps ab omnibus habebatur: plures referũt ab vltimis Galliarum ſedibus, Romam eius duntaxat conueniendi ſtudio conceſſiſſe. Quominus etiam mirandum videtur, ſi Germanica natio, quæ tunc Patauij literarum cauſa morabatur, ſumma ipſum contentione perſæpè ad illud gymnaſium conuocauit, ſi Stephanus Bathoreus Polonorum Rex, propoſitis ampliſſimis præmijs ipſum ad ſe trahere nixus eſt. Tanta vbiq; erat ſuæ præſtantiæ, ſuæq; eximiæ cuiuſdam virtutis veneratio. De ipſo tandem hoc iure optimo proditum, quòd in pangendis carminibus Tibullo

conſe-

conferendus in proſa Oratione recentiorũ cuilibet præferendus, ſcientiarum porrò, atq; in pimis Iuriſprudentiæ gloria haud inter gregarios collocandus, Gallica præconia inſigni, nec interitura laude cumulauit. Romæ defunctum frequentiſſima iuuentus ingemuit: iuſta ei more maiorum pientiſſimè perſoluta, erecta ſtatua cum elogio; cum ipſum antea Franciſcus Bencius è Societate Ieſu vir inſignis funebri oratione collaudaſſet.

## Incerti.

*Vera quidem hæc; ſcriptis ſed quam tamen exprimit ipſe,*
*Multò ea Mureti verior effigies.*

## Tumulus.

*Hic Marci caros cineres Roma inclyta ſeruat,*
*Quos patria optaſſet Gallia habere ſinu.*
*Stat colle hortorum tumulus, ſtat proximus aſtris,*
*Quæ propiùs puro contigit ille animo.*
*Tu ſacros latices lacrumans aſperge viator,*
*Et dic, heu! linguæ hic fulmina fracta iacent.*

## Guilielmi Blanci Albienſis Galli Iuriſconſulti.

*Gallia me genuit, genitum me Roma recepit:*
*Illa ſinu iuuenem fouit, & iſta ſenem.*
*Illa dedit vitam, vitam mihi ſuſtulit iſta,*
*Illa dedit cunas, iſta dedit tumulum.*
*Vtraq; me genitum gaudet, colit vtraq; viuum,*
*Vtraq; defunctum flensq; gemensq; dolet.*



FRANCISCVS
Piccolomineus.

# FRANCISCVS Piccolomineus.

VIVIDO maiorum ſuorum exemplo Franciſcus Piccolomineus Muſarum ſtadia fœliciſſimè decucurrit. Senis enim optabili patria, Piccolomineorum ampliſſima familia natus, à teneris vſq; miro quodam impetu ad laudem abreptus eſt. Præceptorem in Philoſophia coluit M. Antonium Zimaram, omni laudatarum artium genere conſpicuum. Condiſcipulis inter alios clariſſimi nominis vſus eſt Felice Peretto, & Conſtantio Sarnano, quorum ille mox ad ſummum Eccleſiæ imperium elatus, & Xiſti Quinti nomine inſignitus, alter verò in Cardinalium ordinem adſcitus. Et quidem Fœlix adhuc minorita, quòd ſemel propoſitarum in templo Theſium ex vtraq; Philoſophia, publicum impugnatorem ſortitus erat Franciſcum, ſæpius porrò Pontifex eius diei memoriam recolebat, ſibi digniſſimum reputans cum acerrimo, vt ipſe aiebat, ingenio, in celebri conſeſſu, haud ſegniter doctrinæ, atq; ingenij gloriam ſuſtinuiſſe. Itaq; vix annum agens vigeſimum quintum, more ſapientum ratus, non intra domeſticos lares, deſpecto, ac vmbratili puluere, recta foueri excitamenta virtutum, præclareq; factorum, migrauit ad alienas terras, vbi priùs propè docentis, quàm diſcentis munere fungi cœpit. quippè vix Maceratam attingens, propenſis ſtatim omnium animis, inter eius Academiæ proceres, ad Philoſophiam primo loco tradendam cooptatus eſt. Nec per annum fermè id oneris expleuit, quòd Perugiam pariter cunctorum votis illectus, eò ſe velut in ampliorem multò lucem, ſplendidioremque ingeniorum conuentum recipiendum putauit. Eximiam autem de ſe opinionem, vel ex eo mirificè tutatus cenſeri poteſt, quòd decennij curriculo, in eo gymnaſio verſatus eſt; vel firmius etiam exinde ſumatur argumentum, quòd inibi volumen edidit de morali Philoſophia, tantis omnium cætuum laudibus exceptum, cùm nihil eo, vel ad efformandos mores vtilius, vel ad Rempublicam rectè gerendam accommodatius, vel ad omnem bonorum, malorumque notitiam ſuauius excogitari poſſit. Hoc vnum effecit poſteà, vt grauiſſimo Venetorum iudicio, ad Patauinum gymnaſium fuerit conuocatus, à quibus etiam præmijs ſuprà omnium expectationem maximis affectus eſt. Inibi ſapientiæ, ſe non tàm verbo, quàm re ipſa profeſsorem gerebat: infracto animo, inculpato genio, Socratico verè candore

ſem-

ſemper enituit. Hinc tantus iuuentutis plauſus erga ipſum, tàm profuſa exterorum beneuolentia, vt ceu terreſtre aliquod numen, ſibi diuinitus datum, nulla vnquam vetuſtate delendum reuererentur: In eo autem præſtitit Iacobo Zabarellæ Collegæ ſuo, quòd ipſe facilitate quadam dicendi præditus iuncta comitati morum, ac eximiæ humanitati; alter ſermone durior, blæſus, incomptus, ciuilibus in ſtudijs inops potiùs, quàm redundans. Vterque tamen doctrinarum momentis, pari omninò gradu viſus eſt incedere. Neminem facilè quis dixerit æquare Zabarellæ ſcriptorum venuſtatem, atque elegantiam, quibus accedit incredibile argumentandi robur, & opinionum firmitas, quo nomine vix alius in euertendis aliorum placitis vberior, in aſtruendis proprijs fœlicior vnquam eſt habitus. Piccolomineus oratione quidem vtitur expedita, graui, & illaborata, cæterùm ſententiarum nexu frequentior, quàm fortè conueniat; excurrit enimuerò, nec in concluſionibus hæret; nouis at ſubinde doctrinæ cumulis vrget, vt libanda potiùs, quàm guſtanda propoſitorum veritas offerri videatur; propterea bene ſentientium calculis ſancitum, huius ſcripta magis prouectiorum auribus inſeruire, illius autem iuniorum. Hac igitur egregiè nauata Venetis opera, per annos duo & viginti, patriam ſibi tandem viſendam cenſuit, in qua extremos etiam ſpiritus hauſit. Ac interim pluribus ad Magnum Etruriæ Ducē legationibus perfunctus, plurimiſq; honoribus auctus, amæniſſima Platonis Philoſophia vacare cæpit, quam etiam commentarijs exornandam ſuſceperat; ipſum namq; dicere ſolitum accepimus; Platonis, & Ariſtotelis Philoſophiam, duos quaſi oculos humani aciem intellectus dirigere, quorum alterutro ſi quis careat, Cyclopis inſtar in hac rerum vniuerſitate labatur, neceſſe eſt. Sed communia fata præclaros hoſce illius conatus intercidorūt, octuageſimo quarto ætatis ſuæ anno: ac ex eo fœlix in tanto ſenio, quòd oculorum vim nullo vnquā chryſtalli ſubſidio iuuit: fælix etiam, quòd inſolito ciuium ſquallore, iuſtitio, lacrymis eius in patria funus elatum.

## Iulij Ronconij.

*Se celebris toto decorat Franciſcus in Orbe,*
*Cui nulla illuſtres polluit vmbra dies.*
*Omnia mobilium perſcribit munera rerum,*
*Sed ſtabile inſcribens fert decus illa manus.*
*Prouida quot claræ perſignat dogmata mentis,*
*Fulgida flammiferis tot gerit aſtra notis.*
*Sic blando irradians laſciuit ſidere virtus,*
*Quæ pulchrum æterno ſeruat honore iubar.*



IACOBVS ZABARELLA.

# IACOBVS ZABARELLA.

TIBI quidem, Iacobe Zabarella, quas pro dignitate laudes referam, neſcio, qui ex ornatiſſimo literatorum manipulo tantis refertus opibus emerſiſti, vt iam virtus tua, nomenq; tuum, citato curſu ad cælum, fauſtis cunctorum acclamationibus gradiatur. Vbiq; terrarum tuæ lux doctrinæ ſtudioſorum mẽtibus fulget, vbiq; tuis geſtiunt inhærere veſtigijs, vbiq; tuum in inuentis acumen, in verbis nitorem, in diſſertionibus grauitatem mirantur. Nec ſubhæſitantis linguæ nota, vel tetrica fortè oris ſpecies vllas vnquam tuæ gloriæ maculas aſpergere potuerunt; quibus herclè ſi fœliciori fato vacaſſes, nulla tibi forſan omnium ſæculorum præconia fuiſſent inuidenda. Fudiſti vnus Sophiſtarum turbas: veræ Philoſophiæ dogmata coluiſti: Peripati ſpacia ab innumeris, quibus ſcatebant, vepribus repurgaſti, quæ licet videantur communia cum cæteris, tamen (quæ tibi propria laus eſt) Logicæ facultatis decore adeò niteſcunt, vt, cum cæteris aditum diſciplinis Logica muniat, tùm vel hoc nomine tu ſcientiarum vindex nulli conferendus, omnibus præferendus eſſe videaris. Carpebant in te plurimi memoriæ labem, & quendam in agendis torporem, quibus ad priuata, vel publica negotia minùs redderis idoneus: ſegniorem te pariter quàm ferret ingenij claritas, in quæſtionibus inopinatè ſoluendis prædicabant, cum te ſcholarium theſibus nonniſi per interpoſitas horas reſpondere ſolitum dicerent. Prætereà impenſiùs te aliquantò impugnaſſe immortalitatẽ animæ, deterrimam Alexandreorum ſententiam palàm profeſſum: quos tamen de te rumores, vt fortè ab exulceratis animis excitos, ita vel eluſit poſteritas, vel admirabili, ac propè diuina tuarum virtutum fama compenſauit; præaltæ ſiquidem mentis lumen in ſcriptis diffuſum tuis, nullam debet luem tẽporis, nullamq; liuoris noxam vereri. Ac, ſi verum intellectus robur in eo videtur conſiſtere, vt ex arce corporis tanquam è ſpecula, remotos rerum exitus proſpiciat, futuraq; pronunciet, ex quo ſapientes viri priſca dignatione vatum titulos ſunt emeriti, næ tu immortalitate digniſſimus, qui præter impenſam præclariſſimè operam in veſtigandis naturæ cauſis, & antiquorum monumentis ſedulò recolendis, ea quoq; floruiſti mathematicarum ſcientia, præſertim quæ ad aſtrorum dijudicationem ſpectat, vt plerıq; tunc temporis tuis dictis, tanquam oraculi reſponſis, natalis ſui, ac rerum ſuarum commoda, vel incommoda metirentur. Sanè iampridem

adſtan-

adſtante refertiſſima iuuenum manu, ſydus veſpere commonſtraſti micans in cælo, quod infeſtum tibi aliquid minari aſſeruiſti: ac paucis dehinc diebus, verè nimis ſummum tuæ vitæ contigit fatum; ab acerrimo ſcilicet morbo omnium dolore confectus. Multa de te conſultò ſilenda, paſſim obuia, & omnium ſermonibus celebrata, ne vel adblādiri nobis credamur, quos tuæ doctrinæ sēper deditos peculiare quaſi numen mirabiliter fouit; ac tui memoria noſtris quaſi fulgoribus in aperto ſit; inſuper ne in tanto laudātium numero, hac orationis indignitate, atq; inopia, primas ipſi velle nobis adſcribere cenſeamur.

## Iulij Ronconij.

*Quo decore inſigni viuat, quo clarus honore,*
*Quo Zabarella ſuam prætendat nomine famam,*
*Dogmata teſtantur, ſapiens quæ prompſit ab ore,*
*Dogmata manſuris retinent quæ vocibus æuum.*
*Quicquid conſpicuum, quicquid mirabile mundo*
*Progenuit natura parens, & quanta Lycæis*
*Inclyta Cecropijs reſonarunt dicta ſophorum:*
*Iſte ſuæ ſolers concepit lumine mentis,*
*Cordeq; diſcutiens monſtrauit cuncta docendo.*
*Litera, quæ ex animo fluxit concepta feraci,*
*Munera magna gerit, ſummoq; aſperſa ſtupore*
*Corda capit, menteſq; trahit: ſignata papyrus.*
*Dignius haud vnquam meminit ſe mira loquutam.*
*Lingua ſuis forſan poterat non viribus eſſe*
*Prompta ſatis, ſed docta manus myſteria pandit,*
*Quæ ſatis inde oculi poſſunt audire legentes.*
*Sic nitor ille decens, ſcriptum quem pagina monſtrat,*
*Sumpſit vitæ ortum fauſtum, lumenq; diei*
*Occaſu cariturus habet. Sic laude perenni*
*Aſſiduo culti ſtudio, vigiliq; labore*
*Perpetuare ſibi potuerunt ſæcula libri.*



IVSTVS LIPSIVS.

# IVSTVS LIPSIVS.

NATVS eſt Lipſius in oppido Iſcano, quod tertiò æquè lapide à Bruxelli regia Brabantiæ vrbe, atq; à Louanio percelebri doctrinarum emporio diſtat. Nemo ſuæ tempeſtatis auguſtiore literaturæ fama præfulſit. Nemo cumulatioribus cunctorum encomijs, honeſtiſſimum exoptabilis vitæ curriculum emenſus eſt. Quam enim eius phraſis, & ſcripta præaltam inferunt antiquitatis venerationem, eam in ſe quaſi veteris præſtantiæ rediuiuam iconem mirabiliter excitauit. Vna temeratæ religionis nota, tenebras primùm eius nomini offundere viſa eſt, cùm apud Batauos diù ex Germanica peregrinatione redux conſederit, haud obſcura, communiq; hæreſeos opinione damnatus. Verùm tot editis non fucatæ pænitentiæ teſtimonijs, Moguntiacum ſuſcepta ex Batauis fuga ſe recepit, vt ſeriò Eccleſiæ redditum, cúm boni mox omnes perpetuò complexi ſunt, tùm Europæ principes, ac Reges, ac ipſe in primis Clemens Octauus Pontifex Max. apud ſe raris, & inuſitatis conditionibus inuitarit. Floruit in hoc homine peracris, ac pertinacis ſolertiæ laus, qua probatiora veterum ſcripta ſedulò elucubrauit, excoxit, notis, & caſtigationibus auxit, ex quorum propterea fontibus preſſum illud, ac ſeuerum dicendi hauſit genus, quod etiamſi laudatores habet plurimos, pauciſſimos tamen ſortitur imitatores. Cæterùm huic orationis propè ſquallori, aptiſſimè ſe ſe finxere mores ipſius, quando Stoica imbutus doctrina, vtriusq; fortunæ luſus æquiſſimo intaminatæ virtutis calculo æſtimare conſueuit: ridere enim perraro, vt etiam excarni, tabidaq; fronte, ac rigido quodam, vt aſpicis in hac imagine, ſupercilio, videtur quaſi voluptatum acerrimus increpator. Hanc eius vel inſtitutionem, vel genium, abditis omninò viribus iuuit natura parens, quæ tantum ipſi Muſicæ indidit odiũ, vt, quæ mortalibus rerum iucundiſſima exiſtit, quorum animos vel ex Pythagoræ auctoritate harmonica induit compages, hunc propè in orbe vnum ſtupendo præſtigio ægerrimè afficeret. Augebant eandem indolis inſuauitatem morboſi ex atra bile turbines, quos in hypocondrijs per vicenos perpeſſus eſt annos, ex ſedentario præſertim ſtudiorum cultu cõtracti, cuius ipſe affectus pluries in epiſtolis editis, cum nobiliſſimis medicorum anxiè conqueritur. Hinc inſulſæ curioſitatis rerum nouarum ſtudio affectatæ contemptor, ſeù vitæ norma, ſeù cultu doctrinæ vnis hærere antiquitatis veſtigijs, vnde inſcriptio illa ſuis vbiq; ſcriptis appoſita, Moribus antiquis. Obijt Louanij

uanij ſexagenarius ex catharro, ac tuſſi humaniorum profeſſor artium, & Conſiliarius Archiducalis, atq; Hiſpaniæ Regis Philippi tertij Hiſtoriographus, in cuius locum haud impari honorario, è publica Mediolanenſi ſchola trāſuectus Ericius Puteanus in Geldria natus, illuſtribus ingenij partubus, ac eruditionis commendatione, antecesſoris gloriam peregregiè tutatus cenſeri poteſt.

## Iuſti Lipſij.

Quod claudi potuit
Hic iacet.
S. P. Q. Antuerp.
inclyti viri
Famæ orbi notæ
Virtuti cælo receptæ
H. M. P.

## Incerti.

*Cum peteret virtus, doctrina, modeſtia, ſculpi*
*Mente, animo, vultu, Lipſius inſtar erat:*
*Lipſi animum, mentem, vultum, dum cæla laborant*
*Exprimere, in cælum ſe Trias iſta dedit.*
*Quid faceret ſculptor, quem ludit amabilis error?*
*Sedula ne erraret, ſculpſit vtrunq; manus.*
*Plectite ſecurè nunc Gloria, Fama coronas.*
*Inuidiam pedibus virgo modeſta premit.*

## Georgij Rotini.

*Quæ defeſſa patrum tentauit ſcribere cura,*
*Quæquè per ætates gignere longa dies.*
*Iam paucis complexa premit ſolertia Lipſi,*
*Et docta exiguis colligit illa notis.*
*Voluere quid veterum prolixa volumina præſtat?*
*Vnus non multis ſingula Iuſtus habet.*



IO. BAPTISTA PORTA.

# IO. BAPTISTA PORTA.

EXIMIAM hanc ſpeculabundi hominis expreſſam iconem, vera Io: Baptiſtæ PORTÆ lineamenta referre quilibet animaduertat, cui facies ipſius elapſis dudum annis demortui fuerit agnita. Hic ſe in ſacra naturæ penetralia condere, cælato quodam impetu geſtiens, innumera, vel excogitauit, vel ab alijs inuenta tranſcripſit, quæ mirabiles ipſius detegentia theſauros raperent vltrò legentium, curioſaq; ſectantium animos, Arnaldo, & Cardanó ducibus, qui ſubtilioribus hiſce ſtudijs impenſiùs delectantur. In patria ſiquidem ſua Neapoli Academiã extruxerat ſecretorum nũcupatam, in quam nemini fas erat inſinuare ſe, qui admirandum aliquod ſupra vulgi captum non proferret arcanum, ex quo certiſſimi, vel ad ſalutem corporum, vel ad mechanicarum vſum, vel ad rerum commutationem effectus ſequerentur. Vnde factum, vt hic plurima congereret, luculentis exinde opuſculis poſterorum memoriæ tradita. Qua verò apud eos fide, ſancire nobis ambiguum non eſt, qui violatum quandoq; ab ipſo, Muſis, & Apollini iuſiurandum aduertimus, cõmentitia ſcilicet potiùs, & proprio concepta genio docente, quàm experimento, prout moris inſtitutiq; ſui fuerat comprobata. Ceterùm veterrima hæc eius cenſus ſcriptorum, indelebiliſq; iam extitit nota, ſuperiùs etiam dictis, & Alberto, Mizaldo, Alexio, Marinello, cæteriſq; ſemper inuſta. Fuit is Philoſophiæ, Mathematicæ, Magiæ naturalis præſidijs inſtructus adeò, nec non Phyſiognomiæ notitia perpolitus, vt rerum ſcientificarum inuentioni aptiſſimus, inuentarum ſubſtentationi imbecillimus haberetur, neq; interdum ſubpuduit ipſum, aſſeclam ſuę imbutum doctrinæ principijs adſciſcere, cuius ſubſidio iniecta ſibi in doctiorum congreſſu obiectionum tela eliderentur. In prædictionibus tamen humanorum euentuum, vnicus ſui temporis fatidici vatis nomen eſt adeptus; quamobrem Romanæ ſuſpectus curiæ, integritatis ſuæ, vel inſons rationem reddere coactus eſt. Parciùs itaq; multò in poſterum, aſtrologicis indulgens commentationibus, comiciſq; obnoxius conſcriptionibus, ſupra triginta comædias, ac tragædias aliquot typis editas exaraſſe fertur. Interim verò Neapoli Portæ domus, à Germanis, & Gallis appetita, quorum cætus in Italiam ad ipſum inuiſendum, & alloquendum frequentiſſimi conueniebant, Ambroſium etiam Spinulam Patritium Genuenſem, ad ipſius aditum auſpicatò pellexit; hic enim à Porta

egregio vultuum ſcrutatore adamuſſim inſpectus, ſyderumq; influxui corporis imaginis aptato iudicio, ſic ad militaria inflammatus eſt munia, vt indè Belgicas ſecutus expeditiones, incomparabilis, celeberrimusq; huius ſæculi euaſerit Imperator. At verò ne futuris intentus, à præſentibus exemptus videretur ærumnis, diro ictus morbo Neapoli cecidit Anno MDCXV. Pridie Non: Februarij ſeptuageſimum vix ætatis annum, præfulgenti apud exteros perſpicacis ingenij relicta claritudine ſupergreſſus.

## Incerti.

*Pingitur hic, graphicè mores qui pinxit; idemq;*
*Ingenium in libris ſpirat, & in tabula.*
*Ergo, quis fuerit, cognoſcere ſi cupis, ipſum*
*Conſule, & ex ipſo diſcito, quantus erat.*

## Ioſephi Mariæ Ciriæ.

*Te decuit varias hominum ſpectare figuras:*
*Curaq; de facie noſcere quemq; fuit.*
*Sed tua iam facies ferali pallida buſto*
*Clauditur æthereas non ſubitura fores.*
*Tu ſis Porta licet: nunquam tamen aſtra patebunt,*
*Imperiale decus ni tibi pandat iter.*

## Georgij Rotini.

*Explicat arcanas naturæ Academia vires*
*Quam iubet imperio Porta patere ſuo.*
*Quidquid terra ſinu, pelagi ſeu cæca vorago,*
*Et exciti gignunt ſumma per aſtra globi*
*Id docet, & rerum pulſa caligine, Phœbus*
*Porta nouis radijs emicuiſſe iubet.*
*Per geminas olim ſubierunt ſomnia Portas:*
*Vnica nunc omnes Porta recludit opes.*



MARCVS ANTONIVS
Maioragius.

# MARCVS ANTONIVS Maioragius.

MARCVS Antonius Maioragius nō poſtremū hoc in ſacrario locum ſibi vēdicat, eo merito, quòd artis Rhetoricæ interpres eximius, Tullij lepores cū Ariſtotelis dogmatibus coniunxit. Hac enim ratione maximū illud cōtulit ſtudētibus bonū, quòd, cū in iſto præceptorū ſoliditatē agnoſcant, in altero cultiſſimā illorū praxim, reddūtur ex vtriusq; idea, cùm in loquēdo, tùm in ſcribēdo ſolertiores, ex quo tutiſſimū ipſis ad ſelectiorem eloquentiā iter munitur. Hunc verò Tullianæ elucubrationis genium, cùm inter cæteros eius ætatis præferret etiam Marius Nizolius Brixellenſis, orta eſt inter vtrunq; de primæ laudis acquiſitione contentio, multa viciſſim ſibi publicè obiectantem, ac ſua viciſſim ſcripta carpentem: in quo tamen Nizolius ideò acerbiora tulit eruditorum iudicia, quòd ſubacri, ac tetrica ſuperſtitione, in tanta latinorum procerum fæcunditate, ne hylum quidem à Ciceronis formulis recedendum arbitraretur. Sua igitur non ineptè tutatus placita Maioragius, in patria Mediolano perdocti, ac induſtris ingenij nomen emeruit: propterea gymnaſiū ſæpius, ceù ſummus humaniorum literarum arbiter, auditorum frequentia nobilitatum conſpexit. Nec verò ſui perſpicuitate ſermonis, vel docendi facilitate, quidquam poterat excogitari perfectius, quæ nobis vtraq; ſatis ipſius opera in hominum emerſa lucem teſtata reliquerunt. Vna in ipſo deſiderata vitæ prolixioris vſura, qua vberiùs informare, ac ſeriùs adoleſcentum animos poſſet; ſed fata egregiorum cęptis aduerſa, quadrageſimo primo ætatis anno, vitalia eius ſtamina reciderunt, relicto non temnendo ingenij ſui fætuum aceruo, quos partim impolitos, partim non completos, hæredum ſuorum pudor haud omninò illiberalis ſuppreſſit. Eius monumentum in exteriori Eccleſiæ D. Ambroſij maioris pariete, Mediolani viſitur inſculptum marmori.

M: Antonio Maioragio.
Dicendi magiſtro ſingulari
Latinis, Græcisq; literis perpolito.
Et libris editis illuſtri,
Qui publicè docuit an: XIIII.
Vixit XLI.
Bartholomæus Comes
Vxoris fratri B. M. P.

Geor-

## Georgij Rotini.

*Dum, tua, miratur Latium quæ dogmata condis,*
*Et quo Rhetoricem lumine, Marce, doces;*
*Has viſa eſt Pytho cælo depromere voces:*
*Vt mea diteſcant lumina, ſcribe diù.*

## Eiuſdem.

*Quæ modo diſſeruit pro roſtris mellea, dictat*
*Eloquij ſcriptas lingua magiſtra notas.*
*Lingua docet calamo, roſeo quod prompſerat ore,*
*Signat & in chartis, quos amat ipſa modos.*
*Tanta tuæ, Antoni, celebris non gloria ſuadæ,*
*Aut voce, aut calamo ſi caruiſſet, erat.*

## Ioſephi Mariæ Ciriæ.

*Torrenti ſimilis locuples opulentia linguæ*
*Viſa ſimul docto cum Cicerone loqui.*
*Ecce ſed exanguis tumulo liquor aureus aret,*
*Cognatum ad cinerem, venaq; prima redit.*
*Nullaq; facundis ſupereſſet gratia labris,*
*Ni modò facundus te ceciniſſet olor.*



IOAN. BAPTISTA
Guarinus.

# IOAN. BAPTISTA Guarinus.

GVARINI rhetoris pernobile apud Italos nomen, percrebuit vbiq; Guarini equitis pronepotis ſui recenti celebritate diffuſum. Ille Verona Nicolai tertij Marchionis Eſtenſis accitus ſtipendio, Ferrariæ græcas, latinasq; literas docuit; hic præter ſelectioris literaturæ notitiam, præter excellentem ad poëſim impetum, præter politicam in agendorum vſu ſolertiam, præter moralis Philoſophiæ è ſuggeſto Ferrarienſis gymnaſij traditæ ſcientiam, præſtitit adeò Thuſcæ cùm metricæ, tùm ſolutæ ſcriptionis lepore, vt plurimis veterum palmam abſtuliſſe, noſtrates lyricis præſertim modulis fermè omnes ſuperaſſe cenſeatur. Volitat per omnium ora virorum tragicum illud comicum, & ruſticum opus, in quo ſicut ingenij ſui robur vndiq; contulit, ita vberrimum aſſecutus eſt præmium fælicitatis, ac perennitatis, quando vel viuens ſuperfuit gloriæ ſuæ, theatris abundè omnibus, ipſius nomen ſæpius, & laudes perſonantibus; vita verò functus admirationem ſui reliquit vel maximam, poſteris adhuc præcelſam viuidi ſpiritus indolem, ipſius in fœtubus inculpatè probantibus. Cæterùm mirabile hoc in ipſo familiares notarunt, quòd etiamſi ex ore hominum tantum virtutis plauſum referret, attamen exoſam penitus haberet poëtæ nomenclaturam, quam contemptui, non honori profitentibus rebatur eſſe. Inſuper mirandum etiam, quòd licet expedita illa carminum pangendorum vbertas, illaborata penitus, & ſpontè fuſa videatur; tamen ab ipſo anxiè affectatam, ac diutino quæſitam ſtudio ipſimet aſſerunt, præmonſtrantes extrarias quaſdam carminum ſuorum ſchedulas, frequentiſſimis expunctas, ac immutatas locis, ex quibus herculè peracris quidam, ac implexus ſcribendi arguitur labos. Sed harum naturæ virium Phyſicas dudum rationes, in noſtro de animorum admirandis opere ſatis ſuperq; diſcuſſimus. Adiuuit porrò ipſius ingenij dotes, non iniquæ penitus fortunæ aura; quippè longo annorum curriculo ad Germaniæ, Italiæq; principes ab Alphonſo Eſtenſi renunciatus orator, plurima vbiq; reliquit æternæ monumenta memoriæ, ex quibus ipſi poſtmodum honos, familiæ faſtus, patriæ ſuæ nitor eximius redundauit. Quæ illo in primis nomine ſplendidiora fuere, quòd memorabili delata ſemper munia geſſit integritate, adeò vt ſacram illam aulicorum

ferè inſidentem animis pecuniæ famem, nè hilum ipſius vnquam torſiſſe præcordia compertum ſit: dignioribus enim Socraticæ diſciplinæ inhærens veſtigijs, vna virtutis poſſeſſione lætandum, cætera obtuſiori lance penſanda opinabatur. Vnde forſitan æris domeſtici neglector, ad non leue gentilium ſuorum detrimentum eſt habitus. Verè præcipua, eaq; nimia, quoad vixit, ipſius extitit cura, ſpecioſis principum fulgere titulis, ex quibus tamen ceù infæcundis radijs prætumidus plerunq; vapor excitus, deficiente, ingratitudinis malo, debita humoris alimonia euaneſcit. Ità dum à ſecretis Alphonſo ſecundo adſtitit diù, vel dum conſiliarij ſtatus apud eundem munia ſubijt, rebus plurimùm contulit ſuis ex optimi Ducis munificentia; verùm illius commutata poſteà voluntate, ad Vincentium Gonzagam, & Ferdinandum magnum Hetruriæ Ducem, ac demùm ad Franciſcum Mariam Feltrium Vrbini Dominum ſe conferre coactus, haud ſcio, quodnam vtrobiq; curarum ſolatium, præter lautam genij, Muſæq; commendationem retulerit. Receptus tandem in patriam, vbi velut ex oraculo toti Italiæ, ineundæ pacis reſponſa promebat, indeq; Venetias fortè appetens, morbo correptus an: ſal: M DC XIII. ætat. ſeptuageſimoquinto, inibi exceſſit è viuis, extraneo adhuc ſolo decus corporis, patrio mentis gloriam ſolennitùs obtinente.

## Ioſephi Mariæ Ciriæ.

*Ergo Guerine, iaces decor inclyte vatum,*
*Atq; Aganippæi gloria rara iugi!*
*Quid fidi ceciniſſe iuuat paſtoris amores,*
*Comptum & Apollinea fronde tuliſſe caput?*
*Si extinctus palles fatali fulmine læthi,*
*De claro & supereſt pectore ſola cinis?*
*Surge tamen cœno, in cælum Imperialis arundo*
*Te vehit, & ſuperùm tecta ſubire iubet.*
*Nil valet imperium, & ius intractabile Mortis.*
*Imperiale pati cogitur ipſa iugum.*



TORQVATVS TASSVS.

# TORQVATVS TASSVS.

ETSI ab incunabulis Taſſus angori, triſtitiæq; ſuprà modum obnoxius, hunc perpetuò mærentis, & altiùs cogitantis geſſit aſpectum, gracili mento, facie decolori, conniuentibus, çauisq; oculis: poëtico tamen concentu, ac lepore ſuis in operibus mirificè adblanditur. Stupeas eius in corpore tantùm ali potuiſſe fellis, cuius ex ore tantùm profluxerit mellis: at hi naturæ luſus, quorum cauſæ in noſtro animorum Muſęo ſatis adductæ. Surrenti natus, Neapoli educatus, Bergomo oriundus, haud ſcio quàm ſibi potiùs adſcripſerit patriam: Neapolitanum ſe interdum pulcherrima Vrbis ſpecie flagrantem vocauit, aliàs Bergomenſem, & veriùs, Bernardi patris, & priſco gentilium ſuorum exortu. Patauij cum ſe iuſſu patris Iuriſprudentiæ ſtudio dedidiſſet, ſic feruido ad poëſim impetu eſt abreptus, vt heroicum Rinaldi carmen ſeptemdecimo ætatis anno, metris conſcriptum Italis euulgarit; ex quo cum primus æterni ſui nominis emiſſus fulgor, tùm iuſtis dehinc legum ſcientiæ perſolutis, ad heroum Eſtenſium aulàm tunc ſacris Muſarum conuentibus inclytam commigrauit, vbi propemodum reliquam exegit ætatem. Miſerabilis, & ærumnoſa prorſus extitit eius vita, hinc inopia, illinc amore, morbis, exilio, carcere, delirio conflictata. Iniquam exilij vicem cum Bernardo patre, qui ſe Ferrantis Sanſeuerini ſatis notæ calamitati deuouerat, primùm ſubiens, bonis propterea cunctis exutus, ab affinium, & amicorum munificentia ſæpiùs victum, vel egerrimè aucupatus eſt. Illuſtri porrò Alphonſi Ducis in atrio, Eleonorę (vt aiunt) Eſtenſis latenti percitus amore, (quæ communis poëtarum eſt lues) cum nobilem aulicum, à quò ſe detectum, & proditum arbitrabatur, ad ſingulare vocaſſet certamen, quo etiam ſtrenui, & inuicti ſpecimen animi præbuit; cumq; ob id nutu Ducis ad eius potiùs cuſtodiam, quàm ad criminis mulctam in carcerem eſſet coniectus, ſic vel iracundiæ, vel pauoris, vel ſuſpicionis actus eſt ſtimulis, vt principis clementiam temerè inhumanitatem interpretans, qua perceptos iàm vlciſci vellet amores, fuga opportunè inita, ſe à nobiliſſimo eius hoſpitio abdicarit; quod vnum ei mox fuit miſeræ perregrinationis exordium. Mentita veſtium, idiomatis, oriſq; ſpecie, totam ferè Italiam peragrare ſolus: oberrante ſibi quadam internecionis imagine, deuios petere locorum anfractus, pernoctare ſub dio, non ſe patrios inter cœtus, vel ſuorum in gremio, non verendis Diuûm in laribus

ſe tutum

ſe tutum putare: offuſus adeò tetra caligine mentis nitor, vt alluſorem ſibi inceſſanter crederet dæmonem, cuius etiam obtutu, & alloquio velut in ecſtaſim raptus, pluries, amicis, ac domeſticis vltrò mirantibus, perfruebatur. Hanc igitur diram hominis alioquin præclariſſimi ſortem commiſerans Alphonſus, diuina planè, ac regia animi celſitudine, rurſus illum ad ſe reconciliationis fœdere pertractum, ſingularibus priſtinæ beneuolentiæ officijs complexus eſt. At verò bis profugum, & bis receptum, cum animaduerteret morboſa corporis intemperie, ac æſtuantium infarctu humorum immodicè agitari, ideòq; medicis indigere ſubſidijs, Ferrariæ cuſtodijs traditum in hoſpitali Sanctæ Annæ ſedulò detineri mandauit, vbi annos vndecim vitam poſtmodum libertatis orbatam iure traduxit. Hac porrò centies, tùm carminibus, tùm literis apud omnes Italiæ principes deplorata, Vincentio Gonzaga Mantuano Duce demùm intercedente potitus eſt. Sanè huius exemplo furorem conſtet poëticum, & igneos illos cælitùs immiſſos ardores facilè inflectere ad veſaniam, quod etiã quotidianis paſſim experimentis eſt obuium. De laudatiſſimo eius Hieruſalem liberatæ poëmate, quod ab Academicis Florentinis, & aliorum oblatrantium morſibus, nuper Paulus Benius egregiè vindicauit, omnibus Parnaſſi cultoribus ingenuè adſtipulantibus, ſic ſancimus, ipſum & quod ad fabulam, & mores, & phraſim, & alia, quibus heroici carminis abſolutum effingitur character, epica hucusq; Italici nominis omnia ſuperaſſe: vt lauream mediusfidius, quàm Taſſo Cynthius Cardinalis Aldobrandinus, Romæ ſolennitùs deſtinarat, indignè mors inibi præpropera, & atrox nimis abſtulerit. Eius oſſa in Eccleſia ſancti Onuphrij abiecto anteà, & humili iacentia loculo, dudum Bonifacius Beuilaqua Cardinalis eruditione, ac pietate clariſſimus, magnifico, ac ſplendido condita monumento, poſteritatis memoriæ conſecrauit.

## Ioannis Vincentij Imperialis.

*Qui Phrygium pietate Ducem, virtute ſuperbum*
*Æacidem vicit, maior vtroq; ſenex*
*Non Andinum illis, magnumq; inuidit Homerum*
*Goffredus. Taſſi prætulit hiſce tubam.*

## Ronconij.

*Seu canat ardores paſtoris Taſſus Amyntæ,*
*Siue cupidineas, quas tulit ipſe, faces;*

*Altius*

*Altiùs aut recinat reboanti carmina plectro,*
*Et celebrare pij ſic velit arma Ducis.*
*Quid valeant ſacri monſtrat commercia Pindi,*
*Quidq; Aganippæo mens agitata Deo.*
*Caſtalides nunquàm poterant reſonare camænæ*
*Vel potiore lyra, vel meliore tuba.*

## Ioſephi Mariæ Ciriæ Cremonenſis.

*Abſcede vulgus: nil triuialibus*
*Miſcere plectris nunc libet: aureæ*
*Sed fila ſublimis Camænæ*
*Pindarica ſtimulare buxo.*
*Te claram amænæ lampada Phocidos,*
*Torquate dicam: te radiantibus*
*Sertis coronarum recliuem*
*Non humili memorabo cantu.*
*Sic vota currunt: quis mihi grandia*
*Nunc Vate tanto carmina deneget:*
*Si corda Phœbei furoris*
*AEſtibus incaluere miris?*
*Iam iamq; ſanas in furias ruit*
*Mens prouidenti feruida pectore:*
*Dum buſta Torquati iacentis*
*Me iubet Imperialis ardor*
*Inuſitato pandere barbito:*
*Magniq; Vatis me cineres iuuat*
*Situq; torpentes, geluq;*
*Organicis animare flammis.*
*Torquate, quæ te ſegnities grauat*
*Fœdoq; cogit ſerpere puluere?*
*Exurge cœno, ſordidoq;*
*Mitius irradiantis aſtrum*
*Tuere cœli: mœnia patriæ*
*Locata cliui vertice floridi,*
*Rupesq; cultas, & feracem*
*Planitiem locupletis agri:*
*Hortosq; lætos, & viridaria,*
*Domosq; celſis molibus inclytas:*
*Tecumq; deducas cateruam*
*Caſtaliam, indigenasq; Pindi*

*Beatiorum per iuga montium:*
*Phœbus relictâ & ſede domeſticâ,*
*Cliuoq; Parnaßi biſulco*
*Adſit: Apollineuſq; cætus*
*Vna cauatis vallibus aureæ*
*Laceſſat Echo vocis imagine:*
*Nunc collis excelſi cacumen,*
*Nunc humiles feriatq; campos.*
*Sed quid decoræ ſpicula gratiæ*
*Fulgore miro nunc mea lumina*
*Defixa percellunt: ſereni &*
*Egregius micat oris ardor;*
*Veriq; pugnax nobilis indoles,*
*Germana virtus, & decor aureus*
*Mentis venuſtæ, fœderati*
*Peruigil ingeniiq; candor?*
*Quid Taßi Hetruſcis metra leporibus*
*Permixta vernis floribus inſeram:*
*Condita dulci verba rytbmo,*
*Et numeris modulata magnis:*
*Quid ſacra Chriſti buſta tyrannide*
*Subducta Tracis: dira Othomanicæ &*
*In bella Gothfrido irruente*
*Cornua dilacerata Lunæ?*
*Sed iam diſerti fulmina gutturis*
*Vibrata, Muſæ deſidis arguunt*
*Cantus, verecundiſq; functum*
*Barbiton increpuere neruis.*
*Mens indecoris acta furoribus*
*Quò nunc oberras? deſine peruicax*
*Referre Torquati eminentis*
*Geſta graui recinenda plectro.*




IACOBVS MAZZONIVS.

# IACOBVS MAZZONIVS.

OFFERTVR hac in tabula conſpectui totius orbis Mazzonius, vt, quem æterna compleuit nominis fama, honeſtiſſimo etiam oris perſtringat obtutu. Hic ingenij diuinitate, antiquos Græcorum, & Arabum ſapientes adæquaſſe videri poteſt, latinos verò forſan omnes acumine prouocaſſe, ſi, quæ de mirando ipſius, vel in puberibus annis inſtinctu percepimus, fideliter euulgantur. Tradunt ipſum phyſica vix ingreſſum ſtudia in Patauino Lyceo, cum in ſummos duos tranſacti ſæculi philoſophos, Pendaſium, & Mercenarium, varia inter ſe doctrinarum alentes diſſidia impegiſſet; tàm neruoſo rationum robore, Pendaſij partes, cuius ſe præceptis deuouerat, ſcriptis editis tutatum eſſe, vt exinde ſinguli primum ei inter diſcentes, illuſtris ingenij locum, ſcholaſtica ouatione deferrent. Porrò Bononiæ, tertio infra trigeſimum ætatis anno, propoſitis theorematibus quinque millibus centum, & nonaginta ad omnium ſcientiarum momenta ſpectantibus, ſic illa, in æde Diui Dominici quatriduò propugnauit, vt Caſtanea tùm vrbis legatus ibi aſſiſtens, & audiens, (qui poſteà Pontifex fuit electus) priuatim Mazzonio ſit faſſus, ſe ex theorematum numero, fatui, & impudentis ipſum ingenij iuuenem æſtimaſſe, quòd fucata ſapientiæ pompa, tantum ſui periculum facere auderet: ſed parce (inquit) immerito conceptui meo: abſoluta pugna te doctorum principem, & exemplar, & ſuſpicio, & prædicare non deſinam. Cæterùm anno illo ſolemni indulgentia ſacro, Romam hic accedens, & Cardinalis Sancti Xiſti exceptus hoſpitio, citiſſimè totius in ſe curiæ oculos, animoſq; conuertit, quando de omnibus ex tempore diſſereret, lectiſſimo plurium linguarum idiomate vteretur, abditiſſima auctorum, innumeraq; loca ad verbum recoleret, afferret omnium in quacunq; diſcuſſione ſententias, Metaphyſicæ, Theologiæ, Phyſicæ, Mathematicarum, Politicæ, mitiorum literarum diuitias oſtentaret, ob quæ maximæ vrbi mirè conſpicuus, & probatus, cùm eiuſdem Cardinalis philoſophus, ac theologus eſt electus, tùm publico etiam docendi munere ornatus eſt. Neq; hîc ſupereminens elatæ mentis ſiſtitur vigor. Inter omnes, qui Venetijs cum Scoto illo Critonio ingeniorum miraculo, de ſcientiarum apicibus diſceptarunt, vnus fortè animi gratia eò appulſus extitit Mazzonius, qui in nobiliorum conuiuijs conſultò initis accerſitus, ternum cum illo acerrimæ diſputationis congreſſum ſubiuit: at eo, multis in-

genuè teſtantibus, euentu, vt Critonius diuina illius argumentorum copia, & inuſitata ſubtilitate obrutus, candem ſe conflictui callidè ſubtrahere ſit coactus, dictitans armorum ſe magis, quàm ſcientiarum ſtudia profiteri. Iàm igitur quod Phyſici rariùs admittunt, euidenter in hoc viro conuincitur, ſublime ingenium cum excellenti iunctum memoria, hæſitantibus adhuc poſteris, vtro magis præſtiterit. Vt enim diſertè perhibet Leonardus Saluiatus, erat hic in ſupremo gradu ſciẽtificus, in omnibus idiomatibus ciuis, in omnibus facultatibus magiſter, qui tantum ſciret, quantum reminiſceretur, qui reminiſceretur, quantum legiſſet, qui legiſſet, quod vbiq; ſcriptum reperiretur. Hac de cauſa in omnibus Italiæ gymnaſijs accitus, rogatus, concupitus, poſtquam in Romano, & Maceratenſi conſederat naturalium interpres, in Piſano dehinc efficaci Magni Etruriæ Ducis prenſatione decennium abſumpſit. Interim & pluries patriæ nomine, ad ſummos principes, ac pontifices legatus, optimè oſtendit in docto homine ciuilis prudentiæ non deſiderari ſubſidia. Ac præſertim Petri Aldobrandini Cardinalis pontificiarum copiarum præfecti nutu, Venetias pernobili legatione tranſmiſſus, ad intentam Ferrariæ recuperationem Senatui referendam, ea ſibi dexteritate ampliſſimi ordinis conciliauit animos, vt ab ijs aureo torque quadringentorum aureorum donatus, Cardinalem voti compotem egregiè fecerit, ac ſedauerit, multis anteà ſuſpicionum turbinibus agitatum. Exinde ab eo Ferrarienſis Academiæ moderator electus eſt: ſpecioſioribus etiam titulis decoratum fore cuncti ominabantur, niſi febris erryſipelate inuecta, præpropero ipſum impetu ſuſtuliſſet. Scripta ipſius apud poſteros perpauca. Præter Dantis defenſionem aduerſus Rodulphum Caſtrauillam, & Franciſcum Patritium, extat de conſenſu Ariſtotelis, & Platonis opus inſigne. Alia forſan imperfecta, gentilium ſuorum obtexit oſcitantia, vel voluntas.

*in epiſt. 21. lib. Adnotat. ad Boccaccium.*

### Ronconij.

*Dum colit ingenium vigili Mazonius arte,*
*Inclytus alta ſapit, prouidus alta petit.*
*Non illi offendit tenebris obliuio mentem,*
*Quæ ſemel accepit, mens memor illa tenet.*
*Quàm bene voce repens valeat, Critonius ipſe*
*Diſceptans, cuncti quem timuere, probat.*
*Hic pauca inſcribit parcus, ſed plurima nouit;*
*Attamen è paucis gloria multa venit.*

Geor-

## Georgij Rotini.

*Impiger exhauſit totas Mazonius artes,*
*Quas ſubitus memori, cum iuuat, ore docet.*
*Porticus, & ſapiens quæcumq; Academia nouit,*
*Atq; Stagiræi docta Lycea ſenis,*
*Combibit, & penitus grauida ſub mente repoſtum;*
*Nec mora, nec requies; lingua diſerta ſonat.*
*Quid cunctabundos prodeſt audire magiſtros?*
*Diſcere ab hoc vno plura repentè potes.*




IACOBVS CRITONIVS.

# IACOBVS CRITONIVS.

HIC eſt Critonius ille Scotus tranſacti dudùm ſæculi monſtrum, prodigioſo naturæ opificis conatu editum, quò Parnaſſi ſpacia ſtupendo, & inuſitato ſpectaculo illuſtrarentur. Hic eſt totius adhuc Orbis iudicio Phœnix habitus ingeniorum, diuinæ mentis igniculis ſummi potiùs datoris referens maieſtatem, quàm mortalem ad æmulandum laceſſens induſtriam. Seceſſit in Italiam ex Inſula Scotiæ occiduo contermina Oceano, tunc temporis, cùm religionis cauſa inteſtinæ inibi ſeditiones exortæ, luctuoſas toti regno calamitates attulerant, regina ipſa è ſede pulſa, & Anglorum carceri tradita, nec non ferro, ac flammis in lares, & fana Deûm perditè graſſantibus. Robertus ſiquidem eius pater ex Stuarda Regum Scotorum familia oriundus, oppidorum Dominus,& copiarum Eccleſiæ iura tuentium ductor, præclarum è tot incendijs eximendum filium, traducendumq; Venetias, tutum pacis aſylum, exiſtimauit. Ibi ſtatim coràm Duce, ac Senatu perorans adoleſcens vigeſimum vix attingens annum, tàm propenſis hominum ſtudijs eſt exceptus, vt admiratio venerationem, plauſum vrbis in ipſum frequentia ſuperaret. Oris enim ſuauiſſimi ſpecies, erectum corpus, valida membra, roſæ ſignum circa dextrum lumen innatum, vt omnium facilè alliciebat oculos, ſic præalta facundia, rerumq; notitia præclariſſimarum, dæmonicum prorſus (qualem magnis viris attribuit Ariſtoteles) ei ſubeſſe animi teſtabantur vigorem. Quid aut magnificentius, aut admirabilius, quàm in ipſis ephebis, belli detentum ſtudijs ingenium, tantam in doctrinarum aruis meſſem cogere potuiſſe? Quid humanum magis exſuperans captum, quàm vigeſimo primo ætatis anno, decem linguarum peritia; necnon Philoſophiæ, Mathematicæ, Theologiæ, mitiorum artium, cæterarumq; omnium diſciplinarum apicibus prꝑſtitiſſe? Porrò quid magis in toto terrarum ambitu inauditum, quàm digladiandi, ſaltandi, ſonandi, equitandi, totiusq; gymnaſticæ præſtantiam ſingularem, tot arcanis elatæ mentis iunxiſſe prærogatiuis? Deperijt ipſum præ cæteris Patauina iuuentus, dum in ornatiſſimum eius Lyceum prodiens, cum celeberrimis Europę doctoribus, de rebus omnibus diſputationes inijt, incredibili memoriæ, dictionis, ac ingenij fœlicitate, adeò vt ab eius ore ſinguli velut delapſi à cælo numinis dependerent. Ac ſanè illud Aldi iunioris teſtimonio traditum in præfatione Ciceronis paradoxorum, quòd accitis in Iacobi Aloy-

bi Aloyſij Cornelij Senatoris clariſſimi domicilio, cunctis omnium ordinum gymnaſij profeſſoribus, cùm Patauinas laudes ex tempore decantauit, tùm ſex horarum ſpacio ſuſceptis plurium ſcientiarum colloquijs, ac tandem etiam propoſito ſibi laudandæ ignorantiæ themate, tàm ornatè, ac diſertè ea de re dixit, vt ſomnia potiùs, quàm rem veram, & præſentem audire, ac videre arbitrarentur. Hinc factum, vt alio die indictum in ædibus Illuſtriſſimi Patauini Epiſcopi congreſſum, declinarent propè omnes; cuius tamen rei cauſam idem Aldus apertè non refert. Mihi quidem ex patris mei, qui ipſum audijt, ſermonibus agnitum, ex doctoribus vnum, interriti ſpiritus acie Arcangelum Mercenarium inſignem Philoſophum, cum Critonio de rebus Phyſicis copiosè, grauiterq; diſſeruiſſe, impugnando, reſoluendo, interpretando ſubtiliter, ac promptè ſingula, qui propterea perhonorificum lectiſſime coronæ, ac vel ipſius diſceptatoris iudicium eſt emeritus. Cæterùm Patauina hic deſerens ſtadia, ceù ludis omnibus victor, Venetias rurſum ſe contulit, vbi cum rabidis iniquorum morſibus excitus, omnem vellet retundere liuoris acutiem, inferas in æde ſacra Diui Ioannis, & Pauli concluſiones ad diſputandum expoſuit Pentecoſtes die, ac per triduum propugnatas. [Vt ijs, qui virtute, veraq; animi nobilitate alijs prælucentes benè de virtutis amatoribus ſentire conſueuerunt, gratias agat immortales Iacobus Critonius Scotus, profligatiſq; ac perditis hominibus omnem in poſterum iactãdi occaſionem auferat, errores Ariſtotelis penè innumerabiles, & omnium latinorum Philoſophorum, ſiue cùm de ipſius mente diſputant, ſiue cùm res Theologicas attingunt, & nonnullorum quoq; Matheſeos profeſſorum ſomnia refutabit. Liberam ad hæc in omnibus diſciplinis ſiue illæ publicè tradi ſoleant, ſiue ſapientiſſimis tantùm hominibus peruiæ ſint arguendi occaſionem dat, reſponſurus ſiue Logicis, & conſuetis reſponſionibus, ſiue per ſecretam numerorum rationem, aut figuras Mathematicas, ſiue per aliquod ex centum carminum generibus ex proponentium arbitriò.] En ſacri celſiſſimæ originis impetus, quibus pares nulla temporum memoria, præterquam in Pico Mirandula vix inuenias. Tantus igitur humani generis fulgor occidit ſub iniquo heù nimis Mantuæ cælo, deplorando ſemper euentu. Eò ſiquidem, cùm Venetijs abſtractus humanitate Guyllelmi Gonzaghæ Ducis, animi gratia receſſiſſet, ac veſpere quodam cum cithara, & enſe ſub alis ſolo, aulicorum more per vrbem ijſſet, contigit, vt Ducis filio Vincentio (conſultò, an caſu incertum) occurrens, ad arma fuerit acriter laceſſitus, qui repetè ſtrenuiſſimo in ipſum, duoſq; ſocios inſultu, non ſolùm eſſeros repellens ictus, ſed magnum ipſis periculum inferens, eò laſſatum tandem redegit principem, vt edita

voce

voce Iacobo ſe pandere ſit coactus: hic verò prolapſis ſtatim genubus, veniam affectatæ impenſiùs vindictæ dum peteret, ſe, quòd illum in tenebris non dignouiſſet, excuſans, furenti atq; inexorabili Vincentij dextera tranſuerberatus eſt. V. Non: Quinct. anno MDXXCIII. expleto nondum ætatis vigeſimo ſecundo. Miſerabilis herculè fati rumor in vltimas vſq; terras expanſus, nedum tetricis viuentes inſtitutis homines perculit, ſed naturam propè turbauit vniuerſam, quæ pompam excidiſſe ſuam ingemens, haud ampliùs tantis ſe mortales cumulaturam honoribus minata eſt.

## Georgij Rotini.

*Ignoto latuit Phænix Critonius æuo,*
*Funereis poſtquam Mantua merſit aquis.*
*Scilicet, vt ſurgat rediuiuus in æthera Phænix,*
*Auxilium poſſet qui dare nullus erat.*
*Famigeras iterùm Critonius exit in auras,*
*Et volat ingenio docta per ora virûm.*
*Addidit imperio manſuras Dædalus alas*
*Et penna has pennas Imperialis habet.*

## Ronconij.

*Fert præiudicium ſapiens Critonius annis,*
*Dum vincit roſeis tempora cana comis.*
*Hinc parat inſidias ætas, quibus ille recedat,*
*Inuida quæ tantum nollet habere virum.*
*Aſt iterùm ſuperat languens fera ſæcula, namq;*
*Quæidem ſupereſt, famam non gelida vrna capit.*
*Ingenio Phœnix, Phænicis ſorte nouare*
*Debuit occiduum, non moritura dies.*



VLYSSES ALDROVANDVS.

# VLYSSES Aldrouandus.

VLYSSES Aldrouandus incomparabilis naturæ operum perſcrutator, varietate doctrinæ, vbertate ſcriptorũ, reconditis eruditioris ingenij viribus, cunctos ferè cùm præſentis, tùm elapſi ſæculi homines ſuperauit: nulla quippè ditior apud alium officina, gummatibus, lachrimis, radicibus, herbis, lapidibus, animalibus, gemmis, quàm quæ in ſuis paratur libris; vt profectò admirabilem vniuerſi referre videatur mercatum, dùm incogniti cuiuſq; climatis fœtus, legentium mirè ſubijcit oculis, exprimitq; vires. Dignus pernobili Vlyſſis nomine, qui ſicut è Græcia ſecedens totius propè Orbis ambitum peragraſſe fertur, ita hic generoſo mentis impulſu, naturæ infrà cælum vbiq; luxuriantis delicias colluſtrauit. Vt verò Reipublicæ literariæ opulentum hunc expandit induſtris calami penum, ita in patria Bononia, pluribus annis docuit in ſuggeſtu, auditores ad eius oracula vndecunq; conuerſos; non tàm enimuerò herbariam profitebatur oſtenſionem, quàm logicæ, Philoſophiæ, medicinæ, ac liberalium quarumq; artium elegantiam voce colebat: quod ſuperq; ſatis in eius etiam operibus poſteri ſentiant, quorum cathalogum hic in gratiam curioſæ iuuentutis, ſubijcere nõ pigebit. Quòd ſi antiquitas Teophraſtum, trecẽta librorũ volumina edidiſſe gloriatur, Chryſippum ſeptingenta, Atteium Capitonem conſulem ſexaginta, Seruium Sulpitium centum, & octoginta, & (quod humanum ſuperet captum) Origenem ſex millia; ſane is vel hoc nomine, præconio ſuo fraudandus nõ eſt, quòd non impari fælicitate veterrimorum æquauit gloriam, recentiorum amplificauit. Selectiora olim in domeſtico eius Muſæo, ſtudioſis ad intuendum expoſita, ſeruantur modò eius nutu in Bononienſi curia, magnifico apparatu ab exteris quotidiana propè inuiſione, atq; admiratione probata. Singularis hæreditas, ſingularem ſibi meritò conciliet commendationem. Deceſſit ergò non perijt, anno MDCV. die quarta Maij; ſiquidem ipſius in patriam pietas, in Muſas obſequium, in curioſos adfectus, frequenti, ac æternitùs duraturo ſui nominis ſonitu recinetur.

## Georgij Rotini.

*Euocat in lucem, ingenioq; illuſtrat Vlyſſes,*
*Quæ natura ſuis abdidit in latebris.*
*Quæ tacito concluſa ſinu miracula tellus,*
*Quæ mare, quæq; æther, aſtraue ſumma tenent.*
*Omnia ſcrutatus ſolerti indagine mentis*
*Digerit, & docta luce nitere iubet.*
*Viderit Argolicus mores, & mænia Vlyſſes;*
*Felſineus certè nobiliora videt.*
*Ille ſibi, haud ignota oculis, ſpectauit; at iſti*
*Commoda plura alijs, quæ latuere, patent.*

† *Ornithologiæ ſiue de hiſtoria auium tomus primus, editus, Et Clementi Octauo Pontifici Maximo dicatus.*

† *Eiuſdem Ornithologiæ tomus ſecundus ad Illuſtriſſimum, ac Reuerendiſſimum Cardinalem Montaltum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarium.*

† *Eiuſdē Ornithologiæ tomus tertius manu ſcriptus, in quo agitur de Auibus aquaticis, & quæ prope aquas degunt, item de ignotis, & peregrinis.*

*Specimen generale omnium rerum animatarū, & inanimatarum, quæ in noſtro Muſæo ad viuum ab oculos ponuntur, pro maiori parte à nullo deſcriptæ, nec in lucem editæ.*

*De Meteoris, ſeu impreſſionibus in aere genitis, de foſſilibus, Et alijs inanimatis omnis generis tam naturalibus, quàm artificialibus, & quæ habent figuram determinatam, vel luxu naturæ, vel caſu, volumen vnum.*

*De Animalibus exanguibus hiſtoria in varios libros digeſta. Et primo.*

† *De Inſectis apodibus, & pedatis, quæ poſteriora in alata, & alis carētia diuiduntur. Alata rurſus in alas detectas habentia, analitra dicta; & in cooperta labentia, quæ culeoptera vocantur, ſeu vaginipenna.*

† *Item de Cruſtaceis ſiue malacoſtracis, vt aſtacis, ſeu gammaris, de cancrorum differentijs, de locuſtis, Et ſquillis.*

† *Item de Malachijs ſeu mollibus, vt polypo, ſepia, ſepiola, & huiuſmodi.*

† *Item de Zoophytis, ſiue plantaminalibus, vt lepadibus, patellis dictis, & pyro marino.*

*De animalibus ſanguineis volumina quinque, quorum primum eſt.*

† *De Quadrupedibus viuiparis in plures libros diuiſum, vbi agitur de Eigitatis, vt ſunt Leones, Canes, Et huiuſmodi, & de Biſulcis, cuiuſmodi*

ſunt

*ſunt Boues, Capræ; & cætera id genus, & de Solipedibus, vt ſunt equi, aſini, & ſimilia.*

*Secundum de Quadrupedibus ouiparis, vt ſunt Lacertorum genera, Salamandræ, Crocodili, & Teſtudines.*

*Tertium de Serpentibus.*

*Quartum de aquatilibus ſanguineis, nempe de piſcibus ſquamoſis, leui cute contectis, Cartilagineis, id eſt aſpera cute tectis, vt ſunt paſtinacæ marinæ & raiæ, vel paſſerinæ ſpeciei, qui pſitodes appellantur, Item de cetaceis, de Cetis, vti de balenis, piſtricibus, & Orcis. Item de beluis marinis.*

*Quintum de Hominis natura, & de monſtris, quorum liber primus eſt de ijs, quæ fiunt ex exceſſu, & defectu materiæ. Secundus, quæ ex coitu diuerſæ ſpeciei. Tertius de ijs, quæ ex imaginatione. Quartus & vltimus de ijs, quorum ratio reddi non poteſt, ſed à cauſa cæleſti fiunt.*

*De Plantis volumen vnum in ſex libros diſtinctum quorum.*

*Primus eſt de arborum generibus.*

*Secundus de fruticibus. Tertius de Subfruticibus.*

*Quartus de Herbis communi nomine dictis.*

*Quintus de frugibus nempe de leguminibus, & triticeis.*

*Sextus de Herbis imperfectis.*

## Opera varia ſine iconibus.

D*E Admirandis volumen in plures libros diſtinctum.*

*Obſeruationes omnium rerum naturalium, nempe foßilium, plantarum, & animalium, prout in diuerſis locis naſcuntur, opus Principibus doctiſque, ac ijs præſertim, qui Muſæo ſua amplificare ſtudent, vtiliſsimum, diſtinctum in quatuor libros, quorum primus de ijs agit, quæ in Aſia, ſecundus quæ in Europa, tertius quæ in Africa, quartus, & vltimus, quæ in nouo orbe naſcuntur.*

*Dictionarium omnium rerum naturalium, quarum mentio fit in omnibus Hippocratis Coi libris, nempe plantarum, animalium tam exanguium, quàm ſanguineorũ, & foſsilium, quo in opere ſparſæ illius authoris ſententiæ ordine alphabetico rediguntur, & ſcholijs quibuſdã illuſtrantur.*

*Sylua allegoriarum myſticos totius ſacræ ſcripturæ ſenſus complectens, præſertim foſsilium, plantarum, ac animalium.*

*Antidotarium omnium medicamentorum, quæ ſunt in quotidiano vſu.*

*Elucidarium Theologicum de foſsilibus, plantis, & animalibus tàm exanguibus, quàm ſanguineis, quorum mentio fit in ſacris Biblijs.*

*Index omnium rerum, quæ in Muſæo ſuo collecta ſpectantur.*

*Lectiones in epitomen redactæ in libros quinque Dioſcoridis Anazarbæi publicè quadraginta annis continuis in Gymnaſio Bononienſi prælectæ, & in multos libros diſtributæ.*

*Epiſtolæ variæ, partim ipſius, partim aliorum de varijs rebus naturalibus.*

*De lucentibus noctu tractatus ad eximium, & Illuſtrem virum D. Camillum Paleottum Senatorem.*

*Pandechij Epiſtemonici multa volumina in omni genere ſcientiarum vtiliſsima, cùm ſint tanquam loci communes omnium rerum ad hiſtorias texendas, ex aſsiduis noſtris ſtudijs obſeruata, & in ordinem alphabeticum redacta.*

*Schedarum numerus infinitus aſsiduis ſtudijs collectus, & in ordinem alphabeticum redactus, in quibus quam plurima variorum authorum loca aduertuntur, & dilucidantur.*

*Scholia varia in Ariſtotelem Theophraſtum, Vitruuium, & Plinium.*

*Petrus Bellonius Cenomanus de hiſtoria auium ex Gallico Latinus factus.*

*Ornithologiæ ſiue de auibus in genere tomi quatuor.*

*Commentaria in Dioſcor. librum primum.*

*Index plantarum omnium, quas in ſexdecim voluminibus diuerſis temporibus exſiccatas agglutinauit.*

*De Acetarijs, quæ veniunt in vſum ciborum.*

*De Plantis odoratis, & viroſi odoris hiſtoria.*

*Theophraſti ſententiæ hinc inde ſparſæ in ordinem alphabeticum redactæ, & annotationibus illuſtratæ.*

*De Abrotoni veriloquio, æquiuocatione, & ſynonymis, & de onobrichi, ſeu ruta capraria, quę maximis viribus pollet aduerſus peſtem ad Illuſtriſs. Cardinalem Paleottum Bononiæ Archiepiſcopum vigilantiſsimum.*

*De vinorum varietate, & natura annotationes, & ſcholia in decimum quartum librum Plinij.*

*De fermento ad Illuſtriſsimum Cardinalem Paleottum.*

*De Monocerote ſiue vnicorni liber ad Excellentiſsimum Iacobum Boncompagnum Ducem Soræ.*

*Dracologia ſiue de Draconibus hiſtoria ad Illuſtriſsimum, & Reuerendiſs. Cardinalem S. Sixti Boncompagnum Nepotem Gregorij XIII. Summi Pontificis.*

*Echidnologia ſiue hiſtoria de viperis fœminis, quæ ſunt baſis, totius theriacæ Andromachi, ad Fabium Myrtium Archiepiſcopum, & Gubernatorem Bononiæ.*

*De Sturione liber ad Illuſtrem virum Camillum Bologninum Senatorem, tunc Oratorem ad Gregorium XIII.*

*Syntaxis ſiue methodus vniuerſalis, & particularis omnium rerum naturalium.*

ralium, tam animatarum, quàm inanimatarum ex innumeris auctoribus collecta, ac in multos libros digeſta, opus ad ſcribendum in omni ſcientiarum genere vtiliſsimum.

De Differentijs, & figuris partium præcipuarum plantarum, nempe foliorum, florum, cum eorundem coloribus, ſeminum, fructuum, atq; radicum, opus valde vtile plantarum ſtudioſis.

Synonimia foſsilium, plantarum, & animalium, in varijs linguis.

Index plantarum, & animalium depictorum, Item foſsilium, quæ habent figuram determinatam, vel caſu, vel naturæ luxu.

De ſcientiarum, & artium origine.

Bibliothecarum ſelectarum theſaurus penes titulos in duodecim tomos diſtinctus ordine alphabetico, opus vtiliſſimum varia opera componere cupientibus.

De Cruce eiuſque miraculis, & in quibus rebus naturalibus, vt foſſilibus, plantis, & earum partibus, vt floribus, folijs, fructibus, radicibus, pariter, & animalibus naturaliter inſculpta reperiatur, libri duo conſcripti idiomate Italico.

Moſchologia, ſiue de moſco hiſtoria Illuſtriſs. & Reuerendiſſimo Card. Octauio Bandino dicata, dum Bononiæ eſſet Vicelegatus.

Moſchologia eadem translata ex lingua vulgari in Latinam.

Stephanologiæ ſeu de coronis hiſtoriæ libri duo, vbi non tantùm de earum diuerſitate, & materia agitur, verùm etiam de earundem vſu, vtilitate, & origine, opus iucundum, & vtiliſſimum omnibus naturæ ſcrutatoribus, in quo multa poetarũ loca tàm Græcorum, quàm Latinorum clarè enucleantur.

De Exanthematibus ſeu petechijs libellus ad Collegium Bononienſe Philoſophorum, & Medicorum.

Annotationes in opera Ariſtotelis, vt in primum poſteriorum.

In Prædicabilia Porphyrij commentarius.

Prælectiones in eadem Prædicabilia.

Paraphraſis in librum poſteriorum Ariſtotelis.

Prælectiones publicè habitæ in primum librum Phyſicorum.

Prælectiones in prædicamenta Ariſtotelis.

Prælectiones in librum de ſenſu, & ſenſato.

Prælectiones in primum librum meteororum eiuſdem.

Prælectiones in decem libros Ethicorum.

Prælectiones in primum librum de cælo.

In Logicam Ariſtotelis Paraphraſis.

Methodi variæ de foſſilibus, plantis, & animalibus.

Orationum variarum volumen in laudem eorum, qui in Collegio noſtro

Philo-

*Philoſophorum, & Medicorum, dum ipſe fungerer munere Vicearchidiaconi, promoti ſunt.*

Diſcorſi varij di diuerſe coſe naturali mandate in diuerſi tempi al Sereniſs. Gran Duca Franceſco Medici.

Diſcorſo del Muſeo, ouer Theatro di natura, & del modo di conoſcere i medicamenti incerti, all'Eccellentiſſimo, & Illuſtriſſimo Signor Giacomo Boncompagno Duca di Sora.

*Miſcellanea varia, & epiſtolæ de diuerſis rebus ad diuerſos conſcriptæ, quæ ſimul in duo volumina redigi poſſunt, vt.*

*De Cauſa finali plantarum libellus.*

*De Hortorũ origine atque diuerſitate, & vtilitate, adiecta deſcriptione horti pulcherrimi perilluſtris olim D. Pauli Poetæ Senatoris Bononienſis.*

*De Menſarum differentijs, & triclinio libellus.*

*De Sycomoro ad Illuſtriſs. Cardinalem Paleottum Archiepiſc. Bonon.*

*Quòd ſpongiæ ſint plantæ imperfectæ, non autem animalia Zoophyta.*

*De Papyro, & linguarum, & academiarum diuerſitate libri duo.*

*Plantas inutiles an natura producat ad eximium virum Franciſcum Bolognettum Senatorem Bononienſem.*

*De Farre. De Nicotiana. De Sandice.*

*De Lolio, & eius remedijs.*

*De Vrſi natura, & facultate ad eximium, & Illuſtrem virum D. Ioannem Aldrouandum.*

*De Lamia Cetacea ad Laurentium Sorgum Epidaurienſem.*

*De Sepa ſerpente ad perilluſtrem virum Dom. Camillum Paleottum Senatorem Bononienſem.*

*De Lacerta Chalcidica ad Fabritium Paduanum Foroliuienſem, Philoſophum, & Medicum eximium.*

*De Capriaſino ad Illuſtriſſimum, & Reuerendiſs. Cardinalem Paleottum Bononienſem Archiepiſcopum.*

*Anemologia ſiue hiſtoria de ventis ad Illuſtr. Cardinalem Paleottum.*

*De Aere corrigendo tempore peſtis ad Illuſtriſſimũ Senatum Bononienſem.*

*De Cancris ad Franciſcum Calceolarium Pharmacopæum ad inſigne Campanæ Veronæ.*

*Pectinum volantium hiſtoria ad Illuſtriſſimum virum Iacobum Sorgum Epidaurienſem.*

*De coloribus tractatus cum ſuis proprijs picturis à plantarum floribus deſumptis ad viuum.*

*De Gemmis nouem libellus ad Illuſtriſsimum Cardinalem Paleottum.*

*De Sulphuris locis, vbi naſcitur in varijs terrarum partibus, hiſtoria, ad ampliſſimum Cardinalem Bandinum Piceni Legatum.*

De

*De Numiſmatibus hiſtoria.*

*De Talentorum differentijs libellus.*

*Animaduerſiones ſupra picturas monſtrificas, & prodigioſas ad Illuſtriſſimum Cardinalem Paleottum.*

*De Eculeo, ſiue equuleo antiquorum, quod erat tormenti genus, quo torquebantur viri ſancti, & alij carceribus incluſi.*

*De Magnete albo ad Reuer. P. Io. Antonium Mariam Spadinum Inquiſitorem Bononiæ ordinis Prædicatorum.*

*Adagiorum vulgarium liber explicatus.*

*Quæſtiones Logicæ, & Phyſicæ variæ.*

*De locis topicis publicè, & methodicè declaratis.*

*Proconeſſi lapidis hiſtoria. De Lapide Bezaar.*

*De Ceruſa. De Tabulis ceratis.*

*De Taurobolio, & criobolio.*

*Plauti bina loca in Captiuis, & Aulularia emendata ad Illuſtrem virum D. Vincentium Pinellum.*

*De Vertigine libellus.*

I ſette peccati mortali per quali animali ſi poſſino eſprimere.

*Obſeruationes in Theriacam Andromachi.*

*Elogia virorum, qui viſitarunt Muſæum, & ſcripſerunt in libro eius.*

*Catalogus omnium virorum, qui varijs temporibus miſerunt varias res naturales, nempe foſſilia, plantas, & animalia, noſtrumq; Muſæum ditarunt: de quibus omnibus in varijs hiſtorijs, prout occaſio offert, mentionem facio, exhortans alios, vt ſi quid rari ad manus ſuas peruenerit, mihi communicare non dedignentur, vtilitatis publicæ ſtudioſorũ cauſa.*

*Oratio habita in Gymnaſio Bononienſi coram Illuſtriſs. Gubernatore Cæſio Epiſcopo Narnienſi, & alijs præclaris viris, & ſtudioſis.*

*Methodus breuiſsima de materia medica, quam perfectè callere debent medici, & pharmacopæi.*

*De Regulis mathematicis, littera Dominicali, aureo circulo, & in quo ſigno ſit luna, & quot horis luceat, & de epacta, & indictione.*

*Regulæ ad inueniendum, in quo gradu ſit Sol.*

*De Rotulo ſtudij Bononienſis, & ordine lecturarum & claſsium.*

*De Statuis marmoreis, & æreis, quæ diuerſis in locis Romæ conſpiciuntur cum earundem breui deſcriptione, & hiſtoria, edita Romæ anno 1556. Idiomate Italico, dum eſſem adhuc ſtudioſus.*



PETRVS VICTORIVS.

# PETRVS VICTORIVS.

INTER innumeros Florentia patria genitos, ingenij, ac eruditionis laude florentes, omnium conſenſu elapſi proximè ſæculi decus inſigne connumeratur Victorius. Gentilitio namq; ſplendori ſibi cum nobiliſſima Capponum familia congeneri, eas artium faces addidit honeſtiſſimarum, vt ſublimiorum merita coæquauerit, famam verò aliorum, non intermorituris poſterorum collaudationibus ſuperarit. Hoc varia cùm primis oſtendunt ipſius Commentaria in Rhetoricam, Poeticam, Politicam Ariſtotelis, nec non in Demetrium Phalereum, Catonem, Varronem, Columellam. Porrò verſiones Græcolatinæ Euripidis, Hipparchi, Sophoclis, quibus ſic excelluit, vt transfuſus in eum Græcorum auctorum genius videretur. Hoc proptereà nomine à Coſimo principe, Græci, ac Latini idiomatis interpretandi ornatus prouincia, moralis Philoſophiæ poſtmodum è ſuggeſtu tradendæ munus obtinuit. Ac renidentis celebritate virtutis, cum vndiq; frequentiſſimos auditorum cætus alliceret, Bononienſes, Venetos, ac Reges, ad ſuæ compulit vocis fructum, cumulatis præmiorum oblationibus expetendum. Sed patriæ ſuæ amans, optauit magis, ciuicis ab ipſa honoribus affici, ac Domini liberalitatem ſæpius experiri, quàm externi faſtus diſcrimen incerta perregrinatione ſubire. Illud tamen verè digniſſimum eſt adeptus, quòd exteri Florentia iter habentes, inter cætera eius vrbis admiranda, eum etiã ceù caput eius qui ſu pereminens, & ſacrum inuiſere, ac de facie noſcere geſtiebant; quamobrem eius ad viuum depictam imaginem, pretioſi loco viatici ſecum adferre plurimos compertum eſt. Id verò non ſolùm curæ habuit pietate, ac excelſa indole præſtans Farneſius Cardinalis, ſed eius potiſſimùm nutu, bonarum artium rudimentis voluit erudiri, vt etiam Feltrius Vrbini regulus, à quibus deinceps opulenta retulit honoraria vtriuſq; amplitudine, nec non ipſius claritate, atq; ingenio digna. Hinc ſummus Academiæ Florentinæ parens, concordi ſuorũ ciuium plauſu eſt appellatus. Ita doctorum cohors omnium Italicæ vniuerſitatis, ad eius oraculum inita humaniorum literarum diſſidia deferebat. In quo tamen egregiam perpetuò retulit modeſtiæ laudem, animo potiùs amicorum ſtudijs, & officijs, quàm propriæ gloriæ, ac inflationi prono. Neq; pariter vllum vel emeriti lucri commodum ſibi cordi eſſe tunc oſtendit, cum bis aureorum millia ſibi à nobili quodam oblata presbytero, vt Rhetoricæ volumen typis recuſum eius inſcri-

beret nomini, conſtantiſſimè reiecit. Quibus verè ſuſpiciendum dotibus, quid mirum, ſi pluries Coſimus ad varios principes legatum elegit? ac præſertim ad Iulium III. congratulandi ergo, de adepto ſanctiſſimæ ſedis faſtigio, vnde poſteà rediit equitis, & comitis nitenti adauctus dignitate? Quin etiam ab eodem lauream ſtudentibus conferendi obtento diplomate, plures, iiq; nobiliſſimi Etruſcorum, aliarumq; gentium, hoc vt ex eius manu decus acciperent, Florentiam data opera conueniebant: eodem fermè impulſu, quo temporibus anteactis, ſcientiarum candidati, vti ſuam Thadeo Florentino medicorum antiſtiti probarent induſtriam, à ſingulis orbis gymnaſiis vberrimi confluebant. Sed à corporis haud ſe potens interitu vindicare, vt ſe tot bonis animi reddiderat immortalem, preſſus annis tribus infrà nonageſimum, cecidit in patriæ gremio An. MDLXXXV. à Leonardo Saluiato equite collaudatus. Ac præcipuum eius voce inibi conſignatum elogium, quòd ſextus à quinque aliis eius vrbis celeberrimis Muſarum heroibus recenſeri mereatur.

## Iulij Ronconij.

*Crediderim, Petrum ſoluentem verba diſertum*
*Aurea iam Galli vincla habuiſſe ſenis.*
*Galli vincla ſenis facundo prompſit ab ore,*
*Cum voce adſtrictos traxerit iſte viros.*
*Nunc rediuiuus adeſt; animat nam fata Ioannes,*
*Dum victura ſuis fert monumenta modis.*
*Et ſtupor eſt geminus: mentes tunc auribus omnes*
*Vinctæ, nunc oculis corda ligata manent.*

## Ioan. Ludouici Valmaranæ.

*Florida iam virtus, FLORVM, tua floruit VRBI;*
*Orbem nunc variis floribus ampla beat;*
*Inuidia victa, Victori, maxima, templo*
*Æternitatis conſtruit atq; PETRAM.*
*Hoc ruet haud vnquam, ſemper durabit & illa,*
*Lethum namq; ferum, ſæclaq; dira prement.*
*Sic, qui, PETRE tuas gaudet conſcribere laudes,*
*Temporis, ac mortis detinet IMPERIVM.*



IO. BAPTISTA MARINVS.

# IO. BAPTISTA MARINVS.

QVAM natura parens multijugam præfert hac in rerum vniuerſitate luxuriem, optimè videtur MARINVS virenti quadam poeticorum fœtuum fæcunditate, ac pompa retuliſſe: nemo faciliori ad omnem ſcribendi elegantiam indole: nemo luſoria, vel ſeria Italicis aptare carminibus gnauior: lyrica dulcedine tot heroum, tot amorum, & fabularum, figmentorumq; carmina modulatus, vt Anacreontis iam, & Pindari nænias, Etruſcorum etiam nobiliorum fortaſsè rithmata, hoc æuo ſolus coæquaſſe videatur. Vorax huiuſmodi blandimentorum vulgus, auidiùs nunquā excepit alterius floſculos: Numen veluti deliciarum, Thuſciq; leporis habetur. Inuentionis Arioſto, maieſtatis Taſſo, concinnitatis Marino, laus propè omnium huius artis procerum, elegantiumq; virorum calculis defertur. At verò tanto hanc auram affectauit æſtu hic vir, vt leuitatis, & impudentiæ crimen ſuis vndecunq; captauerit ſcriptis. Sui amans, iactabundus, procax in cæteros, vnamquamq; ſcriptionis poeticæ formulam, vel ſelectiorem paullò ſententiam, aliorum prognatam ſtudio, ſibi tanquàm Caballini fontis vindici proteruiùs arrogare, ſuis erutam è fontibus conqueri, vt Muſarum ceù parens, ac genij dator, haud ita præſtantium poetarum cætui inſultare videretur. Multorum proptereà inteſtina ſibi vndiq; conflauit odia: plurrima ſubijt, & rerum, & vitæ diſcrimina. Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis Caroli exceptus aula, inſignem primò gratiam, equeſtribus ſibi Diui Lazari collatis inſignibus eſt emeritus, mox ſeueriſſimā indignationem, iocularium in eius gibboſitatem ſcriptorum opinione concitatam; vt vix herculè Ferdinandi Mantuæ Ducis ornatiſſimi auctoritas, è tetro ipſum carcere, ad priſtinam lucis vſuram reuocare potuerit. Decantatas porrò ipſius cum Gaſpare Murtola poeta non ignobili ſimultates, quem Dux à ſecretis habebat, lubens prætereo, quòd vterq; ſæpiùs venenatis, effuſiſq; cantilenarum poculis Italicæ vniuerſitati ſtomachum mouerint. Proteruior tamen Murtola, vt ingenij dexteritate impar, Marinum execrabili parui tormenti globulo fruſtrà de medio tollere nixus eſt. Sic Thomæ Stilianij, & aliorum ſuæ laudi perpetim obſtrepentium, conatus omninò irritos agnouit hæc ætas. At verè Adonidis carmen, in quo videtur vberrimos ingenij ſui congeſſiſſe theſauros, impar ſortiri videtur inchoatæ laudi augmentum; parùm enimuerò, quòd ibi legentem erudiat, animaduertas;

nullo

nulla poeticæ coagmentationis facies: nullum veterum, aut recentium lectiſſimorum poematum character: congeries potiùs quædam fabularum exiſtit, vix ad mores, vix etiam ad affectus conferentium. Vnus ferè in ipſo duntaxat ſuauiſſimæ dictionis tonus, quo, dum ſeuerioribus, nedum puberibus adblanditur auribus, præreptam ſibi à cæteris epicę inuentionis palmā non attingit. Illud ferè Lutetiæ Pariſiorum incæptum, abſolutumq; edidit, quò à primoribus Gallicæ nobilitatis illectus migrarat, quorum etiam liberalitate refertam lectiſſimis voluminibus ſupellectilem, ingentemq; pecuniæ vim in Italiam reportauit. Cęterùm Maffeo Barberino ad ſummum Romani ſacerdotij culmen euecto, quem modò Vrbani Octaui nomine veneramur, cùm Marinus vetere cum ipſo nixus neceſſitudine, ac vberrima iccircò excitus potiundi ſpe, Romam prædulce ſperantum domicilium cogitaſſet; vel in ipſo vrbis limine, irrita non obſcurè percipiens, adgnoſcensq; vota, in patriam ſe recepit Neapolim, vbi poſt annum ferè ſtranguria familiari confectus perijt morbo, ea funeris pompa, nobiliumq; ipſius cadauer ſectantium frequentia, quam vix vlli antea in ampliſſima vrbe contigiſſe, plurimi, qui viderũt, adfirmēt.

## Io. Vincentij Imperialis.

*Cum terris iterùm Veneri dilectus Adonis*
*Carminibus vixit, docte Marine, tuis*
*O' lacrymis dignate meis, Cythereia dixit,*
*Serus, ſed longè pulchrior ecce redis.*

## In obitum Marini poetæ præclariſſimi, Iacobi Gaddij ſylua.

*ITe, ite flebiles*
*Sine lege verſus:*
*Scilicet exlex dolor inſanus.*
*Omnia legum vincula rupit,*
*Cum Parca vitæ ſtamina ruperit*
*Vatis amabilis,*
*Vatis heu lacrymabilis*
*Flebili heu Muſis cecidit Marinus*
*Funere maximus;*
*Ille ille flos leporum,*
*Ille ille flos decorum*
*Ager ille gloriarum,*
*Illud grande gratiarum*
*Quod iniqua nimis*
*Mors exhauſit ſitibunda mare.*
*Ite, ite flebiles*
*Sine lege verſus:*
*Dextera lacrymas ede loquentes,*
*Oculi tacitos fundite verſus,*
*Eheu, eheu, eheu, eheu,*
*Velle crines, ſcinde veſtes,*
*O' prænobilis arbitra regni*

*Inclyta Parthenope,*
*Viuax Heſperiæ parentis aſtrum*
*Fulgens orbis ocelle blandientis,*
*Fax vrbium ſororum,*
*Viuo Felix, rapto infelix*
*Ipſa Marino.*
*Magis infelix, quò mage felix,*
*Effunde heu totas lacrymis habenas,*
*Scilicet illud*
*Mare gratiarum*
*Mare lacrymarum*
*Par ciet, vndas*
*O' Sebethe, gementi*
*Flebiles miniſtra,*
*Tuq́; ò Synceri carmine Vatis*
*Inclyta Mergilline,*
*Volue lacrymantes aquas,*
*Syncerum illacryma recentem.*
*Actius alter eſt Marinus*
*Tuq́; Nympharũ docilis caterua,*
*Quæ natales colitis fontes*
*Parthenopæi regni*
*Quæq́; montes, quæq́; riuos,*
*Quæq́; ſiluas, quæq́; prata*
*Syderibus redimita vernis,*
*Ite in lacrymas, ite perennes,*
*Fundite ſalſos, fundite riuos,*
*Eheu, eheu, eheu, eheu,*
*Victus iniqui turbine lethi*
*(Flebile fatum,) cecidit veſtri*
*Flos ille campi,*
*Decor ille montium,*
*Gloria nemorum*
*Fontium voluptas,*
*Fluminum venuſtas*
*Iris amœnæ gratior oræ;*
*Spargite frondes, ſpargite flores,*
*Fundite lymphas, fundite rores*
*Super auritum Vatis tumulum,*
*Veſter vt vireſcat flos,*
*Vt veſtra lux refulgeat,*
*Quam tenebrarum lurida mater*
*Extinxit veſtri ah luminis inuida,*
*Inuida gloriæ mors.*
*Ite, Ite flebiles*
*Sine lege verſus;*
*Ite perennes*
*Sine lege luctus.*
*Gratia crines ſciſſa decoros*
*Emerito patrẽ funere proſequere;*
*At ſine mundo;*
*Mors ornatum deſpicit omnem,*
*Non decet mortem niſi mortis vmbra*
*Nullis picta nitoribus;*
*Nullis fuſa coloribus.*
*Ite, ite flebiles*
*Sine lege verſus,*
*Ite perennes*
*Sine lege luctus*
*Oculi mutos voluite verſus,*
*Scribe loquaces dextera luctus*
*Eheu, eheu, eheu, eheu.*

## De ſupraſcripta ſylua.

*Quæ nat per mare grande lacrymarum*
*Deflens funera maximi Marini*
*Quouis iudice lacrymoſa ſylua eſt;*
*Quæ nat per mare dulce gratiarũ,*
*Quod in pectore claruit Marini,*
*Quouis iudice gratioſa ſylua eſt.*



PAVLVS BENIVS.

# PAVLVS BENIVS.

ACRI quodam indignationis impetu vir hic è Societate Ieſu, cuius in gremio diutiſſimè vixerat, abſtractus fuit, quòd extructos à ſe ad Platonis conuiuium commentarios, Patres argumenti aliâs obſcęnitatem exoſi, de more in vulgus proferri prohibuerunt; indutis enim exindè presbyteri faſcibus ad alium ſe liberiorem & ſolutiorem vitæ parauit modum; ac interim cum haud obſcuram ingenij laudem, quotidiana propè ſcriptiuncularum editione venatus eſſet, grauiſſimo Veneti Senatus nutu Patauium ad profitendam Eloquentiam traductus eſt, cuius tamen ſingularem de ſe opinionem miſerrimè eluſit, quippè rarus adeò fuit illi diſcentium conſeſſus, vt ſæpe magis gymnaſio, quàm ſtomacho ieiunaret. Arcebant alios ab ipſo languor ſermonis, & vocis, cum immodica rerum, ac verborum ſobrietate. Quoſdam auertebat collegæ ſui Vincentij Contareni periucunda æquè, ac ſpectata ſingulis doctrinæ ſpecies. Oderant autem vniuerſi morboſas quaſdam animi anguſtias, quibus ipſe indolis haud ità liberalis, atq; ingenuæ referebat indicia, adeò vt in eo gymnaſio dictum illud crebris iactaretur ſermonibus, malè de Benij rebus actum fore, ſi ſcriptura ei aliqua, vel pactum fuiſſet celebrandum, quando vel duobus eidem in ſchola ſua teſtibus contigiſſet egere. Inter cætera potiſſimùm hoc illi obiectum memini, quod leuiſſimis ſuſpicionum cauſis ducebatur, iuuenumq; ſegniori ſtudio fouebat ingenia, quàm iniunctum ſibi onus requirere videbatur: nullum enim verò ſperandum illis erat ex literaria eius officina ſubſidium: ſibi duntaxat verè natum dicebant, non cæteris, niſi quoad lucri, & pecuniæ ratio popoſciſſet. Quòd autem in ipſo egregium, ac propè ſingulare fuit, nullo pacto prętereundum videtur: indefeſſus nempè ſtudiorum cultus, à quibus nunquam ſe vel ad extremum ſenium redactus temperauit: quotidie literis aliquid mandare: quotidie libros peruoluere: noua ſemper meditari: ad excellentiam prorſus quandam adniti. Perennes hoc teſtantur elucubrationes, quibus inſigniorum ferè artium dogmata luculenter perſtrinxit: concinno quodam genere orationis, ac ſententiarum ſylua, virentem vndiq; præfert ingenij feracitatem: operum verò immenſitas tanta eſt; tamq; adauctus commentationum cumulus, vt hoc nomine cæteris omnem laudem præripuiſſe videatur. Cęterùm ex tot opuſculis, haud ipſi fortè verior acceſſit commendatio, quam ob ſuſceptam alacriter pugnam, cum lectiſ-

ſimis

ſimis Academiæ Florentinæ alumnis: eorum namq; ſtudio cum ſuſcitarentur obſoletæ quædam voces, ad vnam Tuſcorum duntaxat ſcriptorum aurem accommodatæ, viſum eſt Benio hos illorum conatus retundere, diſerto ſatis libello, quo multò comptiorem ſermonis ſpeciem, multoq; venuſtiorem propoſuit. Nos quidem ſub hac cæli plaga degentes, facilè in eius ſenſum omnes irrepſimus; nam licet in Etruria delectus vocum priſcarum, abditiorumq; vel ex eo adprobari poſſit, quòd nationi maximè congruat, vt qui per manus ei diutiſſimè traditus, ſit etiam ad perennem maiorum ſuorum gloriam fouendus, & latiſſimè propagandus: tamen nobis Inſubris cum deſit genuinus Etruſcæ locutionis tonus, lubentes etiam cauemus verborum quoſdam veluti ceſpites, fruimurq; magis ſelectis floſculis, ſeù potiùs lenitate ſermonis, & feſtiua quaſi orationis amænitate. Huius propterea vindicem, atq; aſſertorem Paulum, quis meritò nuncupandum inficiatur?

## M. Antonij Romiti.

*Ingenti cuius famæ vix ſufficit orbis,*
*Effigiem Pauli parua tabella capit.*

## Ronconij.

*Iam ſatis Aoniæ Taſſus ſub tegmine lauri*
*Temporis à ſæuo fulmine tutus erat.*
*Sed ſatis inuidiæ plectro non vicerat arma,*
*Carmina ne morſu dilaniata forent.*
*Tu ſtabili virtute Beni munimina condis,*
*Et tua propugnans dextra tuetur eum.*
*Te clypeum dicam manſuri adamantis habere,*
*Qui ſolidus reprimit, qui nitidusq; ferit.*
*Felices dulci recinant modulamine Muſæ;*
*Rumpitur hinc telum, liuor, & inde perit.*

## Petri Pauli Plouenei.

*Te ſeu facundę pandentem Palladis artes,*
*Siue Caballini flumina docta iugi.*
*Te ſeu Meonidem, Sophocleum ſiue cothurnum,*
*Seu Plauti ſocos explicuiſſe iuuat.*
*Germani, Hiſpani, Galli mirantur, & Angli,*
*Et quiſq; in patriam doctior indè redit*
*Quid plura? annales Liui cum Paule tonares,*
*Eloquio didicit candidiore loqui.*



ROBERTVS BELLARMINVS
Cardinalis.

# ROBERTVS Bellarminus Cardinalis.

RVTILVM hunc leniſſima comitate vultum, verendis tamen ſacræ doctrinæ facibus cuncto hæreticorum Orbi terribilem, gerebat Bellarminus, à Clem VIII. Pont. Max Baronij monitu Cardinalis electus Patria Politianus, genere nō obſcuro, Marcelli Coruini Pōtificis ex ſorore nepos, vita inter patres ſocietatis Ieſu laudatiſſimè acta, tot egregiorum operum cumulis, tot ſcientiarum nitore clariſſimus, euolat vtiq; ad Cælum Italicorū procerum princeps. Agnoſcit in hoc vno haud omninò infelix hæc ætas auream illam Chryſoſtomi, Athanaſij, ac ſeniorum patrum facundiam, qua Ortodoxæ religionis, hortulos manantibus vndiq; cæleſtis ſapientiæ riuulis irrigarunt. Fauſtus hic ſolij Romani propugnator: ſolidarū Pauli, ac legis cùm priſcæ, tùm recentis ſententiarum interpres, ac vindex: miſerrimi turbinis, quem concitarant iampridem ferales Genij Lutherus, & Caluinus, tantis in opinionum fluctibus, hic Romanæ cymbæ fax, cuius diſcuſſæ radijs tenebræ falſitatis, non niſi contumacibus, ægrèq; affectis adhuc inſident animis. Præclarum cunctis eſt obuium volumen, quo ſingulas digeſſit hæreticorum ſenſuum controuerſias ad ſæculi verè felicitatem prolatas: antiquata enim propè Conciliorum Græcorum, & Latinorum dogmata in eo mirificè reſtituta, veritatis, quam præſertim in venerabilis Euchariſtiæ cultu profitemur, candorem, ac robur inſigniùs referunt: ſingula contra huius Sacramenti fidem argumenta, quæ quingentorum annorum ſpacio condere impietas, ac proteruitas potuit, acerrimo herclè ingenio eliduntur, atq; eneruantur, nihil ferè intactum relinquitur quod ad reformandos mores, vel ad animos confirmandos ſit congruum. Hæretici huiuſmodi libris adauctam ſuorum thematum auctoritatem dictitant, quòd eorum argumenta ſolutionum præſtantia non exæquet: infandam etiam hæreſis notam Bellarmino tentarunt inurere, quòd ipſius liber de Romano Pontifice in indice librorum, quos damnat Eccleſia, fuerit adſcriptus. Sed miſerorum hæc ſunto ſolatia: hunc librum palàm eſt Cardinalium, quibus id oneris incumbit, conſenſu Eccleſiæ quàmcitiſſimè fuiſſe redditum, quem ſatis conſpecti toti curiæ auctoris mores, ab omni prorſus crimine vindicabant. Infenſa tamen ei quandoq; Italorum fuere iudicia, vt qui principum tempo-

ralium poteſtatem, arctioribus fortè limitibus contrahere conſueuit: ſuus enimuero cuiq; oboritur næuus; in tanta humanæ ſapientiæ calamitate tantiſq; ſophiſmatum anfractibus ſufficit in pluribus non erraſſe. Hic igitur verè Catholici munimenti cardo, producta ad longiſſimum ſenium ætate, corpore bilis, & ſanguinis æquabili miſcella firmiſſimo, corruit Romæ anno M DC XXI. ſub æquinoctio autumnali acuta febre correptus, quem omnium gentium, ac ſæculorum memoria digniſſimum, boni omnes, doctiq; maximè indoluere.

## Ioannis Bidermani.

*Sibila Lerneæ qui colla repreſſerat Hydræ,*
*Roborea Clauæ mole timendus erat*
*E' Stygio nunc Hydra lacu noua prodijt: illi*
*Nulla ità claua grauis, quàm mea penna fuit.*

## Petri Pauli Plouenei.

*Quem vides, hoſpes, rutilum per aſtrum*
*Stare depictis tabulis loquentem,*
*Noueris dignum gemino cothurno*
*Surgere ad auras.*
*Clara Robertus ſuperum propago*
*Quem vehit raptis ſuper aſtra pennis,*
*Dum manet terris comitata buſtum*
*Fama ſuperſtes.*
*Hunc canit docto calamo magiſtrum*
*Cerberi dextra religaſſe colla,*
*Spiculis Orcum domuiſſe ſacris*
*Herculis aſtu.*
*Hæreſum fractor tenet ille portum*
*Negligit ſæuæ fremitum charybdis,*
*Arcet hoſtiles fidei cateruas*
*Fulmine maior.*
*Siderum calles graditur ſupremos*
*Morte, quin Phœnix per amiciora*
*Fata ſublimes renouatus intrat*
*Ætheris arces.*

## Eiuſdem.

*Aſpicis, vt valido Robertus robore bellat*
*Bella poli, hæreticos & fugat ore greges.*
*Ille tamen mitis tacita, timidusq; ſub vmbra*
*Ingemit, & querulis vocibus antra replet.*
*Nunc vi fulminea fertur generoſus in hoſtem,*
*Nunc gemitus imo è pectore in aſtra iacet.*
*Imbellem annè ales generat generoſa volucrim?*
*Idem aquila eſt agitans bella, columba gemens.*
*Vtrobiq; tonat: bellum vtrobiq; minatur.*
*Siue aquila hæreticis, ſiue columba Deo.*



PETRVS MATTHÆVS.

# PETRVS MATTHÆVS.

PETRVS Matthæus natus eſt in ditione Epiſcopatus Baſileenſis, in confinibus Burgundiorum, nō procul à monte Peliſcardo. Patrem habuit humili textoris opificio victum quærentem, ſed viuacis ingenij ſpiritu ſuę ſortis anguſtias mirificè ſuperantem; filij ſiquidem generoſum ſecutus genium, altioribus artibus inſtruendum, & ab inopiæ ſordibus eximēdum curauit. Is à Ieſu patrum gymnaſio, vbi prima ætatis poſuit rudimenta, ad celeberrimum virtutis domicilium Lutetiam Pariſiorum tranſmiſſus, non mediocrem cæpit inter æquales plauſum, quibuſdam Oratorijs progymnaſmatis aucupari. Ac prçſertim ſummorum aulæ procerum panegyricis editis, Petri Zanini eiuſdem aulæ præſidis gratiam adeptus eſt, cuius etiam fauore deinceps hiſtoriographi regij decus, perhonorifico ſtipendio donatus promeruit. At verò in conſcribenda hiſtoria inſolenti auſu, longè cenſetur à calcatis veterum veſtigijs receſſiſſe, præceptorum namq; moralium glomeratis cum vbiq; luxuriet aceruis, Philoſophi potius, quàm hiſtorici perſonam videtur induere; hinc ſuauitatem illam, quæ in narrationum varietate, mananti ſolet orationis flumine redundare, fruſtrà lector perquirit, vt iccircò etiam ſatietate rerum, intermixta, conciſa, & erratica ſerie perſcriptarum quandoq; afficiatur. In Gallia hiſtorici eius fætus vix prolati eruditiorum iudició euiluerunt. In Italia quidam iuniorum feruor, quos ſtili nouitas incredibili voluptate pellexerat, iam obriguit. Vna duntaxat viget opinio politicæ hominis induſtriæ apprimè fauens; at forſan ambiguo curioſorum freta conceptu breuiter duratura. Hac ſibi viuenti ad conſiliarij ſtatus dignitatem munijt iter, aduocante Maria Medicea Henrici quarti magni Regis vxore inclyta. Strauit etiam ad idem faſtigium viam præclaro, vnicoq; filio, quem modò Parlamenti conſiliarium Lutetia veneratur. In viuis tamen dum egit Henricus, quòd in ſuas laudes Petrum intemperantiùs operoſo volumine debacchatum exiſtimaret, acerbiùs audijt; ipſiuſque ceù fucati ſcriptoris vota conſtanti illiberalitate deluſit. Cæterùm qui rerum ciuilium theoremata, congruis, agnitiſq; firmauit euentis, hiſtoricæq; praxi connectit, emerito fraudandus non eſt elogio, eoq; magis quòd florenti ſolidioris facundiæ laude, ſacer Muſarum cultor à quocunq; cæci liuoris lue non præpedito cenſeatur. Ceſſit fatis quintum ſupra quinquageſimum attingens annum, Pariſijſq; publica funeris pompa tumulatus eſt.

## Iulij Ronconij.

*Henricus pugnat, ſcribit certamina Petrus*
*Fortiter, & doctè, mirus vterq; ſimul.*
*Fulminat ille manu, & validis metuendus in armis*
*Agmina dura fugat, corda ſuperba premit.*
*Fulminat iſte manu, & celebrans virtute trophæa*
*Tempora dira necat, ſæcula ſæua domat.*
*Mille gerit rutilas Bellator ſanguine palmas,*
*Sertaq; Theſpiadum laurea ſcriptor habet.*
*Diſſimiles autem; quòd ſors crudelis in illum*
*Audet inhumani tela mouere viri.*
*Hic ſuperat fœlix minitantia fata, nec iſtum*
*Inuidiæ ſqualens lædere dextra poteſt.*

## Georgij Rotini.

*Ardua magnanimi dum ſcribis prælia regis,*
*Et duce ſub tanto parta trophæa refers,*
*Quid refert molli Martem confundere cantu,*
*O Petre, quid blandos aſſociare modos?*
*Oderit Henricus tenero ſub melle venena,*
*Ingenua vafros reſpuit aure ſonos.*
*Aut nullo, aut ſolo capitur modulamine Gallus,*
*Syluarum dominus, quo timet ipſe Leo.*






IOANNES BARCLAIVS.

# IOANNES BARCLAIVS.

TANTIS vexata fluctibus ſuperiori ſæculo Scotiæ regio, conſpexit etiam Barclaiam gentem auorum ſerie pernobilem, ad extremas rerum anguſtias reuolutam. Hinc Guillelmus clariſſimus Iuriſconſultus nauiter ſibi cauens, inita peregrinatione, fortè Andegauum ſe recepit, vbi haud iniquo dehinc fato ad principem Iuris cathedram deuectus eſt. Ab huius autem interitu, Ioannes filius antea P. P. Societatis Ieſu, ſedula humaniorum literarum inſtitutione formatus, Iuriſprudentiæ ſtudio ſe dedidit, cuius in curriculo præaltam ſingulis cùm præſeferret indolem, ingentem etiam vbiq; ſui expectationem concitauit. At ſpe ſubinde rerum maximarum fretus in Angliam traiecit, vbi væſano conſilio, ad conciliandam ſibi Regis, ac deſpicabilis ſæculi auram, ab Orthodoxæ fidei gremio, qua pater ipſum ſolertiſſimè erudierat, inauſpicatò deſciuit, quam ſcriptis etiam exinde plurimis temerè impugnauit. Sui tamen compos redditus breue poſt tempus, diuino flante ſpiritu, reſipuit: improſperis nimirum aulæ euentibus, ſuprà quam crederet, inſidioſè iactatus, recentiq; multorum excitus exemplo, qui ſe ad Anglicana conuerſi ſtipendia, rurſus in Catholicorum caſtra multò ſecuriora, optabilioraq; citiſſimè remigrarāt. Romam igitur appetens, & Barberini nunc Vrbani Octaui, necnon Cobellucij Cardinalium liberalitate adiutus, tranſegit optimè, communi patriæ nominis celebritate ſpectabilis: inde altera ſatyrici ſui operis parte completa, quo Anglicæ, Gallicæ, Belgicæ, Lotharingicæ aulæ, veram ſui temporis delineauit iconem, tantam apud omnes gratiam promeruit, vt non ſolùm omnes huius æui eloquentiæ parentes, ſed veterum in hoc genere ſcripta, ipſiuſq; Petronij ſatyricon ſuperaſſe cenſeretur. Hoc abreptus faſtu aduerſus ſectarios inuehendi munus ſuſcepit, ſed hauſta è Cardinalis Bellarmini ſcriptis doctrina, vix ipſe Theologicis rudimentis imbutus effudit oleum, & operam. Pariter fraudatus honoris, melioriſq; ſtatus acceſſione, humanæ iam cedens iniquitati, ad viridarij cuiuſdam ſui culturam animum appulit, vbi tranſumptis vndiq; floribus pretioſioribus, iucundiſſimo aſpectu temporis tædium fallere nitebatur. Fuit enimuerò hic morum facilitate præditus, & ingenio fucis aulicis, vrbaniſq; diſſimulationibus æquè apto: hinc Romani proceres hac eius indolis imbibiti opinione, grauiter vſq; adeò ſenſere de ipſo, vt Catholicam fidem haud ex animo, verùm diſſimulanter profiteri ſuſpica-

ſuſpicarentur; illius nempe ſectatorem hęreſis, cuius inſtitutum eſt religioni ſe locorũ prout occaſio, ac res propria tulerit, deuouere. Neq; cõcepta hæc ipſius vel defuncti euanuit nota, quippè inſcriptionem, ac ſtatuam, quam eius gloriæ filius, in Eccleſia Sãcti Laurentij extrà muros erexerat, cautiore Patres conſilio ſublatam, ac deletam voluerunt.

Natus 28. Ianuarij. 1582. Obijt 12. Auguſti. 1621.

## Incerti.

*Gente Caledonius, Gallus natalibus hic eſt*
*Romam Romano qui docet ore loqui.*

## Ronconij.

*Æmulus quiſquis ſtudeat Ioannis*
*Proſequi ſcribens ſtudio volatum,*
*Tentat incaſſum volucres ad aſtra*
*Tollere pennas.*
*Ingenij vires vegeti vehendo*
*Dædalo hic tendit potior per auras,*
*Nobili ſurgit meritis daturus*
*Nomina famæ.*
*Quæ beat cælis animos benigna,*
*Tollit hunc tractus celerem per altos*
*Nubium, menti reſerat ſupernos*
*Muſa receſſus.*
*Vnde, dum cæcis celebrat ſub vmbris*
*Regna, fulgores geminat ſerenos:*
*Principes cælans tenebris ſub atris,*
*Luce colorat.*
*Splendido Argenis rutilat nitore,*
*Lumine & fulget Polyarcus almo.*
*Sic adeſt nobis geminum renidens*
*Sidus in orbe.*
*Illa formoſo Veneris decore*
*Literas inter radians videtur:*
*Hic ſimul Martis generoſus acris*
*Feruet in armis.*
*Munere hinc virtus duplici repletur:*
*Vate ſub tanto celebris per annos,*
*Rege ſub tanto penitus beata*
*Gallia viuit.*



CÆSAR CREMONINVS.

# CÆSAR CREMONINVS.

CÆSAR Cremoninus è Cento oppido Mutinẽſis agri natus, floruit vbiq; nominis maieſtate præfulgẽs. Ferrariæ primùm in diuerſorio Eſtenſium principum, iunior egit cum lectiſſimis ingeniorum Pigna, Patritio, Taſſo, cæteriſq; in illa totius Italiæ celebritate; cuius etiam iudicio præclarus doctrinæ peripateticæ ſectator habitus, publica docendi prouincia ornatus eſt, quam à primo ſupra vigeſimum anno vſq; ad trigeſimum octauum, fœliciſſimè coluit. Inde verò increſcente ſummæ virtutis opinione, ab acerrimis rerum ęſtimatoribus Venetis illectus ad Patauinum ſubſellium tranſmigrauit, Franciſco Piccollomineo principi eius æui Philoſopho conſors datus. Ibi acris ingenij æſtu, perenniq; laudis contentione, haud eluſis iuuenum votis, promeruit emortuo dehinc Piccollomineo, in eminentiſſima eius cathedra ſubrogari; tanto autem per quadraginta annos, in eo munere conſummatæ gloriæ faſtu, vt Ariſtotelis genius, & græcorum lucerna interpretum, omnium vocibus prædicaretur. Hic eius in docendo mos, phyſicas primùm ſententias Philoſophi aptare verbis: obſcuriores vel ſua, vel Alexandri Aphrodiſęi mente enucleare: ſcholaſticorum moroſas diſſertationes ſicco plerunq; pede tranſigere: recentiorum dogmata, vel ingenito æmulationis ardore, vel antiquæ dignationis velut ab inferis (vt aiebat) vindicandæ ſtudio negligere: ſingula verò in ſuggeſtu eo actionis ornatu, ac diſſerendi grauitate proferre, quem poſteri ſuſpiciant, nos hac ætate in altero forſitan deſideremus. Hinc omnes propè Reges, ac principes eius vel viuentis depictam ſuis in aulis imaginem, virtutis merito æternitus admirandam locarunt, ex quo etiam reſponſa de componendis priuatorum animis, velut ex oraculo Delphico ſciſcitabantur. Verè enim, vt inſigni fuit à natura dotatus acumine, ita grauiſſimo iudicandi munere præſtitit: nihil leuiùs expendere, nihil abſque præmeditatione ineptiùs æſtimare: ſui compos in ſuis ſemper collectus conſilijs: viuida cunctis indole perblandus: nulli tamen fida ſinceri animi coniunctione obſtrictus: de rebus omnibus cum iunioribus effari, at in nulla hærere diutiùs, quæ vel ipſorum conferret animis: comitate potiùs, quàm doctrina priuatis in congreſſibus fructuoſus: quin & factionibus ipſorum fouendis deditus, perpetua cum Patauinis alere diſſidia, ſeù potius cum ſingulis, quos ſuo minùs indulgentes arbitrio noſceret: ſimulare tamen comptiſſima verſutia cum ſingu-

ſingulis natus, vel ciuilia anxius officia exercebat. Tanta verſatilis ingenij decora, turpauit vna ſtudentum animis imbibita opinio, quòd is deteriores, & reprobatiores de rebus phyſicis ſenſus tueretur acriùs, quàm orthodoxæ fidei liceret alumno: olet enimuerò morboſi animi virus, diuinos hominum ſpiritus cum brutis animātibus communes facere, corruptioniq; reddere obnoxios: veſano herclè rationis auſu, quando quiſq; niſi amens, celatos percipiat in ſe ipſo igniculos mentis etiam ad poſteros duraturæ. Sed aliàs pariter, de fato, de mundo, de cæli motoribus placita perperàm interpretatus eſt. Illud nobis mirandum, quòd elaborata ipſius opera typis cuſa, in officinis hactenus euileſcunt; ſcripta verò Peripati more diſcipulis ab ipſo deambulante dictata, ſic excellunt, vt nihil ad arcana Philoſophiæ detegenda perfectius, ac ſuauius deſiderari poſſit. Quod in alijs quoq; celeberrimis ingenijs adnotare licet, æqua prorſus naturæ lance, ne vni duntaxat cuncta cælitùs lumina illuxiſſe videantur. Compage corporis fuit concinna, procera, vegeta, latis, & curuis humeris, fronte ſubrigida, oculis acribus, carne aſpera, inceſſu graui: cæterum totius adſpectus nitore intuentium acies iucundiùs perſtringente. Octuagenarium funeſta peſtis anni MDCXXX. Patauij ſurrepſit. Monachi Sanctæ Iuſtinæ ex teſtamento hæredes, cadauer in Eccleſia ſuſceperunt. Orbis totus colluxit, eo tantùm geſtiens, quòd ſicut verendi vix fuerat nominis, ità nobilium vltrò foret oſſium capax.

## Iacobi Gaddij.

*Salue, ò tu Sophiæ magiſter, æui*
*Noſtri Ariſtoteles, ſtuporq; mundi*
*Præſtans eloquij nitore puri,*
*Phœbo, ac Mercurio caput Sacratum;*
*Qua te laude feram, haud ſcio, quid ergo?*
*Cum neſcire reor, probè ſcio tunc.*

## Iulij Ronconij.

*Seu dicat Cæſar, ſeù ſcribat; laude colendas*
*Res voci, & calamo mens bene culta parit.*
*Lingua ſono ſcribit, ſignis ſua dextera dicit,*
*Dextera corda docet, pectora lingua notat.*
*Seu dicta effugiant, pariter ſeu ſcripta morentur,*
*Inde oculi, inde aures dogmata mira legunt.*
*Voce diù viuet, viuet ſua fama, manuq;*
*Proſtrauit doctus tempora, voce, manu.*



IVLIVS PACIVS.

# IVLIVS PACIVS.

SICVTI huius patriæ Vicentiæ ciues, ita indole, ac dignatione ſuppares, duo huius æui Iuriſperitorum principes floruerũt, Marcus Antonius Peregrinus, & Pacius hic, quos nobis vel Romanum inuideat cælũ, legali iam fœlix influxu; licet ille diù Patauij docendi gratia commoratus, cum ea etiam vrbe ciuitatis iura commutarit, alter ærumnoſo hinc diſtractus exilio, in exteris vitam ſedibus traducere ſit coactus, vt idcircò pauci ab agnomine à Beriga, quod in editis aſſumpſit operibus (quo vrbis Vicentiæ vicus ſub meridionali Bericæ colle ſitus notatur,) vix ipſum ex eadem progenitum comprehendant. Abſceſſit hic verò ea de cauſa, quòd, exorta hìc deterrimorum manu, qui non ſolùm ſacros Eccleſiæ ritus clandeſtinis concionibus proſcindebant, ſed promulgatis libellis, receptas, adprobataſq; patrum ſententias inuertere audebant, notatus eſt eo apud antiſtitem crimine Iulius, quòd, minacium contempta edictorum ſeueritate, vetitæ illorum lectioni, curioſiùs, impenſiùſque vacauerit; quamobrem de more poſtulàtus ad carcerem, tantùm imbelli adhuc, & puberi animo contraxit pauorem, vt cùm affinium, amicorumq; eius indemnitati inhiantium votis, ad iudicis obſequium adduci nequiuerit, tùm extorris, & inops neceſſe habuerit vtramq; ſæpiùs fortunæ aleam experiri. In Allobrogum enim terras profectus, indèq; ſeriùs in Gallias, ciuilis, (vt aiunt) inſtitutionis priuatim exponendæ munere diù victum quæſiuit: Sed ingenij demùm, ac literaturæ concita vbiq; fæliciori fama, protinus in ſplẽdidioribus Francorum gymnaſijs publicè legẽdi prouincia nobilitatus; mox etiam regij conſiliarij locum adeptus, ad eũ claritatis gradum peruenit, quem hac tempeſtate ſperare nemini, optare quidem vix vlli de Muſis, ac ſcientijs vel meritiſſimo liceat. Idem Philoſophiæ, idem Iuriſprudentiæ gloria facilè princeps: Ariſtotelis omnia ferè opera elucubrauit, illuſtrauit, è Greco in latinum conuertit: Lulij artem ad vſum quodammodo reuocauit, variaq; doctrinæ Peripateticæ dogmata, citrà inanes, ac frigidas ſophiſtarum altercationes decoxit. Latiſſimum autem iurium pelagus, qua ſcribendi fœlicitate, qua methodo ſit emenſus, egregia teſtantur volumina doctorum manibus paſſim trita, quibus recenſendis noſter propemodum impar ſit labos. Nihil herculè immortalibus huius viri præconijs deeſſe viſum, quàm agendorum ſolertia, & vſus, cuius laudem, cùm priſtino illo à patria diſceſſu, tùm nuperrimo eiuſ-

dem

dem ad Italiam reditu carere perſpectum eſt. Redijt poſtliminio quindecim ab hinc annis, acceſſitq; vrgente Senatus Veneti auctoritate, Patauiũ,cuius in Circo athleta nobilis, atq; omnibus iam ludis victor, ſemeſtri ferè ſpacio decucurrit. Receſſit autem indè, commutata voluntate, citiſſimus, quòd continuis Pauli filij Valentiæ Galliarum degentis impeteretur literis, quibus ſuam, & filiolorũ vocem, parentis, & aui ſemper nomen tenerrimè repetẽtium inculcabat, ideoq; ne ſe perenni mærore ſqualentes, in tanta longinquitate, deſereret, obteſtabatur. Impotens ergo, ſenum more, has perferre, minutulæ præſertim ætatis illecebras, in qua ſe renouari dum agnoſcunt, maximè ipſius etiam capiuntur adblandimentis, palàm faſſus eſt omnibus, ſe penitus concuſſum animo, fatali angore ad relicta dudum hoſpitia trahi: propterea ab Gymnaſiarchis vix obtenta venia, ſtatim ab exedra abreptus ad rhedam, vnà cum filio Iacobo, quem ſibi comitem adduxerat, inibiq; ad ſuggeſtus honorem euexerat, rurſus in Gallias conuolauit. Superſtes, omniumq; liuida examinatrix fama, inconſtantis ipſi notam inuſſit ingenij: nec porrò ſuperbæ, ac inuſitatæ ſui aduentus expectationi, præſentia reſpondiſſe iactauit, cum actione in docendo prælanguida, ſobrietate ſermonis, inopiq; legum diſcuſſione Italorum aduerſa genio, ſegniùs auditores alliceret, quorum iccircò agmina ad Iacobum Martam collegam ſuum vndequaq; conuerſa. At verò quia in priuatis, quos fouebat, diſceptantium ſtudioſorũ conſeſſibus, ipſe inſtar oraculi leges ſancire, interpretari, conciliare, ac promere dicebatur, ita eſt excelſam virtutis opinionem tutatus, vt ſingula ei vitio verſa, retuſum potiùs ſenio vigorem corporis, & Gallicæ eruditionis adſcitos mores, quàm vlla ex parte deiectum mentis robur oſtendere cenſerentur. Intemerato igitur vbiq; gentium nomine, Valentiæ ſeptuagenarius obijt, Academiarum adhuc omnium concupitus maximè, celebratusq; votis.

## I. Pacij. De ſe ipſo.

*Vrbs genuit, Venetis condens, quam Gallus in oris*
*Hoſtibus à victis nomen habere dedit.*
*Pacis vbi, & Berigæ noſtræ cognomina gentis*
*Clara per innumeros inuenientur auos.*
*Cum fratre à teneris, iuſſu patris, excolor annis.*
*Hellados, & Latij ſcripta diſerta legens.*
*Miſſus in illuſtrem poſt hæc Antenoris vrbem*
*Et Sophiæ iuſſis imbuor, & Themidis.*
*Tùm fatum iniuſti fugientem tela furoris*

*Detulit ad fines terra Lemana, tuos.*
*Tu vitæ ſociam prima florente iuuenta*
*Iunxiſti: decies me facit illa patrem*
*Euocat hinc luſtris tradentem iura duobus*
*Panonia, & retinet tempore penè pari.*
*Abſtrahor, à caris, colui quos ſemper, amicis,*
*Moribus auerſus, liuida turba, tuis.*
*Pace peto Moſam, mox linquo bella gerentem,*
*Antiquo Allobrogum reddor, & hoſpitio.*
*Ad ſe hinc pertraxit, Rectoris læta Nemauſus*
*Imponens humeris munera cuncta meis.*
*Cur reuocas? præſtare vetant, en optime Princeps,*
*(Parce piæ menti) iuſta ſuperba fidem.*
*Non tamen inuitus retinebor tempore longo:*
*Auro libertas gratior eſſe ſolet.*
*Excipit hinc igitur vicina Academia, tandem*
*Sede Placentini, rege volente, locans.*
*Hactenus aduerſam expertus, ſortemq; ſecundam,*
*Euaſi inuictus: ſcire futura nefas.*

## Aliud.

*Itala dat cunas tellus, Germanica famam,*
*Gallica ius ciuis, dic, mihi quæ patria?*



PHILIPPVS FABER.

# PHILIPPVS FABER.

PHILIPPVS Faber Fauentinus è ſacro olim prodiens Conuentualium Franciſcanorum ſtipite, Scoticam doctrinam alternis impugnantium fluctibus propè merſam, & obrutam, ad priſtinum robur ingenij ſui validitate reſtituit. Quo poſteà merito, eius ſectæ lucerna, & propugnaculum, ſummo hactenus eruditorum conſenſu eſt appellatus. Nihil enim huius voluminibus ſcientiarum omnium, ac in primis Philoſophiæ candidatis acceptius, quæ ex intimis ab eo hauſta ſubtiliſſimarum diſquiſitionum latebris, vt inſigniter exercet ingenia, ita veritatem eſurientia mirabiliter exaturat. Hinc typographorum lectiſſimi ſæpius illa petentium illecti, atq; exciti auiditate, eo ſemper euentu iteratam ſunt illorum impreſſionem moliti, vt cũ longè venalia exiſterent, tùm ex ijs velut ex aureis riuulis optimum in ipſorum crumenas aurum defluere teſtarentur. Et quidem huius viri phraſis, ſcholaſticorum more haud inſulſa, & inepta, ſed in ſui ſimplicitate planis diſtincta ſententijs, atq; optima ordinis ratione ſuffulta: diſputando permouet, decernendo perſuadet omninò. Exęquat copiam opinionum firmitas, ſubtilitatem facilitas temperat. Hoc nominis plauſu in generalibus eius religionis comitijs, grauiſſimis diſciplinarum congreſſibus, votis omnium ſupremus aſſiſtens electus, triginta ferè annorum curriculo, iniunctam ſibi prouinciam incredibili eius ordinis commendatione tutatus eſt. Ac intereà Monaci D. Iuſtinæ Patauij, diù ſibi Theologiæ, ac Phyſicæ dogmata explicantem coluerunt: vnde poſtmodum à Gymnaſiarchis Venetis ad Patauinam Metaphyſicæ cathedram nobilitandam traductus: triennio autem exacto ad ſublimiorem alteram Theologię Cæſari Mordano ſucceſſor euectus, ſtipendia nulli ad eam vſq; diem Conuentualium Theologorum collata, à ſapientiſſimo Senatu promeruit. Quocirca grato erga eius munificentiam obſequio, nunquam aliò recedēdi conſilium amplecti potuit, vel ab ipſo etiam Vrbano Pontifice accerſitus, quò ſacræ in vrbe inquiſitionis conſultoribus adderetur. At ipſum æquè retraxit dulcioris, ac literarij amor negotij, quo ab ineuntibus annis implicitus, diuino ſuæ mentis oblectamento ſenuerat. Fortè etiam adeptam in Vaticani faſtigio virtutis famam, præſentia minimè periclitandam putauit: quippè licet adſpectu corporis venerabili, robuſti, benè compacti, proceri, oriſq; dignitate ingenuo pallore ſuffuſi promineret, attamen cùm ſe minùs loquendi actibus habilem

noſceret,

noſceret, quorum in eiuſmodi conſultationibus vigor perelegans, ac ſæpè inopinatus requiritur, reliquum vitæ magis impolluto decori, quàm illaudatæ ambitioni deuouit. Igitur Deo, Muſis, diſcipulis, orãdo, ſtudendo, dictando, pietatis exempla, immortalitatis imaginem, virtutis admirationem proponere nunquam deſtitit. Anxius, & anhelus in ſcientijs, etiam; atq; etiam ornandis, ſolitudinẽ quęrere, ſcriptaq; in dies exquiſitiora contexere, quorum plurima iam edita, & aliqua mox edenda, Matthęo Ferchio ipſius in cathedra publica ſucceſſori digniſſimo commendata fuere. Præ cæteris ſolertiſſimum de primatu Petri, & Pontificis Romani opus, aduerſus quatuor priores de Republica Eccleſiaſtica libros Marci Antonij de Dominis nuper damnati Epiſcopi Spalatrẽſis, quàm primùm luci doctorum tradere meditatur. Vtinam aliorum ad alias quoq; doctrinas ſpectantium par euentus: ſed in manus Felicis Oſij humaniorum in gymnaſio profeſſoris peruenta, cum ipſo mox immani peſtilentia ſurrepto iniquiùs periere. Addicti Fabri gloriæ, ſtudioq; alumni, vt iſtorum iacturam leuiùs perferunt lectione promulgatorum, ità ſolemni memoria ipſius hac in tabula imaginem à nobis proferri, ad viuum ex pictura in D. Antonij cænobio ſeruata delineatã, ingentis (vt auguramur) ſolatij loco accipient; quando ſi febris Canicularis incendio, ademptus eſt eius adſpectus corporis anno MDCXXX. ætatis LXVI. poterunt in hoc artificis induſtria renouato, rediuiuam frontis, & animi ſpeciem, æterno, prædulciq; ſæpius intuitu contemplari.

In Eccleſia D. Antonij Patauij.

Philippo Fabro Fauentino
Conuentualium Ordinem ſacra vita
Regimine ſtudiorum
Prouincialatu Bononienſi
Logicæ, Phyſicæ, Metaphyſicæ, Scholaſticæ,
Chriſtianam fidem ſcriptis in Athęos,
& Hæreticos acerrimis
Patauinam Vniuerſitatem ſtudijs
Philoſophiæ, ac Theologiæ,
Annis XXVIII. Vitam mortalem LXVI.
Immortalem à MDCXXX. Virtutibus illuſtranti
Patauini Patres amantes amanti iuſta ſoluunt.

Ioſephi

## Ioſephi Mariæ Ciriæ.

*Ardua cum ſummi penetres arcana Tonantis,*
*Ingenio ſubeas, ſydereasq; domos:*
*Ipſe tuæ Scotus miratur mentis acumen,*
*Te Sophus argutus, Theologusq; ſtupet.*
*Docta theatralis miratur & exedra circi,*
*Palladijq; ſimul gymnica arena fori.*
*Iure Fauentinum venerentur quæq; Lycæa;*
*Namq; nouus celebri promicat arte Faber.*



LVDOVICVS SEPTALIVS.

# LVDOVICVS SEPTALIVS.

MAIOREM ne Septalio gloriam patria ſua Mediolanum adferat, an hic patriæ, incertum cuilibet hactenus videri poteſt, qui magnarum ornamenta virtutum, totius orbis conſpectui toties obiecta, comprobataq; recolat, ex quibus herculè decus in patriam, in ſe, ſuosq; omnes eximium redundauit. Hic enim aui paterni Ludouici Septalij, ac materni Ioannis Franciſci Ripæ ſummorum eius æui iuriſconſultorum ſemitas inſequens, literarum ſe cultui, vel primis annis totum deuouit, natura ſic adblandiente, vt anno ætatis decimoſexto, Phyſici curriculi iam emenſi theſes, primus in patrum Ieſu illuc vix inuectorum gymnaſio ſubſtentarit, Porrò moroſas Iuriſperitorum pertæſus altercationes, cum pacifero medicinæ ſtudio Ticini ſe dediderit, vix adepta laurea, Philoſophiæ, mox etiam medicinæ inibi docendæ munere decoratus eſt, quod quadriennio obitum reiecit, ſplendidiora in vrbe maxima fortunæ inuitamenta ſectatus. Ibi expanſo variorum ab ſe protinus editorum operum penu, quod alijs ſubindè temporibus cumulauit impenſiùs, Catholici Regis maieſtatem nominis fulgore pellexit, vt in regium hiſtoriographum ex ornatiſſimis tot ſubditarum ſibi prouinciarum ingenijs eligeret, cui tamen ſe oneri aliarum rerum intuitu, humanaq; magni Cancellarij Salazani interceſſione ſubtraxit. Conuerſus etenim ad ſcientiarum apices, politica, & moralia ſuſcepit explicandi prouinciã in ſcholis Canobianis Mediolani, quam voce, ſcriptiſq; reſtituit, atq; ornauit egregijs. Interim verò medico inceſſanter addictus negotio, verè vnus Galeni, & Hippocratis ritu, præſentaneis humano generi præſidijs conſulere cenſebatur. Vndiq; vel ex Italia, vel ex Germania, cæteriſq; regionibus plurimi ſalutis ſuæ oracula ex eo ſciſcitatum accedebant. Ita Bauariæ, Hetruriæq; Duces, & Bononiæ reguli, ac Reipublicæ Venetæ internuncij, ſæpiùs ad proprias ipſum Academias acceſſitum, præmijs ſuprà ſæculi morem maximis obſtringere conati ſunt. Cæterùm à cunctorum illecebris, prædulcis ille retraxit natalis amor ſoli, cuius vim inſitam ſola quilibet experitur abſentia. Ac prætereà cum ſapientiæ plauſu, in tanta verſaretur Inſubriæ luce, non erat, cur externis in laribus affectaret augmenta ſplendoris, inſigni præſertim ſtipatus filiorum comitatu, maſculorum ſeptem, ac fæminarum ſex, quarum inſtituendarum nullibi commodior, quàm in patria quærenda erat occaſio. Ergo communem hunc, & principum,

& lite-

& literatorum conceptum, ſuo etiam nutu adprobare geſtiens Philippus Quartus Rex maximus, ampliſſimo ipſum diplomate, anno M DC. XXVIII. prothophyſici generalis in ſtatu Mediolanenſi excelſa dignitate donauit. Sed mors excellentiorum inuida, parùm abfuit, quin altero fermè anno ipſum ſurrepſerit, dum inuecta Mediolani peſte, in duabus corporis partibus ſauciatus eſt, quibus nec firmiter conualeſcens, apoplexiæ morbo eſt correptus, dempta voce, ac medij corporis motu. Euaſit optimi quidem temperamẽti vigore, ſed quadriennio duntaxat hac naturæ victoria lætatus eſt; quippè anno M DC XXXIII. in Canicularem febrem, ac lienteriam incidens octuagenario maior interijt, ſolennitùs dehinc ad pernobilem in æde Sancti Nazarij tumulum translatus. Fuit excelſo, præualido, apteq; conſtituto corpore, facie graui, ac roſea, crine ſubnigro, prælonga barba, primùm fulua, mox admodùm cana, ore autem hilari, facundia ſingulari, morum facilitate omnium ſibi animos conciliante; quamobrem continuis exterorum ipſum auidè inuiſentium officijs appetebatur. Hæc omnia præter diuinam in arte ſua prognoſticandi prærogatiuam, perornabat etiam ſeries vberrima excuſarum tractationum, ad vtramq; philoſophiam, politicam, mathematicam, ac medicinam ſpectantium, quibus ſui nominis dignitas, vbiq; terrarum adaucta mirum in modum, & propagata eſt. Sunt autem, de næuis opuſculum: commentaria in Hippocratem, de aere, aquis, & locis: commentaria in problemata Ariſtotelis tribus voluminibus diſtincta: cautionum, & animaduerſionum medicarum libri nouem: de margaritis nuper ex India ad nos allatis iudicium: de peſte, & peſtiferis affectibus libri quinque: Animaſticarum, & Analyticarum diſceptationum libri duo: de ratione inſtituendæ, & gubernandæ familiæ libri quattuor: politicorum libri ſeptem italicè conſcripti: opuſculum de peſtis preſeruatione: de morbis ex mucronata chartilagine liber. Superſunt excudenda: volumen ſolutionum apparentiũ contradictionũ Hippocratis, & Galeni: duo volumina cõmentariorũ in politicam, & moralem Ariſtotelis: conſiliorũ medicinaliũ libri duo: diſcuſſionum peripateticarũ liber: de riſu opuſculum: epiſtolarũ familiariũ volumẽ.

Ioſephi Mariæ Ciriæ.

*Quid iuuat eximia præcellere in arte medendi*
*Septalie, in tumulo ſi tua membra cubant?*
*Torpentes animos, & inertia corpora tolle:*
*Languor abit, rediens oſſa ſubitq; vigor:*
*Hippolitum Phœbo genitus reuocauit ad auras:*
*Te medici calamus ſidera ad alta vocat.*



IOANNES VINCENTIVS
Imperialis.

# IOANNES VINCENTIVS Imperialis.

EMINET inſigni plauſu in literaria palæſtra, Ioannes Vincentius Imperialis patricius Genuenſis, duplici apud Italos præconio commendatus, altero, quòd illuſtria poeticæ indolis monumenta, cæteraq; celſioris ingenij ſpecimen referentia creberrimè prodidit: altero, quòd elegantium vbiq; virorum magnifica propenſione colit commercia, & fouet alitq; ſtudia, vt Baptiſta Marinus lyricorum huius ſæculi princeps, in ipſo Adonidis poematis limine ſuperq; teſtatur, dum ſub Clitij paſtoris perſona, huius viri laudes comptiſſima decantatione proſequitur. Hinc igitur ampla, & inexhauſta nobis ſuppeteret, cùm hiſtoricæ, tùm oratoriæ narrationis ſeges, niſi noſtra cum ipſo gratuita cognatio, vel eius adhuc viuentis ingenuus obſtaret pudor. Et quidem non eo tantùm hîc nomine ſuſpiciendus eſt, quòd fumoſis maiorum titulis circumfultus effulgeat, cùm ei parente Genuæ patriæ Duce clariſſimo, ac gentilibus Corſicæ regni olim dominatum adeptis liceat gloriari, ſed eo potiſſimùm merito extollendus videtur, quòd hôc fortunæ munere cum ingenti opũ ſplendore, tanta vtitur moderatione, vt priuati magis, quàm principis perſonam tuendo, exactum moralis hominis exemplar ſuggerere cenſeatur. Hunc eius genium admirati non ſemel ciues ſui, vtpote illius Reipublicæ inſtitutioni maxmè congruum, præcipuis ipſum inceſſanter præfecere munijs, quæ vel toga, vel ſago, terra, mariq; laudatiſſimè geſſit: quandoquidem viſitator interdùm, aliàs generalis, vt vocant commiſſarius, ac ſummus etiam maritimæ claſſis præfectus, patre adhuc Reipublicæ clauum gerente, difficillimis bellorum ex Prouintia imminentium temporibus, tàm elatis vigilantiæ, prudentiæ fortitudinis, munificentiæ dotibus euaſit acceptus, vt externis etiam gentibus venerabilis, oras propè omnes ſui nominis maieſtate compleuerit. Illud præſertim notabile heroicæ magnanimitatis facinus, cùm in Meſſanenſi portu, coacta ſub regimine Philiberti Emmanuelis Sabaudiæ principis aduerſus Turcas validiſſima claſſe, is excelſo pro patria naualis imperij munere fungens, inſignioribus totius claſſis regulis, primam Melitenſi vexillo ſtationem tradentibus reſtitit adeò, vt nec acerrima ipſius Ducis increpatione deterritus, in aperto ſe mari ab omnium cætu, indignabundus, ac minax diſtraxerit, cuncta potiùs ſu-

biturus vitæ diſcrimina, quàm ne hilum quidem patriæ dignitati derogaturus. Cæterùm nec eidem prodeſſe deſtitit legationibus in varijs ſubindè regionibus obitis, modò gratulationis ergo ad Gonzagam Mantuæ ducem, de inito matrimonio, modò ad Vrbanum octauum de pontificia dignitate; ſemel etiam ad Petrum Gomeſium Hiſpanum Mediolani præſidem, de arcendis à Ligurum finibus Gallorum turmis, prout ex voto ſucceſſit; tandem iterùm, atq; iterùm iniuncto, at non ſuſcepto onere, ad Catholicum Regem Philippum quartum. Quæ ſingula ſicuti præaltam ipſius in agendorum vſu ſolertiam teſtari poſſunt, ita gratiam longè plauſibiliorem ei conflarunt Muſarum nobilitata bonis, ex quo omnes inſuper Italiæ Academiæ certatim eius nomen reueritæ, atq; opera plurima ſunt complexæ. Scripſit, quæ nobis videre contigerit, metrica in Taſſi cantus Hyeruſalem argumenta: cecinit vitæ ſtatum ruſticæ, eleganti fæcundoq; carmine, quod prælo tereſt excuſum, vt bis etiam Sanctæ Tereſiæ vita ſuo calamo concinnata: paruum adhæc poema, cui titulus: Vatidici paſtores, eſt pluries editū & curioſè pellectum: funeralia Horatij Spinulæ Cardinalis, patruiq; materni mortem deplorantia, & geſta pariter, & indolem recolentia, ingenitos perregrinæ mētis impetus iam pridem teſtatos reliquerunt: nuper, dum emiſit perelegans Caſalini opuſculum, centum alias politicas diſcuſſiones, nec non carmina vtriuſq; linguę varia, duobus comprehenſa voluminibus tradidit imprimenda: cætera pluries iam doctorum manibus trita, nobis vltrò commemorare ſit fruſtrà. Verè ſi hæc ingenio in ſtudijs enutrito, & nato, ad ingentem vbiq; parandam exiſtimationem aptiſſima fore inficiabitur nemo, quantò debent ab omnibus grauiùs æſtimari eadem in Senatore, Duce, opulentiſſimo viro nitentia, quæ tria non inania eſſe ad capeſſendam doctrinæ laudem impedimenta norunt omnes, ac ſummus ipſe Peripateticorum parens eſt arbitratus? Conſtat iam ſuperq; noſtratibus, quàm huic fortuna ſua cumulatè bona ſuppeditarit. Domus eius conſpicuo ſita vrbis loco, duabuſq; munita vijs ab eius cognomine nuncupatis, quàm plurimis alijs ſtipatur ædibus, paterna olim, ſuaq; mox impenſa conſtructis, quæ ſicuti ad inſigne ſunt vrbis decus, ac emolumentum ſpectabiles, ita illa præ cæteris gaza, & auro, regioq; planè pictarum tabularum, ſtatuarum, ac ſtemmatum apparatu ſuperbit. Suburbanum verò ipſius in vico Sancti Petri ab arena, quâ piſcatione, quâ fontibus, quâ viridarijs, omniq; deliciarum genere ornatiſſimum, ab Inſubris propemodùm quotidiè viſitur obſtupentibus, in naturali ſitus amænitate induſtrium altitudinem operum, ſummi cuiuſq; domini molibus coæquandam. Neq; verò in patrio duntaxat ſolo hicce occluditur amplitudinis faſtus, ſed in Neapolitano etiam regno propaga-

paga-

pagatus enitet, vbi lata Sancti Angeli ditione, ab ipſo graui nummum pondere coempta potitur, honorificoq; anteà comitatus titulo decorata, mox à Philippo Rege anno M DC XXXI. Ducatus dignitate meritò adaucta, quippè binas vrbes, binos epiſcopatus, eoſq; vberes, & quatuor alia populoſa continet oppida, mercibus, commeatibus, commercijs non obſcura. Tanta humanæ fælicitatis momenta ſummo viro auſpicatò collata, communis illa demùm virtutis indefeſſa hoſtis excepit inuidia, cui tùm Ariſtides, tùm Themiſtocles, & Scipio, ac Tullius, atq; heroes alij, vel diuinis meritorum cumulis referti ceſſere. Exilij pœna Oſtraciſmi lege à Genuenſi magiſtratu damnatus eſt, eo prætextu, quòd Neapolitanum muſicum, perditorum opera de medio ſuſtuliſſet. Commentitium, affectatum, reiectum vſq; adeò crimen, vt illum dehinc indemnem penitus ſuperuiuere, iudicialibus in foro ſcriptis vberrimè ſit probatum. Hæc enim (tradente oraculo) vis inſita veritati, & innocentiæ, vt vel inter denſiſſimas iniquitatis vmbras transluceat. Vir tamen omnibus ſæculis admirandus, mirum, qua inculpati animi ſerenitate, quauè rectè pro patria geſtorum dulciſſima memoria, aduerſos fortunæ perferat ictus. Se ipſo maior quodammodo, non deiectus, Bononiæ quaſi Palladis in portu exoptabili nunc ocio recreatur, quando hilari ſtudiorum vacatione, & alterna excellentium ingenij ſui fœtuum editione, tutelare ſapienti edocet adſtare numen, quod generoſum eius vbiq; fouet genium. Sed quæ extera in vrbe ſingularis in ipſum obſequij, & beneuolentiæ promuntur indicia, omen ſingulis ſunto, ſe totius Italiæ triumpho, depreſſo liuore, in patriam, ceù parentem indigna paſſum, bonorum omnium humeris citiſſimè reportatum iri.

## Auctoris.

*Vt ligurum primâ ceſſit Vincentius Vrbe*
*Dignus Cecropio creditus exilio:*
*Attonitæ flêrunt vtroq; in litore gentes*
*Inſignem dextra, conſilioq; Ducem.*
*Ille Syracuſiæ folijs indignus oliuæ,*
*Virtuti cuius debita laurus erat.*

## Eiuſdem.

*Nulli certa domus. Te patria longiùs à ſe,*
*Impatiens tanti luminis ire iubet.*

*Sic magè ſcintillant, quò ſydera longiùs abſunt.*
*Clarus ciuis eras, clarior exul eris.*

## Eiuſdem.

*Quid faciat Ianus ſine te? ſua limina nollet*
*Linquere: te profugus vellet ab vrbe ſequi.*
*Quò patriam, quò te ſpectet; non aptiùs vnquam*
*Suſtinuit facies Ianus habere duas.*

## Io: Vincentij Imperialis in ſuam effigiem.

*Sæuiat immiti Fortuna proterua tumultu,*
*Axeq; præcipiti me rota triſtis agat.*
*Exagitent odijs diri me nominis Auſtri;*
*Vndaq; per Syrtes inuidioſa trahat.*
*Mænia ſeù dulcis patriæ, chariq; Penates*
*Me teneant, aliò ſeu mea fata ferant.*
*MENS IMMOTA MANET nixuſq; mouentur inanes:*
*Non ſors, non odium, non mihi liuor obeſt.*

## Eiuſdem

## In Academicum ſuum ſtemma, quod eſt concaua rupes contrarijs ventorum afflata turbinibus.

*Tunditis aerium rapido quid flamine Montem*
*Alpini Boreæ? quis nouus ardor agit?*
*Creditis intrepidam certatim euellere Rupem?*
*NON NVTAT celſo vertice, ſed REBOAT;*
*Me ferias, Liuor, falſo me crimine latres,*
*Aſſiduo tundas verbere, lingua procax.*
*Inconcuſſus ero. Quid ſi mihi numina donent,*
*Vt charum Patriæ det ſonus iſte ſonum.*



IOAN. BAPTISTA
Imperialis.

# IOAN. BAPTISTA Imperialis.

EXTREMVM tibi obſequij & amoris officium exoluo, ſuauiſſime pater. Vitales tu mihi auras impertiſti, animi etiam mei cultum pietate admirabili fouere non deſtitiſti: ego virtutis tuæ ſpeciem longè pulcherrimam, poſteritatis conſpectui trado, viuidamq; tui vultus iconem, cuius interdùm intuitu mirum in modum recreor, ad aram effero immortalitatis. Natus eſt pater meus anno MDLXVIIII. præclaris parentibus, fortunaq; ſatis vberi auctis, qui, cùm eius adhuc ephebi probatam à ſingulis indolem, peracre ingenium, elatoſq; ſpiritus non deſtituendos arbitrarentur, Veronam optimis & moribus, & literis imbuendum traduxerunt in contubernio præceptoris, ſumma tunc doctrinæ, ac virtutis opinione florentis. Inde præpropero fermè ex humanioribus euadens progreſſu, Bononiamq; ſecedens, primùm Hieronymo Mercuriali, & Federico Pendaſio eius æui luminibus in Medicina, & Philoſophia ſedulam impendit operam, mox Patauium, ceù ad ſelectiſſimum Orbis emporium commigrauit: ibi Bernardini Paterni medici omnium clariſſimi opera ſemper vſus: ibi Franciſci Piccolominei præceptis inſtitutus, fatali quaſi lacte Muſarum enutritus eſt. Poſtliminio autem in Patriam reuerſus, ciuium in ſe omnium facilè conuertit oculos; præcurrentibus dictorum procerum in vtroq; gymnaſio vocibus, Ioannem Baptiſtam excellenti conatu, fortè priſcam Vicentinorum gloriam cumulaturum: ac eò magis non dubiam hæc dicta fidem ſortita, quòd ipſe vix anno ætatis ſuæ vigeſimo ſecundo, Alexandrum Maſſariam ciuem, ac præceptorem ſuum in Academia Patauina anteceſſorem eximium, à multis Horatij Augenij medici emunctiſſimi obiectis egregiè vindicauit, libello tūc etiam bis impreſſo. Quin etiam in publicis, ſiue priuatis ſtudioſorum conuentibus, eo colebatur nomine ſubtilitatis, vt æquales, quorum adhuc multos ſuperſtites nouimus, aſſerant, primam tunc vni perſpicacis, præferuidiq; ingenij palmam ſemper eſſe delatam. Ergo præclaris hiſce naturæ dotibus, atq; inſtitutis, quæ ſe per ætates virtutum ſolemnitate prouexerit, facilè conſequi poſſumus. Vtraq; lingua literatè peritus, ſiue ſoluta, ſiue numeris adſtricta oratione, rem quamlibet ex tempore perſtringere ſolitus, ſe ad omnium poetarum ſtylum effingere, præſertim Catulli,

ac

ac Naſonis, quod ipſius teſtantur ſchemmata ſæpius in lucem doctorum emiſſa. Olim cũ in Academia patria Olympicorum Italię percelebri, extraria quædam docentis onere profiteretur, præmonitum referunt futurum, vt Ioannes Delphinus Cardinalis ampliſſimus, cum ornatiſſimo aliorum nobilium cætu, poſtero die ad ipſum audiendum accederet, quo licet breui noctis ſpatio, concinnatum eius proceris panegyricum, ea verborum fæcunditate, ac ornatu profudit, vt ſingularem eius induſtriam, celeritatemq; cùm admirati ſunt omnes, tùm Cardinalis inſignibus deinceps amoris, & humanitatis officijs perpetuò eſt complexus. Verè ipſe promptiſſimo fuit ad omnia genio, & ardore quodam animi eximiè concitatus: impranſus, incęnatus, inſomnis noctu operã libris impẽdere: diù in ęgrorum curis, ſiue in rerũ ciuiliũ tractatione verſari: propterea (quod perrarò mortalib⁹ datũ eſt) ſpeculandi & agendi munera dulci quadam coniuratione in hoc vno coiuere. Porrò ſeges verborum, ac rerum eius mentis diuitias, & luxuriantes in eo monſtrabat ſpiritus: de quaq; re inopinatò reſpondere: Galeni locos propè innumerabiles, vt etiam Ariſtotelis ex tempore explicare, ſibi reputabat in ludicris; idcircò omnia Galeni opera ſingularib⁹ eius elucubrationibus exornata, (ſi Deus annuerit) luci hominum tradere meditamur, quod vaſti laboris opus, ferreum planè mentis robur, & inuſitatos vigiliarum niſus oſtendit. At verò centies hoc in eius ore dictum, magnos viros non niſi inſolitis ad gloriam paſſubus contendere: nihil labori, nihil angori, ac ſolicitudini, quòad per vitam licet, eſſe parcendum: vitam hominis in terris militiam, fortunæ libidini expoſitam virtute fulciri, cuius finis labor, & actio, quod ipſe ad extremum vſq; ſpiritum expleuit acerrimus. Nihil tàm difficile, nihil tàm elatum, vel captioſa rerum vertigine ſeptum, quod non ſuis quaſi viribus patere arbitraretur: ſiue in doctrinarum puluere tanquã athleta nobilis gladiabatur: ſiue in ciuilium operum Oceano expanſis vtiq; velis interritus æſtuabat. Itaq; quod ad hunc vſq; diem molitus eſt nemo, ipſe non temnendis auſpicijs videtur aggreſſus: opus nempe luculentiſſimum, quo medicam officinam ſtupenda dogmatũ ſylua, & perregrina methodi nouitate ditauit; enimuerò cùm annimaduerteret Philoſophiæ ſtudioſos, nec opinantes ferè ad medicinam tranſire, veluti ad alterius ſcientiæ principia capeſſęnda, nequaquam verò deliteſcentem in ea dignoſcere Philoſophiam, immò nec percipere medicinam nil magis referre, quàm hanc rerum naturalium vniuerſitatem, ad exiguum humani corporis orbem contractam, hoc ſibi adſciuit onus ſuis haud impar viribus, pulcherrimam vtriuſq; ſcientiæ ſpeciem tanquam in tabula referendi, ea dictionis vbertate, ſententiarum pondere, ac diſpoſitorum elegantia, vt in id volumen intenti non ma-

gis ornatiſſimi Philoſophi, quàm expertiſſimi medici euadere poſſe videamur. Tale opus longo temporis ſpatio elucubrauit familiaribus curis implicitus, nec ideò potuit altiori pectore cuncta digerere, vel typis edere, quòd ſibi mors ad præclariſſima præcluſerit aditum; nihilominus eſt huiuſmodi, quòd legenti fructus proferat vberrimos, nec inani doctas aures iucunditate perfundat. Hinc Sereniſs. Venetorum Senatus, cum ex obitu Roderici à Fonſeca Luſitani practicā medicā in ſchola Patauina primo loco docentis, præclara hęc eius ſtudia precepiſſet, tàm alacri, & propēſo animo eius nomen excepit, vt ei ferè libera ſuppeteret id oneris eligendi facultas. At interim maturato conſilio, ac excitis ciuium ſuorum animis, ægreq; ferentibus tanto ſe orbari viro, adeò perfecerunt, vt ipſe lubens in eorum ſenſum deflectens, patrium ſibi domicilium, vel in magnis gloriæ, atq; ambitionis illecebris nullo pacto deſerendum exiſtimarit; quapropter Venetorum mētibus aliò conuerſis, Ioannem à Colle Vrbinatium Ducis archiatrum, in eius locum perhonorifico præmio ſuffecerunt. Sic etiam Academiæ Meſſanenſis, quò fuerat antea conuocatus, ampliſſimas reiecerat conditiones. In eo tamen ſingula, quæ legenti ſummopere conferunt auſpicatò inerant. Venerabilis enimuerò frontis dignitas, prelonga barba, & cana, ſubhilares oculi, ac fulgentes, humecta facies colore ſubniueo, condentiq; totius corporis habitu: ſtatura porrò ipſi mediocris, ac vt actionum, ſic pedum celeritas, membrorumq; robur; hinc manu promptus, hinc armorum haud carens peritia; iuuenis adhuc dexteritate, ac leuitate corporis, facilè cæteris æqualibus anteibat; apud quos etiam incompatabilis memoriæ vis, & morum grauitas, & verborum elegantia admirabilē ipſi gratiam conciliarant: hæc autem non vſpiam gratiùs, quàm in excelſa celeberrimi Lycęi cathedra enituiſſent. At verò triginta annorum ſpatio, quo patriæ medicam impendit operam, ea pietatis officia coluit in omnes, vel infimos, vt eius obitum ex trimeſtri aſperrimo colli dextrorſum intumeſcētis dolore, ciuitas gratiſſimo ſit proſecuta funere, ac luctu. Parente ſe quidam orbatos conqueri; alij vindice morborum tutiſſimo, cuncti iactare ſedulitatem, cuncti normam, ac ſtudium in curationibus exercendis, omninò abſtractum è patriæ gremio, inſigni quadam pietatis abundantia, ſæpè adhuc recolere, ſæpè rediuiuum augurari. Sed, heu! dum commemorabiles parentis optimi refero virtutes, videor forſitan ipſius nomini texere panegyricum, quod nonnihil hiſtoriæ deroget fidei. Æternis ergo ingenij ſui partubus, ac noſtratium inſculptæ mentibus, à me vltrò ipſius decoris anxio relinquantur. Interim eius effigies è marmore, Vicentiæ in templo Saluatoris coronæ dicato conſpicitur, inter vtramq; Philoſophiæ, ac medicinæ ſtatuam elata, non

indignum poſteris monumentum, quod etiam ſuppoſito iampridem compendiario eius elogio exornaui.

Andreæ Clocci Veronenſis.

*Imperialis erat cognomine, corpora letho*
*Eripiens, fatis imperat ille feris.*
*Dum docet, Hippocratis, docti & monumenta Galeni*
*Ingenio euoluens Aſteropæus erat.*
*Immiti nuper ſubtractus morte, perennem*
*A' ſera famam poſteritate feret.*

D. O. M.

Ioanni Baptiſtæ Imperiali Philoſopho, & medico
præſtantiſſimo.
Bonarum artium antiſtiti ſummo viro integerrimoq;
Singularibus naturæ bonis in rerum ſcientia
Et agendorum vſu conſpicuo.
Cuius nomen ſuis inclytum, patriæ fauſtum,
exteris pernobile vbiq;
libris editis & edendis præfulget.
Cuius opera bis communi Academiæ Patauinæ
plauſu ad primam Medicinæ
cathedram exoptata.
Cum olim etiam Meſſanenſe gymnaſium
ampliſſimis ipſum condicionibus
inuitarit.
Marina Lantia vxor, & Ioannes
Caroluſq; filij
Coniugi & parenti incomparabili
H. M.
Mœſtiſs. P. P.
Vixit an. LIII. Menſ. IX. dies XV.
Obijt. VII. KAL. IVNII. AN.
MDCXXIII.



HENRICVS CATHERINVS
Dauila.

# HENRICVS Catherinus Dauila.

VIR iſte ideò poſterorum meretur encomia, quòd cum belli artibus, literarum, & Philoſophię ſtudia coniunxit. In Cyprio namq; regno, nobiliſſimo è ſtipite natus, ſicuti docile, promptumq; ingenium, optima per ætates coluit inſtitutione, ità eo poſtmodum dira Turcarum inuaſione ſubacto, in fandas exilij calamitates, cũ tota familia perpeti coactus eſt, indeq; vario vitæ genere ſibi, ſuiſq; ſubſidium quæritare. In primis, cum Auilam Hiſpaniæ Vrbem, quò ſui generis referebat originem, traieciſſet, ſperans fore, vt humanis agnatorũ inibi degentiũ officijs exciperetur, vel in ipſo limine ipſorũ volũtates ſibi nõ diſſimulanter iniquas expertus, retulit greſſum, in Galliaſq; migrauit, vbi aditu ſibi ad Henrici tertij Regis aulam, militaris indolis oſtentatione parato, conſtitit diù, accito etiam fratre, biniſq; ſororibus, Catherinæ dehinc matris Henrici domeſtico dicatis obſequio. Defuncta verò Catherina, ac mox etiam Rege, per varia bellorum diſcrimina in turbulentiſſimo regno tranſegit ætatem. At diuina ſibi munificentia, ſeruatam non ſemel vitam, ancipiti alea diutiùs non proludendam ratus, gloriæ ſatur, æuoq; grauis, Venetæ Reipublicæ perhonorifica ſuſcepit ſtipendia, quibus ad extremum vſq; ſpiritum, rebus ſuis opulenter proſpexit. His implexum curis genium vacaſſe bonarum artium ſtudijs, admirabile forſitan videri poſſit, niſi naturæ magnipotentis quotidiana occurrerent experimenta in hominibus, diuinum quid, ac ſuprà mortalium conditionem olentibus. Alebat hic, quantùm ſibi temporis ſupererat, acri, ſolitaq; meditatione animum: tuebatur improſperos familiæ ſuæ caſus æſtimatione ſimilium, in ſingulis propè regnis, ac gentibus: volutabat ſedulò moralium Philoſophorum volumina: hiſtorias verò cùm legeret, viciſſim perſcribebat, æmulo antiquæ grandiloquentiæ ſtilo, vnde à nobis hauſta ſeges laudationis vberrima. Conſtanti namq; omnium huius oræ peritiorum voce proditum, hunc in referendis Gallicarum ſeditionum initijs, cauſis, euentibus, totaq; illa tragicæ exagitationis ſcena, neotericis fermè omnibus, grauitate, facundia, politicæq; indaginis acumine anteire. Nec deſunt etiam, qui hunc vnum iſtarum merito dotium, Franciſco Guicciardino hiſtoricorum principi, æquiparare non dubitent. Cæterùm qui toties iniquæ ſortis tela re-

ſa retuderat, miſerabilis exitum funeris euitare non potuit: Patauio ſiquidem, vbi degebat, præſidum Venetorum iuſſu, cum domeſticis Veronam appetens, in diuerſorio Villenouæ conſtitit aliquantiſper, publica deinceps proferens mandata, quibus ſibi de more vectaria ſupellectilis plauſtra eò loci concedebantur: impoſitum eſt hoc onus nobilis cuiuſdam Veronenſis colono: aduenit ad eius tutelam herus, ac indignanter in hoſpites inſultauit: horum autem modeſtam deſpiciens tolerantiam, ad arma etiam temerè laceſſiuit; ac tùm præpropero, heù nimis impetu, Dauila parui tormenti globulo ſauciatus, illuſtrem poſt horas efflauit animam. Tanti ſucceſſus dolore inter vxoris, & filiarum gemitus, paruus eius filius, ac ſerui in extremam acti vindictam, ferociter illicò interemptorem, cauponemq; atrocis miniſtrum facinoris confoderunt, qui poſtea pede appenſi in Veronenſi foro, decreto publico, dignum inſuetę inhumanitatis præbuere ſpectaculum. Ætas ipſi ſuprà quinquagenariam: indoles audiendo potiùs, quàm eloquendo prona: mores comitate, animus grauitate ſpectabilis: corpus præcelſum, benè compactum, vegetum. Nihil deniq; in eo, quod virum deceret egregium, quàm longioris vitæ vſura deſiderari potuit.

## Incerti.

*Me puerum Cyprus alma, virum me Gallia vidit,*
*Otia deinde ſeni mî dedit Italia.*
*Hinc charitum flores, hinc aſpera munera Martis,*
*Hinc Phœbi lumen cernis in hiſtoria.*
*Tu puerum Cytherea, virum tu fortis Enyo,*
*Tuq; tuum celebra Pallas amica ſenem.*

## Ronconij.

*Quid valeat virtus, (fatum quid poſſit iniquum)*
*Henricus nobis monſtrat vtrunq; ſimul.*
*Illa viros animat, viuentes enecat iſtud,*
*Crudele, & clemens, hoc premit, illa leuat.*
*Dum manus Henrici victuros ſcribit honores,*
*Indigna Henrico fert manus ecce necem.*
*Siccine Caucaſeus renouatur ſorte Prometheus,*
*Vt miſer hic pereat, quo noua vita viget?*
*Sic eſto, vt mortale queat ſuccumbere fatis,*
*Immortale tamen non fera fata pauet.*

# PARERGON VIRORVM ILLVSTRIVM ADHVC VIVENTIVM.

PERVENTVM iam eſt ad extremum elaborati Muſæi limen, ſin adepta, certè maximè concupita doctorum gratia. Plurimi fortè incomptum, & inuenuſtum eius reputarint proſpectum; ex conditoris tenuitate, ex ornamentorum defectu, ex inopi, & parùm congruo præcellentibus Muſarum alumnis venerationis apparatu. Sed ad ingentia ſtrenuè adnitentem, ſi vires deſerāt, fas eſt apud æquiſſimos nobilitatę virtutis arbitros, aliquam ſaltem incæpti laudem emereri. Produximus defunctorum imagines in conſpectum poſteritatis, perinde ac pictores proferunt Diuorum geſta, vel Imperatorum triumphos; quos ſicuti ad vnam populi religionem, & oblectamentum dirigunt, minimè ad conſumatæ illorum gloriæ incrementum: ita nos ſuſcepta prouincia voluptati potiùs conſuluimus præſentium, quàm immortalitati præteritorum. Illi nimirùm ſatis poterat noſter vel ineptus deſeruire calamus, narrationum varietate, atq; excuſoris induſtria, ſpiranti propè obiectorum vultuum ſimulachro. Hanc autem cum ſibi vltrò peperint illuſtres animæ ſcriptis vbiq; locorum, & gentium duraturis, noſtræ parùm expoſcebant orationis ſubſidium, cuius ornatu, & grauitate, clariora ipſorum nomina redderentur. Propenſa igitur hæc ſpectatores eleganti genio præditos alliciendi voluntas, excuſet operis, quo nobis ne hilum quidem placemus, infirmitatem. Si quis interdùm veterum numiſmata inſpiciens, tantopere delectatur, vt licet exeſa vetuſtate, ac viſibiles vix præbentia formas, graui tamen vndiq; conquirat impenſa; quantò debent gratiores ſingulis euadere collectæ à nobis, & propoſitæ ad intuendū icones, quæ licet obſcuro auctore, nec emeritis, circumfuſæ nitoribus, tamen lineamentis conſpicuæ, impreſſione integræ, hiſtoriæ additamento probatæ, præferunt heroum, qui Orbem nobilitarunt, ideam? Hac vna ſpe freti perfundendi curioſorum animos erudita iucunditate, putauimus quandoq; operæ pretiū facturos, ſi mortuorum imaginibus, & elogijs, vtraq; pariter illuſtrium ſubnecteremus viuentium, quorum non infælix omninò, ac toti Orbi nota ſeries hoc æuo ſuppeditatur. Verùm à digniſſimo facinore.

nore, illa nos præſertim auertit cogitatio, quòd, etiamſi quamplures ad ſenium redacti, abſolutis partæ gloriæ numeris gaudeant, vnde ſcriptori ampliſſima offertur expatiandi, collaudandiq; ſylua; tamen cùm alij etiam iuniores, virenti nunc floreant nominis exiſtimatione, quam in dies ſingulos excellentibus generoſæ indolis fœtubus, præclariſq; geſtis augere nituntur, non ſunt à nobis iſtorum encomia, anguſto nimis ſuæ vitæ ſpacio contrahenda, quando longè plura, eaq; fortè inſigniora prouectioris ætatis omittere, eſſet potiùs ipſorum ſplendorem obruere, quàm memoriam decorare: propterea ſucceſſuro nobis ea relinquere ſcriptori, ingenui, nec procacis eſſe animi, debitamq; vnicuiq; non adimentis gloriam exiſtimauimus. At verò deterruit etiam à propoſito pudor ille, nec ſubruſticus, nec illiberalis, quo quiſq; dum vera loquitur vel ad corporis, vel ad animi tenorem pertinentia, trepidat, hæretq; ne illorum officiat nomini, quibus perennem ſtudet apud poſteros plauſum conciliare. Hac perpetim religione prudentiſſimos quoſq; homines, qui in hoc conſcribendæ priuatorum hiſtoriæ ſtudium incubuerunt, tàm veteres, quàm recentiores, pepercíſſe in viuis adhuc agentium fortunæ, factiſq; referendis, non ignorat, qui ſingulorum opera nō oſcitanter percurrere conſueuit. Verumtamen qui ſe mediusfidius temperare poſſit, nec ſine ingrati animi piaculo, tetriq; liuoris nota reticere ſacrata Mineruæ capita, quorum hæc ætas honorabili ſuperbit aſpectu, quorumq; præconijs ſcribentium calami exultant, ſuas certatim paginas exornare? Rapit ad ſe in primis Italorum ora, & ſtudia Claudius Achillinus Bononienſis Legalem, & Poeticam laurum, cunctorum calculis iampridem promeritus; quippè in celeberrimis gymnaſijs, principis doctoris munere obeundo, & ornatiſſima ſæpius carmina ingenij fœlicitate pangendo, dubium relinquit hactenus, an ſcientiarum omnium, ac præſertim Iuriſprudentiæ ſtudioſis vtilior, an vorſæ, ac proſæ orationis peregrinitate ſublimior, & ſuauior exiſtat. Quem propterea Dux Farneſius in Parmenſi delectum Lyceo nuper ſuſpexit, commendauitq; docentem, nunc patrium detinet ſubſellium, ac externi etiam principes concupiſcunt, frequentiſſimus verò iuuenum cœtus, ceu rediuiuum antiquæ iuſtitiæ oraculum, admiratur. Nitet in Vaticano Sanctiſſimi Patris Vrbani cubicularius Auguſtinus Maſcardus Genuenſis ſummorum ingeniorum æmulus, à quo herclè Italicæ dulciloquentiæ norma petitur, quum vberrimo ſtilo perorare de ſingulis natus, artis præcepta naturæ viribus egregiè adaptaſſe iudicetur. Hic opuſcula quotidie tanquam ex ſpecula Romanam profert in lucem, ſingulari eruditorum acclamatione recepta, vnde facilè ominamur fore, vt eius conatu probatioris ſæculi antiquata loquendi reuocetur

cetur

cetur induſtria. Conſortem verò iſtorum gloriæ Ioannem Ciampolum Florentinum pari paſſu, at peculiari quodam ſpiritu incedẽtem, noſtrates iamdiù ſic norunt, vt Gregorij XV. & Vrbani nunc viuentis, quibus à ſecretis deſeruijt ſectati iudicium, illum inter latinæ facundiæ proceres digniſſimum arbitrentur: magnifica ſiquidem eius oratio, nitida, collimata, redundans, exurgit in veteris grandiloquentiæ ſpeciem, orbis rectore, Diuiſq; proximo faſtigio dignam, quam herculè cum in cæteris potiùs animo cernere liceat, quàm re ipſa videre, eius modò nobis, vel ad ipſius, vel ad aliorum laudes perſtringendas exoptamus influxum. Iam verò de politioris literaturæ parente, totiuſq; antiquitatis archetypo Famiano Strada Romano Patrum Ieſu incomparabili ſocio, quid attinet plura dicere? quis eius libellis vel parumper legendis addictus, non ſentiat animum inuſitata comptiſſimæ lectionis dulcedine titillari? Suada ipſi verè connata, ac ſermonis lenocinium, quodam aurei fluminis inſtar exuberat, vetuſtiorum exæquat laudes, recentiorum exuperat. Nihil pulchrius, quàm ſe ad cuiuslibet, vel poetæ, vel oratoris ſtilum effingere. Nihil dignius, quàm optimè ſe confingendo præcellere, quod vtrunq; vir æterna colendus memoria, incredibili commendatione adeptus eſt.

Agè diuertamus ab Orbis capite, quod auguſtum ſemper extitit ingeniorum aſylum, ad externas Tranſalpinaſq; vrbes, quæ licet bellorum flagrantes incendio, acri tamen æmulatione, eximios alunt virtutum, ac ſtudiorum igniculos. Quò factum, vt quæ prima Italis laus doctrinæ, cultiq; deferebatur eloquij, nunc alterno fato à Gallis, Germanis, ac Belgis prærepta, tàm feruenti contentione ſeruetur, vt his genuinæ, ac peculiares literæ, noſtratibus aduentitiæ penitus eſſe videantur. Tu quidem Eryci Puteane Louanienſis gymnaſij decus inſigne, allicis iuuenum vndiq; confluentium agmina, ſolidiſſima reconditæ literaturæ peritia: ſed Italorum voces tuo nomini adplaudentes, propria tibi referant ſcripta, ipſorum perſæpè trita manibus, & comprobata conſenſu. Te vnum meritò magno Lipſio anteceſſori ſuffectum prædicat Belgium. Te hiſtoriographi regij peramplo auctum honorario, Germani ſuſpiciunt, & Hiſpani; vt propterea non ſemel à cunctis Orbis gymnaſijs concupitus, ea viuens fruaris maieſtate virtutum, quam non ingrata poſteritas, multorum etiam curriculo ſæculorum conſeruatura ſit. Neq; tuos, Gaſpar Scioppi, reticere faſtus poſſim, qui generis nobilitati, præſtantiorum quarumq; doctrinarum notitiam addidiſti, ob quam Germaniæ tuæ ſpectabilis, Italiæ admirandus, Pontificibus, Regibus, ac Principibus ſingulis acceptiſſimus, priuilegia nulli ampliùs tot amplitudine meritorum conceſſa obtinuiſti: & quod magis tuum vbiq; nomen reddit gratiſſimum, di-

Cc uino

uino ingenij tui robore, ad fidem Catholicam aduerſus hæreticos propugnandam conuerſus, plurimis operibus eximias profligatæ impietatis manubias reportaſti; mirabili equidem religionis exemplo, in quam defenſor eius acerrimus intuens Ferdinandus I I. Imperator, te inter intimos ſui conſiliarios delegit, plurimiſque voluit honoribus inſignitum. Cæterum te hìc appello Gabriel Naudee inclytam Pariſiorum ſobolem, ac non vulgarium florentis ingenij fœtuum varietate fęcundam. Probantur, leguntur à doctis omnibus tua quotidie monumenta literarum. Angit eos etiam, atque etiam expectatio cæterorum, quę nondum completa rerum pulcherrimarum diuitias pollicentur: te enim in Italiam cum Ioanne Franciſco ex Comitibus Guidijs à Balneo Cardinali, cui bibliothecarius aderas aduentante, tàm illuſtre virtutum ſpecimen in Romana curia præbuiſti, vt ſinguli tuam indolis dexteritatem ad ſublimiora quæque habilem agnoſcerēt; quod etiam anteà anno M D C X X V I. dum Patauij inter clariſſimos eius Academiæ proceres verſareris ſolemni eorum conſenſu firmatum, cōprobatumque fuit. Vt mirum propterèà non ſit, virorum doctrina præſtantium teſtimonia de te in operibus æditis extare quam plurima, quibus tui nominis fulgor, longè, lateque diffuſus, cùm cæcas liuoris tenebras excutiet, tùm reſurgentem gloriæ tuæ claritatem propagabit æternam. Ac ne à fauſto Gallorum in Muſarum hortulis cantu recedamus, occurrit inter alios Iacobus Gaffarellus ex Prouincia Prouinciæ, Theologiæ, ac Iuris Canonici laurea redimitus, cuius egregia, & varia ſacram Bibliorum hiſtoriam explicantia extant impreſſa, nulluſque videtur hoc æuo feliciùs, arcana Hebręorum expandiſſe myſteria, tùm quæ ad Cabalam, tùm quæ ad ipſorum characteres, nec non ad alia, quæ in Rabbinorum lectionibus abditiora conduntur. Cuius cum ego eruditionem ex colloquio Venetijs quondam habito deprehendi, tùm eius præſertim me valdè fateor humanitati deuinctum, eo nomine, quòd parentis mei elucubratas in omnibus Galeni operibus notas, Pariſijs excudendas curarit, oblato etiam munere, vti à me non quæſito, ita honoris cauſa, & operis exiſtimatione perquàm grato. Sed occurrunt etiam alij Gallorum præſtātiſſimi, quorum encomia vberrimis perſequi eloquentiæ riuulis non deſinit doctorum cætus. Inter quos hiſtoricis editionibus cōſpicui Sanmartani fratres, quorū Scęuola virorum literis in Gallia illuſtrium vulgauit elogia, luculento ædepol probatoque volumine: præſtat etiā Citeſius inter medicos Io: Armādus Pleſſęius, Cardinalis & Dux de Richylieu Regij, maximi, celeberrimi conſiliarij archiatrus, exquiſita rerum plurimarum peritia nobilis; ac ipſum herclè, adſequitur Ioannes Riolanus, ſingulari apud exteros doctrinæ opinione præfulgens. Hos porrò tàm immenſa ſequi-

tur

tur in his, atque alijs, & ſacris prophaniſque ſcientijs, & artibus ingeniorum cohors, vt eorum ſingillatim hîc nomina recenſere, inexhauſti omninò eſſet laboris, atque ab ſuſcepto à nobis, paucos tantùm perdoctos, raptim conſalutandi conſilio alieni.

Ad Batauorum igitur effulgida huius ætatis lumina, noſtra deflectat oratio: quot enim ex eorum climate Duces rerum geſtarum, ac rei militaris gloria nitentes? quot admirabili mechanicarũ induſtria ſpectatiſſimi? quot mercibus, terra marique conquirendis, patefacto vel ad vltimos vſque mundi ſinus itinere vigiles, ac induſtrij? Non vaſta ipſos Hiſpanorum potentia ab ingentibus vnquam factis deterruit: non bellorum inuectę toties ærumnæ, peracres ipſorum ſpiritus retundere potuerunt: excitæ potiùs ab his tamquam ab igniarijs ſcintillæ virtutum, vſu poſtmodum excreuerunt in flammas, quibus ipſorum animi elata ſemper ad ſublimiora cupidine exarſerunt. Ita ſolemnia exinde apud ipſos inſtituta Muſarum ſacra: ita certatim adauctus quotidie literarum cultus, conſtructo Lugduni Batauorum gymnaſio, frequenti exterorum conuentu percelebri. In eo quamplures eruditionis laude præſtantes viros, libriſque impreſſis conſpicuos conſediſſe, teſtantur abunde Ioannis Meurſi Athenæ Batauæ, quibus viuas ipſorum imagines ære inciſas, eleganti addita vitarum perſcriptione collegit. Offertur inter alios viuentium primarius Hugo Grottius Græci, Latinique ſermonis, nec non Iuris Cæſarei penitiori ſcientia perpolitus, quẽ anno ætatis decimo quinto Martiani Capellę opus notis ſuis illuſtratũ, atque ab innumeris perpurgatum erroribus emiſiſſe proditum eſt. Maior autẽ natu, fœtum de iure pacis, ac belli comptiſſimum, atque ab Italis diutina commendatione pellectum elaborauit, quo ſummas ſtudiorum vires expertus videri poſſit, niſi alia ſubinde opuſcula ipſius nobis ingenij celſitudinem teſtarentur, ex quibus & tragediæ quædam, & epigrammata, & ſyluæ, & notæ in Arati Phœnomena græca, & dicta poetarum apud Stobeum latinè verſa, & emẽdata, & huius ordinis alia eruditorum oculis per iucunda. Verùm qui ad nos paucis ab hinc annis peruenit libellus, quem, Mare liberum, inſcripſit, ſiue de iure, quod Batauis competit ad Indicana commercia, talem apud exteras nationes emeruit plauſum, vt Ioannes Seldenus Anglorum doctiſſimus, oppoſito illum commentario, quod, Mare vocauit clauſum, conuellere admodum ſit nixus. Annales porrò belli Belgici ab eo cõflari, percepi nuper à Scipione Feramuſca ciuè meo, huius vrbis, ac ſæculi ornatu infrà non omittendo, huic enim cum Grottio epiſtolarum intercedere neceſſitudinem, ipſarum lectiſſima quædam mihi teſtis, quam ille, dum legatum Reginæ Suecorum nomine penes Gallũ Regem ageret, ad ipſum tranſmiſit. Cæterùm hîc

ad nos aduocat Daniel Heinſius Gandauenſis, præfata in vrbe Politicorum profeſſor. Hic verſatilis inſtinctu indolis, grauiorum quarumque artium apices peruagatus, mitiorum in primis gloriam Ioſephi Scaligeri auſpicio affectauit induſtriè; quo nomine hiſtoriæ, poeſis, oratoriæ facultatis anteſignanus, varijs operibus, & elucubrationibus in græcos, & latinos auctores, Italis iampridem innotuit, ac præſertim ornatiſſimo viro Dominico Molino Senatori Veneto, elapſo anno communi literatorũ luctu prærepto; huius enimuerò nutu, Sereniſſima Reſpublica Heinſium D. Marci equitem, collato aurei torquis munere deſignauit. Antea verò eundem Guſtauus Rex maximus Suecorum, in conſiliarium, ac principem Regni hiſtoricum ſtipendio planè regio, atque ingenti pertraxerat, à quo tamen præpotentum Hollandiæ ordinum ſtimulis retroactus, politicorum interpretationem ſuſcepit, Academiæ inſuper bibiliothecæ præpoſitus, & à ſecretis electus: interim genio fauens platonicas diſſertationes, & Ariſtarchum, ſiue libros de diſciplinis veterum, effuſum, & vaſtum opus molitur: alia verò ex feraci eius ingenio perpetim emanatura, pollicetur ſibi ſtudentum vulgus, quibus rari eius in mundo literario colendo, exornandoque conatus quotidie referuntur. Ijſdem inhærens veſtigijs Ioannes Gerardus Voſſius Ruremundanus, in eadem Lugdunenſis ſchola, eloquentiæ magiſter, & chronologiæ, captauit iam multos annos inſignem adoleſcentum gratiam politiorum excellentia ſtudiorum, quorum varios edidit partus, non intermorituris eruditorum laudibus exceptos. Præ cæteris Inſtitutionum oratoriarum libri ſex, adeo quondam indigenis, ac noſtratibus arriſerunt, vt quorumque veterum eximijs hoc in genere laboribus coequandos arbitrarentur. Protulit alia hiſtorica, & alia ſubinde typis cudenda meditatur, ſi vitæ diuturniatis perfruetur vſura. Ioannem verò Meurſium tot opulentæ mentis dotibus inſtructum, ac tot expanſis vbique ingenij ſui nitoribus longè conſpicuum, quis Academiarum ſtadijs aſſuetus, pleniſſimè nõ agnouit? Vnus hic verendus antiquitatis arbiter, atque deliteſcentium eius ſcriptorum indagator, & helluo, plura ex Græcis reuocauit in lucem latinaque reddidit, ac notis auxit, quam alij centenis retrò annis præſtitiſſe dicantur. Nullus propemodum ab alio cumulus vberior, vel editorum, vel edendorum operum, Theologiæ, Philoſophiæ, Hiſtoriæ, Poeticæ themata complectentium. Quocirca à Chriſtiano IV. Daniæ Rege in Soranam euocatus Academiam, & hiſtoriographi regij munere decoratus, ſingulari nominis exiſtimatione, politices nunc, & hiſtoriarum profeſſionem tuetur. Quòd ſi præterea nobiles Petri Scriuerij vigilias in Vegetij, Hygini, Frontini, Senecæ, Apuleij, Martialis opera: ſi Otthonis Heurnij viuidos paternæ

indo-

indolis ſpiritus in volumine de Barbarica medicina: ſi Gilberti Iacchei propenſum ad eandem explodendam, & Galenicam amplificandam genium inſpiciamus, verè ſolum Batauum nulli cedere prçcellentium feracitate virorum, fateamur neceſſe eſt. Vtinam deflendo ſuo fato, eadem prouincia non inſanijſſet in polluendis, ad prauumque detorquendis Catholicæ religionis ſenſibus, nihil enim ferè ad eius, vel maritimæ, vel terreſtris gloriæ augmentum, nihil ad liberalium dignationem, cultumque artium, in ea deſiderari poſſe videretur.

Iam vt è longinquis ingeniorũ altricibus terris, ad noſtras vnde ſermo dimanauit ſe referat, quotuſquiſque Italorum ignorat, plures in theatrali hoc Venetæ ditionis ambitu inueniri, quos æquus amauit Iuppiter, & ardenti virtutum face rutilos ad æthera euehunt vniuerſi? Quò ſane fit, vt ingrati prorſus animi notam ſubire diceremur, ſi Ioanni Baptiſtæ Contareno patricio Veneto, morum candorem cum ſenatoria grauitate iungenti, emeritam hoc in Muſæo ſedem non pararemus, quando is Phyſicorum addictus perſcrutationi, probata olim à ſapientioribus placita luci tradidit, quibus excelſæ mentis acumen, poſteris etiam ſuſpiciendum, teſtatus eſt. Ecquid poeticarum narrationum Io: Franciſci Lauredani eiuſdem Patricij ordinis lepore, ac venere ſuauius excogitari poteſt? cum abſque vorſæ orationis rithmo, vernaculi ſermonis proſa, amatorias eleganter confingat, referatque vices, quarum lectione laſſatus interdùm curioſorum animus blandiſſimè delinitur? Nam alia pariter grauiora, quæ propediem ex venuſto eius exciſura calamo concinnantur, lubentes omittimus, quòd ab exili noſtro, incultoque parùm illa ſplendoris acceptura eſſe videantur. Hac eadem ſtudiorum ratione delectatus Franciſcus Pona Medicus Veronenſis, quotidiana elegantium editione ſcriptorum, Etruſci nominis coryphæos, & arbitros æmulatur: ex quo eius ingenium probatum indigenis, externiſq; præfulgidum, non interituram penès venuſtioris doctrinæ ſectatores exiſtimationem tuetur. Eſt prætereà ſingulis obuia Nicolai Craſſi Iuriſconſulti fœlicitas in ſcribendo mira, vario, multiplicique rerum maximarum apparatu ſuffulta, quod præſertim nobis commoſtrant elogia, probatiorum Venetæ nobilitatis virorum, quibus iampridem non obſcuram Romanæ facundiæ laudem, doctiorum ſibi iudicio comparauit. Accedit ſalſum eius, & ſolidum in ſelectioribus literatorum elucubrationibus æſtimandis iudicium, & morum decor, & conſuetudinis vrbanæ ſuauitas, ob quæ in ampliſſima vrbe, cùm maximè ſpectabilis, & clarus habetur. An verò Michaelis Angeli Rotæ celebritas in medendo iacet in obſcuro? cùm incredibili, & inuſitata in morbis euincendis virtute, labãtis propè humani generis reparator, & vindex acerrimus exiſtimetur. Hinc

ad ipſius domum, opem in vitæ diſcriminibus implorantium, frequẽs accurſus, quòd ſalutis ab eo certiſſima promi creduntur oracula. Hinc opulentus artis prouentus, ad honeſtum induſtriæ, laborum, ſtudiorumq; ſolatium: digniſſimo herculè tanti viri merito, cum præter altiorum cognitionem diſciplinarum, ſingulari niteat bonitatis dulcedine, qua medicorum, ciuium, exterorum, Principum etiam gratiam adeptus eſt. Ita Ioſephum Aromatarium eadēcolit ciuitas, Hyppocraticæ doctrinæ cultorem egregium. Efferuet nimirum ingenio in medicinæ dogmatibus acri, viuido, exacuto: typis edidit, iamdudum nonnulla, molitur, vt audio, grauiora, quibus locupletior phyſicorum, & medicorum officina reddatur. Alios verò ex ordine ſenatorio ſupereminenti politices, hiſtoriarum, & agendorum ſolertia præditos, ideò reticemus non inuiti, quòd ipſorum numerus noſtram redarguat breuitatem, excellentia dictionis inopiam, amplitudo imbecillitatem. Inſudent alij pro dignitate, Venetorum Ducum, Oratorum, Legatorum, Næmeticorum dictis factiſq; referendis; nobis eos tantùm in limine conſpexiſſe ſit ſatis, virium noſtratum, ſuſceptæq; à cultioribus prouinciæ non ignaris.

Allicit nos vltrò huic vrbi dominæ proximum, ac celeberrimum Pallados emporium Patauinum, vbi natas connutritaſq; artes omnes ingenuas, ac doctrinas, incorrupta multorum ſæculorum ſerie palam eſt. Vberrimam hoc ſanè ſuggereret ſcriptori ſegetem ad commemorandas inſignium ingeniorum prærogatiuas, ſi nomen ipſorum longè, lateq; diffuſum, omnem non ſuperaret hiſtoriam. Legum ſi quiſpiam exquirat gloriam, en Alexander Syngliticus nobilis Cyprius Cuiacij præceptoris æmulus, cuius ex ore Cæſarum ſanctiones impolluta traditione promuntur, nec ſine Romani candoris, & facundiæ maieſtate; ex puriſſimis quippe is latinè, ornateq; ſcribentium fontibus, hauſto dicendi genere ſingulari, peracutas, & abditas iuris interpretationes in ſuggeſtu detegit, ad eruditorum gratiam, ac ſtudentium fructum. Porrò elapſis menſibus Bartolomeus Vecchius Senenſis eodem Iuris curriculo ſolertiſſimi ingenij laudẽ adeptus, effulſit cunctis nationibus vltrò ſpectabilis, quo nomine à ſplendidioribus Athenæis anxiè requiſitus, auguſtiſſimi Venetorũ Senatus obſequio ſe dicauit, à quo etiam inuſitati ſtipendij honore ampliſſimo eſt adauctus. Sed nuperrimo Etruriæ magni Ducis iuſſu in Piſanam coactus eſt recedere Academiam, addita ei Conſiliarij dignitate, vtiliq; ex aulæ negotijs prouentuum incitamento. Eius tamen vice Patauium condecorat Lelius Mancinus Politianus Canonici iuris de mane interpres primarius, perſpicaci, accurataq; nitens induſtria, ob quam iunioribus apprimè carus, intaminatis Pontificum ſanctionibus ipſorum imbuit animos opta-

optabile poſtmodum diuinæ fidei, atq; Eccleſiæ ſubſidium allaturos. Huius verò conſortem ſtudij, vt etiam gloriæ Marcum Marchianum, veſpertinis horis, principem Canonum explicandorum exedram obtinentem, non liceat mihi abſq; violato amoris, & communi ciuitatis fœdere præterire; quando ex eius encomio illa me vel iucundiſſima ſolatur memoria, quòd primùm in Vicentino gymnaſio pueri, mox in Patauino adoleſcentes, tandem vtrobiq; viri Parnaſſi ſpatia, mutua ſumus colluctatione dimenſi. At ceſſi iampridem ipſi non inuitus palmam, adplaudentium vndiq; ipſius virtuti iuuenum votis promeritam; ac lætor tantum mihi æcucuriſſe victorem, à quo tantum mea patria recipit ornamentum.

Quòd ſi oculos ad Philoſophiæ, ac Medicinæ antiſtites conuertamus, perſtringant nobis aciē luminaria duo, fulgore miro Europā ferè omnē complentia, Benedictus Siluaticus, & Ioannes Dominicus Sala Patauini: Praxis ille medicæ mirabilis explanator: hic Theoricæ magiſter eximius: ille grauiſſimo actionum decore mētes alliciens auditorū, quos ex ſuomet ore pendentes perpetuò ferè conſpexit innumeros: alter inſigni diſſertionum acumine, artis ambiguæ dogmata in doctiſſimo oonſeſſu firmās, ac vindicans à corruptorū barbarie. Nihil de Siluatico magnū exprimi poteſt, quod eius vnicuiq; præſentia maius nō reddat: nihil de Sala præclarū concipi, quod eius ſingulis colloquium nō exprimat efficaciùs: refert ille ſpeciē Hippocraticæ breuiloquentiæ ſententiarū pondere, ac ſoliditate ſermonis: gerit alter characterem Galenicæ vbertatis, ad phyſicam lancem redigens promptè ſingula, & planiſſima oratione diſcutiens. Vterq; demùm à ſummis Regulis acceſſitus, vel ad cathedras, vel ad aulas, cùm docendi, tùm morborum cauſa propulſandorum. Siluaticus à Ferdinando II. Imperatore, ad filij tabe languentis curationem. Sala certatim à principibus Venetorum, & ab circumiacentium vrbium ægrotis nobilibus. Hinc ambo cùm rei medicæ beneficio, tùm hæreditatis iure admodum opulenti. Eos cùm ipſe iampridem coluerim præceptores, alia poſſem immortalibus ipſorum meritis non deneganda ſubnectere, ſed ſuſcepti me auertit inſtituti ratio, gratæ ſolùm, non verò condignæ commemorationis præſcribens officium. Ita Fortunij Liceti phyſica, diuq; ſpectata in eodem gymnaſio virtus, præſtitit expanſa in longinquos maximè terrarum ambitus, quoad eminenti Bononienſis Academiæ decorata ſuggeſtu, peramplos inibi profert operoſæ mentis theſauros, quos etiam ſcriptis anteà quamplurimis, ac probatiſſimis altiora totius naturæ myſteria complectentibus oſtentarat. Præſertim verò in poſtremo eius opuſculo reſponſionum per epiſtolas ad varia clarorum hominū quæſita, talem ſe gerit profundioris arbitrum eruditionis, vt Delphi-

co

co ferè non impar numini,omniſcientijs nomen, concordibus docto-rum omnium calculis ſit ampliſſimè conſecutus. Porrò eminet ibidē Andreas Argolus à Talliacotio equeſtri Senatus Veneti munificentia nobilis, qui Argum quaſi centoculum referens in Mathematicis, Danicas, Rodulphinas, Tychonicas obſeruationes plurimùm illuſtrauit, Euclidem, ac Ptolomei libros quatuor cum textu Græco, & Latino Commentarijs explicauit, de nouis ſtellis noſtro æuo genitis, alijſq; phoenomenis tractatus compoſuit: iſagogem, & canones abſolutiſſimos præcepta omnia Aſtrologiæ continentes emiſit: Ephemeridum varias ſupputationes direxit: problematum aſtronomicorum nūc multò ampliatorum opuſculum elucubrauit, vt etiam alterum de diebus criticis, & ægrorum decubitu, nec non practicæ medicinalis, ipſius in hiſce ſtudijs ingenium detegentis. Sed Albertini Bariſoni ornatiſſima indoles politiorum exculta præſidijs literarum, iamdiù noſtratibus ſic illuxit, vt ab ijs ne dum Abbatis, & Patauini Canonici, quo munitur ſyrmate, ſed ampliori multò virtutis ſtemmate digniſſimus habeatur: præcellit enim eleganti calamo in Etruſca, Latinaq; oratione: pollet acumine ſingulari, habiliq; ad rerum ingentium vſum dexteritate. Iuris autem, ſiue pandectarum olim interpretationem, ea diſcentium obijt commendatione, vt anteceſſorum gloriam exæquare, pręſentium induſtriam laceſſere diceretur. Alios in eodem gloriæ Circo laudatiſſimos, ac doctiſſimos viros, non eſt cur moroſius perſequar, cum ipſorum dumtaxat ad huius Muſæi ſplendorem nomina retuliſſe ſit ſatis. Flauium nempe Querengum Canonicum, magni illius Antonij nepotem, moralis Philoſophiæ profeſſorem inclytum: Matheum Ferchium Veglienſem Franciſcanæ familiæ Theologum, ingenij claritudine præfulgentem: Iacobum Caimum Vtinenſem, Iuris interpretem, iuniori præſtantia veterem Pompeij patrui gloriam affectantem: Iulium Sala Patauinum medicorum iubar illuſtrium, auditorum gratiam facundia, ægrotorum ſalutem inſigni ſolertia aſſequi ſolitum: Ioannem Galuanum Patauinum Criminalia iam multos annos diſertè tradentem, ac illorum praxis conſultorem vrbi, totique Venetæ ditioni conſpicuum: Ioannem Viſlinghium Mindanum, Anatomicum, & Botanicum equitis decus Hyeroſolimitano in templo, dum in Siria peregrinaretur ſibi partum, cum doctrinæ laude, & ſingulari morum integritate iungentem: Octauium Ferrarium Mediolanenſem, humaniorum expoſitione, ingētem auditorum adprobationem emeritum: Iacobum Philippum Tomaſinum luculentum elogiorum ſcriptorem, pluribuſq; alijs effœtum induſtriæ monumentis, literatorum conſortio periucundis. In ſumma huius vrbis in gremio, tanquam in equo Troiano, tot alij ſcientiarum dignatione per-

cele-

celebres inſident, vt non immiti prorſus noſtri ſæculi fato, Themidis in has oras genius è cęlo fœliciter demiſſus videatur.

Cęterùm hunc etiam ſacroſancti diuinorum exploratores aduertent vltrò pererrantem in patria mea, cuius alterno videmus hoſpitio ſummopere delectari. Ac vt omittendo vetera, noſter ad præſentia conuertatur obtutus, eminent Epiſcopali thiara venerabiles Octauianus Garzadorius Iadræ Archiepiſcopus, nobilitate, atq; agendorum vſu, totius iam Romanæ curiæ gratiam promeritus, dum Aldobrandinorum dicatus obſequio, fide, integritate, ſolertia mirabili, magiſtratibus præfuit varijs, quibus æternam patriæ virtutis memoriam conſecrauit. Elucet, & Pacius Iordanus, primò eorumdem procerum auditor; mox Traunenſis renunciatus antiſtes, iuriſperitia, ingenio, grauitate, traditæ ſibi Eccleſiæ regimen vltrò nobilitans. Adeſt etiam Iulius Saracenus Polenſis Epiſcopus, humanitate, religione, prudentia commendatus. Thomas demùm Mallonius Somaſchenſis familię concionator, ea probitatis, ac doctrinæ opinione, ſummum Sebenici nunc obtinet ſacerdotium, vt quod ab eo decus accipit, eidem cumulatè rependat. Eccleſiaſticis adduntur alijs ſubindè, atq; alijs dotibus excellentes. Quis enim in harum ambitu regionum adeò peregrinatur, vt neſciat Vicentiam ſublimium genitricem fęcundiſſimam ingeniorum, tàm belli, quàm pacis artibus Romanos hoſpites, ex quibus iam ab incunabulis ſuorum propagata ſunt ciuium germina, referre, atq; æmulari? Præ cæteris eloquentiæ laus velùt per manus tradita, ipſorumque inſita pectoribus quotidie reuireſcit. Comprobent hoc illuſtres in foro Veneto Oratores, cùm veteris, tùm præſentis æui, ſuum in hac patria ſortiti primordium. Henricus olim Antonius de Godis Oratorum Iuriſconſultiſſimus, Iuriſconſultorum eloquentiſſimus, floruit Venetijs tàm celebri reorum patrocinio, vt ab Iudaica natione decem aureorum millia, ſuſceptæ ſemel tantùm tutelæ merito ſit lucratus. Camillus Tridentus huic ſucceſſor, ſolidiſſima facundia, primum inter omnes inibi orandi locum adeptus, vim opum ingentem ad familiæ, ſuorumq; ſplendorem, ac decus conflauit eximium. Lelius Cereta humaniſſimus quondam mihi in illa curia patronus, totius vrbis conſenſu, beatiſſima verborũ, ac ſententiarũ copia veterũ æquare magniloquentiam eſt habitus, cum illius ore Tullium locutum iri ſinguli faterentur, ſi Italicè loqui debuiſſet. Horum nobilia ſectati veſtigia Bartholomæus Nanti, Marcus Antonius Romiti, Aloyſius Vallidius, Vaiens de Vaientibus, florent in Prætorio Veneto haud impari claritate; ijs ſiquidem abundè muniti artibus, quibus oratorium munus perficitur, cùm omnium ferè cauſarum negotiationem ad ſe trahunt, tùm ſolemni ſæpius auditorum conſenſu, forenſi corona

dignıſ-

digniſſimi iudicantur. Nec tamen Vicentiæ deſunt alij, earumdem primatu laudum tota Italia celeberrimi. Franciſcus enim Camarellius Iuriſconſultorum huius ætatis facilè princeps, ſua hoc cęlum præſentia, ſolum nitore, ciues patrocinio recreat, atq; illuſtrat: nihil ejus vel ingenio ad inueniendum acutius, vel iudicio ad examinandum ſolertius, vel memoria ad rerum innumerabilium pęnu cogendum fælicius. Pandit verenda, cùm voce, tùm ſcriptis oracula. Colit animo vtiliſſima, ęternùmq; duratura pro iuris notitia: ſyluam quippe legum pluribus diſtinctam tomis, luci quam primùm tradere meditatur; cuius profectò laboris merito, non tàm exterorum, quotquot extant vbiq; iuriſcientum encomia conſequetur, ſed veterem etiam patrum noſtrorum in legali doctrina maieſtatem amplificabit; Alexandri nimirùm de Næuo, Ferdinandi Thienei, Franciſci de Mertiarijs, Angeli Mattheacij, Marci Antonij Peregrini, Iulij Pacij, & aliorum, quos omninò veterabunda ſuſpicit poſteritas.

Verùm pro cunctis iam ſufficiat vnus Scipio Feramuſca, in quo collectas inſimul excellentiorum prærogatiuas, ſinguli, vel critica vtentes lance fatentur. Is à primis annis gentilium ſuorum, ac potiſſimùm Hectoris parentis clariſſimi, ac præſtantiſſimi equitis propagato ſplendori, peregrina inquirens laudum additamenta, præter nauatã Iuriſprudentiæ operam, ijs ſe nauiter deuouit artibus, quas ad blandiente poſteà genio, ad ſummum perfectionis gradum eſt adeptus. In humanioribus præſertim acriter, ac religiosè verſatus, ſolutæ orationis elegantiam coluit, carminibus haud æquè compingendis addictus: hinc Oratores ſingulos, & Hiſtoricos, & Philoſophos cũ Græcos, tùm Latinos, accuratiſſimo ſtudio perluſtrauit: ſelectiores ipſorum ſententias, floſculos, ornamenta, ceu nectarea Deorum pocula exorbuit: exquiſitiorum ſolicitus indagator, inaniorum contemptor, reconditæ omninò auceps eruditionis, digniſſimam in literatorum concilio ſedem, totius iam ipſi ad plaudentis Italiæ iudicio vendicauit. Sed quo plurium fortè viuentium præconia longè ſuperat illud eſt, quòd inſtillata diuinitus ad perorandum vi, animos quocumq; libet elocutione deflectit: nihil eius actione vehementius in foro, nihil magnificentius in Senatu, nihil plauſibilius, ac dulcius in populo: non flumini, ſed torrenti ſimilis eius in ore ſuada redundare videtur: non veterum in ipſo Oratorum energia, vel impetus, aut lepos deſideratur. Id iam teſtentur Vicentinæ curiæ mænia, quæ ipſius voce, vel in ſontum pęnam, vel in inſontum concita defenſionem ſæpius perſonarunt. Teſtentur iam refertiſſimi auditorum conuentus, ab eius dicentis ore, velut à rediuiui Romanæ facundiæ parentis obtutu pendentes. Teſtentur ampliſſimi Venetorum ordines, apud quos interdùm cum legatio-

gatio-

gationis munere fungens orauerit, inuſitatas, & incredibiles eorumdem acclamationes emeruit. Quo factum, vt ipſum ad grauiſſima Reipublicæ negotia conſulenda pluries accitum, conati ſint etiam nobiliſſimo conſultoris honorario penitus deuincire. At domeſticæ iamdudum inhians quieti, ac præ opum affluentia, ſibi ſedata quadam extrà forum indulgens vitæ norma, non ſe ambitionis aura turbulentos inter ambitus Veneti fluctus exagitandum putauit. Sui tamen principis humillimo dicatus obſequio, ſuam de rebus quandoq; propoſitis ſententiam vel abſens geſtit exponere. Dignum herculè natiuæ ſubiectionis votum. Digna deuoti, gratiq; animi erga publicam liberalitatem propenſio: præterquā quod enim aurei torquis equeſtri munere ornatus eſt, dū olim ſapientiſſimi Senatus iuſſu adſtitit auſpicatò Cremenſibus, per arduas cum Mediolanenſibus controuerſias, pro antiquo ditionis iure vertentibus, maximis etiam cumulatus eſt muneribus, & honoribus, dum finium gratia terminandorum ad Padi ripas, propè Adriatici maris oſtium, quorum cauſa inter Vrbanum Pontificem, & Rempublicam Venetam aſperrima excitabantur diſſidia, delectus eſt vnà cum Ludouico Baitello Brixienſi viro nunquam ſatis laudato apud Senatores celſiſſimos Conſiliarius; inibi enim, ſicubi prudenter, & induſtriè confecta re, vim nummùm ingentem à gratiſſimis Patribus, ac cælati argenti vaſa quidem ſublimia, & pretioſa retulit, ſed multò cariora, quia grandi reſona laudum cumulo, quas in vtrumq; Senatus ornatiſſimis diplomatibus effundebat. Macte vir omnium ſæculorum memoria celebrande: ſoſpitem te ſeruent tutelaria patriæ numina: tuæ nunc mortalitati faueat cęlum fauſto annorum influxu; obtentam ſilicet ſic nobis tuam pręmonſtrans immortalitatem. Vt enim ſingulis tuorum verſatur ob oculos morum candor, ſapientia, religio, ſuauitas, eruditio, ex quibus exacta optimi, & laudatiſſimi ciuis norma deſumitur: ita quiſq; ſibi te maximum fortunæ, patria naturę munus agnoſcit, quo aliàs conſimili dum ſe longa temporum ſucceſſione carituram ſentit, tua nunquam ſatis nequit exſaturari præſentia. Ad æuiternam igitur tui nominis aram, quam viuentium plauſus, ac poſterorum conſtruet admiratio, votiua iſthæc adridentis famæ carmina ſolenniter appendantur.

*Scipio*

*Scipio, dum faris, dictis tua lingua diſertis*
*Non te mortalem, non hominemq; ſonat.*
*Cecropias oſtendis Apes tibi mella dediſſe,*
*Mercuriumue ſuos te docuiſſe modos.*
*Vt libet, eloquij mentes moderamine flectens,*
*Pectora voce moues, cordaq; voce rapis.*
*Si fortaſſe loqui deberet Iuppiter ipſe,*
*Ipſe tuo vellet Iuppiter ore loqui.*

F I N I S.

VENETIIS, M. DC. XL.

APVD IVNTAS.

# MVSÆVM
# PHYSICVM,
Siue
# DE HVMANO
# INGENIO
IOANNIS IMPERIALIS
Phil. & Medici Vicentini.

Illuſtriſſimo, & Ampliſſimo Viro

# D·ANDREÆ BRAGADENO

Patritio Veneto

IOANNES IMPERIALIS S. D.

*EA eſt abdita naturæ vis in hominum animis, vel auertendis, vel conciliandis, Illuſtriſs. Bragadene, vt ex ipſo tantùm aſpectu ad eorum, quos nunquam agnouimus, odium, aut amorem alliciamur. Ita in theatris, vbi ficta nobilium certamina exercentur, ad vnius magis, quàm alterius partem ſpontè deflectimus. Ita in perlegendis illuſtrium populorum, ac Ducum hiſtorijs, geſtit animus huic ſe magis, quàm illi deuouere, trahiturq; arcano impetu ad vnius victoriam, alterius autem excidium expetendum. Hoc in me ipſo cùm perſæpe ſum expertus, tùm mirabili propenſione perſenſi tunc temporis, quo tu Prætoris deſignati munere Vicentiam accedens,*

*dens, tui mihi conſpectus nobiliſſimi aditum aperuiſti. Obteſtor enimuerò, tales exinde amoris erga te mei flammas, intima exarſiſſe præcordia, vt omnia tibi ſemper contingere fœlicia cuperem, vnum verò congreſſus, atq; humanitatis tuæ fructum, munus mihi fortunæ vel maximum arbitrarer. Cùm autem non immiti prorſus meo fato contigerit, vt mutuæ tu mihi ſemper præbueris dilectionis indicia, tuoq; nunquam me complecti deſtiteris patrocinio, verè amor in perenne conuerſus obſequium, hoc autem in humillimam tui nominis, ac generis obſeruantiam, effecit, vt nihil magis optauerim, quàm eximium aliquod grati animi teſtimonium te non indignum, poſteris verò non improbandum exoluere. Ac inter cætera maximè opportunum fore ſum ratus hoc ingeniorum Muſæum, in quo diuinæ, ac eminentes animæ dum exprimuntur virtutes, tua etiam in ipſo altiſsimæ indolis præſtantia continetur. In ipſo, inquam, cùm liceat percipere, quo illa tibi naturæ adblandientis primordio fuerit inſita, quibuſq; maiorum tuorum viribus, vrbi Venetæ atq; orbi ſpectatiſsimorum, in te mirabiliter propagata: porrò monſtretur, illam paterna inſtitutione plurimùm potuiſſe perfici, tuis laboribus perornari, tua etiam viuendi ratione, ac tua cunctis in rebus moderatione, ſolertia, ſtudijs,*

*ſo-*

*ſocietatibus, honoribus meliorem perpetuò reddi, ac excellentiorem, ſanè opus hoc exacti ad inſtar ſpeculi poteſt euadere, in quo tui mycrocoſmi rationem, ac imaginem interdùm intuens, eius etiam perfectione in te ſuprà vulgares, præalto cælitum impreßa munere collæteris. Sed eam potiſsimùm ob cauſam tibi forſan euadet iucũdius, quòd in ea parte, in qua ex corporis, & animi accidentibus adũbratur effigies hominis, regundis populis, & vrbibus adminiſtrandis idonei, tuam inibi penitus recognoſces ideam, ſingulari herclè bonorum omniũ veneratione ſpectabilem. Quis ignorat, vnum te in flore iuuentæ huic patriæ grauiſsimo Senatus nutu præpoſitum, indelebilia in omnium mentibus Venetæ prudentiæ reliquiſſe veſtigia? Quis ignorat vnam adhuc in huius vrbis ambitu ſupereſſe vocem, te mente ſimul, ac forma imperio digna non paucorum ciuium, ſed prouinciarum etiam rectiſsimo dominatui, natum maximè, atq; efformatum eſſe? Mirabantur ſinguli candorem, grauitatem, facilitatem, induſtriam vel in audiendo tuam, vel in iure dicundo, vel in publico emolumento perpetim meditando, ac tuendo. Suſpiciebant acerrimum in agendorum vſu iudicium, quo ſic nobiliorum deuinciebas animos, humiliorum cõſequebaris obſequium, vt illi te patronum, hi parẽ-*

tem,

*tem, illi vindicem, hi reſtauratorem inuſitatum ſibi, atq; humaniſſimum prædicarent. Quod verò ſummum cunctis inferebat ſtuporem, erat aduertere, te viuido aliàs, ac hilari genio præditum, neq; ab vrbanis oblectationibus alienum, ſenili quadam temperie in prætorio tuo religiosè clauſum, vni vacare publicæ gubernationis officio: non ſpectaculis, non ludicris, non conſuetis matronarum congreſsibus intereſſe. Vigilabas pro bonis, increpabas pro miſeris, conſulebas pro egenis. Dierum ſpacia inceſſanti, ac digniſsima tuarum cogitationum ſerie metiebaris. Quo propterea inaudito atq; incomparabili virtutum concentu experrecti ciuium meorum animi, nomen tuum aureis inſculptum literis in columna marmorea in foro maximo erigenda, æternæ poſterorum memoriæ dicatum voluerunt. Commune igitur & peculiare meum te concelebrandi ne abnuas votum: ſit hæc mea tibi obſtrictiſsimæ voluntatis ſignificatio, lætum omen acceſſuræ tibi ſummæ in patria dignitatis, quam ampliſsima tua merita, bonorum plauſus, ac propenſa omnium ordinum ſtudia pollicentur. Vale.*

Dat. Vicentiæ, VIII. Kal. Ian. An. M DCXXXIX.

# INDEX CAPITVM MVSÆI PHYSICI.

Operis Præfatio. pag. 1

## Liber Primus.

De ingenij natura, & ſubiecto. 5
De Genio antiquorum. Ingenij definitiones variæ, ac facultatum intellectiuarum diuiſio. Cap. I. 5
De intellectionis natura, ordine, ac modo. Cap. II. 6
Intellectionis facilitatem non à ſola pendere anima intellectiua, ſed à phantaſiæ viribus multũ. Cap. III. pag. 11
Aliorum de ingenio ſententiæ ad lancem Peripateticam reuocantur, ac primùm Platonis. Cap. IV. 15
Pythagoræ Metempſichoſis, ſeu commentum de ingenijs expenditur. Cap. V. 17
Dæmones ingenium non communicare iuxta Maximũ Tyriũ. Cap. VI. pag. 19
Galeni ac Huarthis expenditur ſententia, ingenium conſtitui ac fluere à temperamento. Cap. VII. 22
Allata opinio refutatur. Cap. VIII. pag. 23
Ingenij naturam ab rationalibus animis perfectione differentibus non prodire ad nonnullorum mentem. Cap. IX. 28
Vera de ingenio ſententia explicatur. Cap. X. 29
Prædictam de Ingenio ſententiã Ariſtotelis dogmatibus conſentire. Cap. XI. 35
An bonum habentes intellectum bonam habeant phantaſiam, & è cõtra, vbi de iudicio multa. Cap. XII. pag. 38
Dubitationes aliæ contra propoſitam de ingenio ſententiam diſſoluuntur. Cap. XIII. 43
De parte corporis, in qua viget ingenium. Cap. XIV. 49
Temperamentum cordis ingenio accõmodatum expenditur. Cap. XV. 54
Cordis figura, venarum conditio, necnon hepatis, ac totius corporis habitus in ingenioſo qualis. Cap. XVI. pag. 58
Sanguinis ingenio conferentis conditiones. Cap. XVII. 61
Spiritus dotes ingenio neceſſariæ explicantur. Cap. XVIII. 63
Cerebri temperies quænam proſit ingenio. Cap. XIX. 66
Ingenioſi cerebrum, & caput magnũ, an paruum, & quomodo eorumdem bonitas, vel prauitas iudicetur. Cap. XX. 68
Capitis magni, mediocris, & parui, eiuſq; optimæ figuræ dignoſcendæ ratio. Cap. XXI. 73

## Liber Secundus.

De ingeniorum Differentijs, & cauſis. Libri Prhoœmium. 75

Inge-

*Ingeniorum differentiæ ab intellectus actionibus deducuntur. Cap. I.* 76
*Ingeniorum differentiæ, ex Phantaſiæ operibus enumerantur. Cap. II.* 78
*Ingeniorum differentiæ ex cauſis, quarũ tractatio inſinuatur. Ca. III.* 82
*De cauſis ingeniorum particularibus, ac primò Metaphyſicorum, Phyſicorum, Poetarum. Cap. IV.* 84
*Medici, Morales, Politici, Leggiſtæ, Magi, Superſtitioſi vnde fiant. Cap. V.* 88
*Ducum, Militum, Oratorum ingenia. Cap. VI.* 93
*An Oratores ſint, vel poſſint eſſe prudentes, ac docti, & è contra. Item de Grammaticis, & Ludimagiſtris. Cap. VII.* 96
*De melancoliæ viribus. Cap. VIII. pag.* 102
*De cauſis ingeniorum externis, ac primùm de Climate, Aere, atq; ſolo. Cap. VIII.* 108
*De ſiluarum, fluuiorum, marium, lacuum, paludum influxu in ingeniũ. Cap. IX.* 112
*De cibo, & potu ad ingenium conferente. Cap. X.* 113
*De ſitu locorum, ac de populorum ingenijs. Cap. XI.* 118
*Diuerſa Vrbium ingenia æſtimandi ratio. Cap. XII.* 122
*A Parentibus ingenia produci varia. Cap. XIII.* 123
*Animi affectus ad ingenia quid poſſint alteranda. Cap. XIV.* 129
*Fortunæ conditiones, Nobilitas, Diuitiæ, Dignitates, Morbi, quomodo ingenia variè poſſint afficere. Cap. XV.* 134
*Educatio, Religio, lex, ſocietas, ſtudia, quid ingenio proſint. Ca. XVI.* 140

## Liber Tertius.

*De qualitatibus ſeu ſignis ingeniorum Proemium.* 144
*De communibus ingenij ſignis ex cauſarũ expenſione deſũptis. Ca. I.* 145
*De ſignis ingeniorum ex temperamẽto ſecundarũ qualitatum. Ca. II.* 148
*De ingenij ſignis ex ſingularũ corporis partium conformatione deſumptis. Cap. III.* 154
*De ingenij ſignis ex totius corporis cõformatione. Cap. IV.* 156
*Ingenij ſigna ex cauſis externis quomodo deducenda. Cap. V.* 161
*Ingenij ſigna ab effectibus, vt eruantur. Cap. VI.* 164
*Iudicij ſigna. Cap. VII.* 171
*Memoriæ ſigna. Cap. VIII.* 177
*De ſignis ingeniorum particularibus, ac primùm Metaphyſicorum, ac Theologorum. Cap. IX.* 182
*Mathematicorum ſigna, & Phyſicorum. Cap. X.* 187
*Poetarum & Medicorum ſigna. Cap. XI.* 192
*Signa Moralium, Leggiſtarum, & Politicorum. Cap. XII.* 198
*Magorum & Superſtitioſorum ſigna. Cap. XIII.* 204
*Ingenij militaris ſigna. Ca. XIV.* 207
*Oratorum, & Grammaticorum ſigna. Cap. XV.* 214
*De Remedijs ingeniorum Cap. XVI. pag.* 216

FINIS.

# OPERIS PRÆFATIO.

Nihil pulchrius, nihil amabilius, ac magnificentius videntur homines in rerum natura ſuſpicere, quàm præclarum, & excellens ingenium, quippe neſcio quam ſpirare diuinitatem exiſtimant, quæ mentem arcano impetu ad ſe trahit, & reuerentia quadam replet ſingulari. Solem, & aſtra, totamque rerum vniuerſitatem ſpectantes, non tàm opera, quàm ſummum ex ijs efferunt, & admirantur opificem, at vigorem animæ, qui in excelſo nitet ingenio, tamquàm ſummi boni archetypum, immò Deum ipſum referre arbitrantur. Hinc tàm illuſtria de animis prodidere Philoſophi. Alexander Peripateticorum inclytus cenſuit immediatè Deum in noſtro corpore operari, quem intellectum vocauit agentem. Auerroes intelligentiam, ſiue Angelum ſingulis hominibus aſſiſtere ad intellectionem promendam, vt nautam ad nauim gubernandam. Plato animam à Deo rerum omnium cognitione imbutam corpori alligari, quæ poſtmodum eius turpata commercio obliuiſcatur omnium, ac per ætatis gradus denuò reminiſcatur. Demùm vim inſitam cæleſtium corporum homini robur tribuere ad cogitandum, & agendum conſenſerunt Aſtrologi: vt ſanè palàm fiat ingenium cæleſti prognatum ſemine ſuprà naturæ faſtigium efferri diuinitatis particeps, quò noſtra dum vertitur acies ferè deficit, vt oculus noctuæ ſolis quoque lumine perſtringitur. Vnus præ cæteris vel medicorum princeps Galenus non veritus eſt aſſerere, nulla nos euidenti demonſtratione animæ ſciētiam aſſequi poſſe, cuius eſſentia ſanctis naturæ penetralibus abdita noſtras illudat indagines. Ac ſanè ſi Ariſtotelis etiam dogmata de animæ natura conſideremus, tot in eius perſcrutatione difficultatibus confligitur, tàm reconditis, ac ferè à ſenſu remotis opinionibus, vt anxius, hæſitans, ſibi diffidens multa ſub iudice reliquiſſe videatur. Quâ igitur anima diuina eſt, digniſſima eſt ingenij, quod ab ipſa fluit cōtemplatio, adde celſiſſima, omniumque difficillima: verùm difficilia quæque vrgere, generoſi animi ſemper fuit: eò magis quòd vltrò difficultatem compenſat vtilitas, quæ dignitatem ſua ſponte conſequi ſolet. Quid verò vtilius, & grauius, quàm ſuammet naturam, ac ideam internoſcere? Hoc priſci illi ſapientiæ cultores maximè affectarunt: hoc inſculptum Athenis oraculum Delphici templi foribus nobile, tanti æſtimandum, vt in eo maximum humanæ felicitatis momentum ſummi viri repoſitum fateantur. Confert quidem huiuſmodi notitia præſertim ad religionis tutelam, quippe miſeram, & ærumnoſam corporis conditionem dum inſpicimus, æſtus autem animi, & admirabiles ad omnia impetus, ac æternæ ſortis igniculos, colligimus noſmet, ac rapimur ſtudio

ſingulari erga ſupera, & cæleſtia; humana verò hæc, & lubrica ſuo pondere æſtimantes deſpicimus, & noſtram exoſi vicem ad vnum Deum, tamquam ad finem nitimur optimum; ex quo tot humanitatis vindices alacri vitæ contemptu per tot æua in Diuorum numerum cooptati. Confert eadem notitia ad Philoſophiæ naturalis diſciplinam; ex præcelſa ſiquidem hominis, ſeu Mycrocoſmi fabrica, mundi pariter compagem metimur, quæ ad eius ideam penitùs coagmentata videtur: par in vtriſque ordo: par nexus partium, ac varietas: par etiam diuinitas: ad nutum animæ intelligentis tota vertitur corporis moles: ad nutum alterius intelligentiæ totus agitur mundus. Confert ad politicæ cultum; varios enim dignoſcere animorum inſtinctus, ac varios naturæ fomites, Reipublicæ quàm maximè intereſt, vt bonorum alantur ſtudia, & improborum dumi radicitus euellantur. Confert etiam ad mores; nihil enim præſtabilius vel ad affectus temperandos, vel ad habitus acquirendos, quàm ipſorum exordia in corpore introſpicere: hinc doloſa ſenſuum occurrit facies: hinc animi ad excelſa propenſio: eos itaque cohibere, hunc excitare docemur, ac impellere, in quo veriſſimum huius vitæ ſubſidium eſt collocandum. Demùm hæc ſcientia vel ex eo maieſtatem ſortitur ſuam, quòd veluti aliarum omnium moderatrix, ac domina exiſtit; enim verò compertiſſimum ſingulis eſſe reor vnamquamque doctrinam peculiare quoddam, ac proprium exquirere ingenium, quod ad alias laborioſè deflectas: plurimos in ſpeculatiuis excellere, quos in actiuis inertes prope modum, ac irritos experiaris: alios in medicina tantùm inſignes, alios extra Iuriſprudentiam inopes, nec ſui ferè compotes, & ſic deinde in cæteris diſciplinis. Sed huius ſcientiæ, quam profitemur bono id maximum conſequimur, vt ſingulorum indoles, harumque cauſas, & principia rectè percipientes, ad eam quemlibet impellimus ſcientiam, vel artem, cuius in ipſo natura viuidos caracteres impreſſit. Quantum hoc ſit vel infantiſſimis æſtimandum relinquo: plerique literis impendunt operam, quos ad infima natos atra mentis caligo, & congenitus ipſorum ſtupor teſtatur. Porrò multi ciuili marcentes otio, vel indigniori quopiam diſtricti ſtudio, eminent ſæpius præalto, ac venerabili ingenij munere, quod aliàs in doctrinis implicitum, velut ſydus è cælo fulgentiſſimum emicaret. Erit fortè in noſtris hiſce commētarijs, quod luem hanc quadantenus abſtergat. Præfinientur ornatiſſimo cætui diſciplinarum accidentium velut gradus, quibus intra corporis ambitum perficiuntur: conſtabunt potiſſimæ ingeniorum virtutes, & noxæ, vnde ferè incompta habebunt ingenia, quod ſibi ornatum, ac decorem poſſit adſciſcere; clara verò, & magnifica, quod poſſit ipſorum tueri nitorem, ac illuſtriùs diffundere. Hæc de ſumma ſuſceptæ ſpeculationis vtilitate. Quod verò in iucunditate conſiſtit, cum ex multiplici rerum emergat affluxu, haud ſcio an excellen-

tior

tior alicubi voluptas percipi poſſit, quàm in immenſo geſtientis naturæ theatro, nouas ſubinde ingeniorum ſpecies intueri. Quid ſuauius, quàm indiuiduas mortalium eſſentias, quibus inter ſe diſſident, ac vrbium, populorumque tùm multijuges, tùm portentoſos genios, vno quaſi aſpectu complecti? Quid dulcius, quàm virtutum, & vitiorum germina in ſingulis poſſe animaduertere, inerranti propè & inculpabili iudicio? Nec tibi ſubeundæ Vlyſſis peregrinationes, vt varios gentium mores inſpicias. Nec Iaſonis ineundæ nauigationes, vt aurei velleris munus abripias. Hominum mores ceu in tabula pictos phyſicè deprehendes: ponti,: ...rræ vitabis anguſtias: ſpectacula, ouationes, ludicra ſe offerẽt in humano corpore: placidiſſimo dehinc obtutu animũ hunc velut in ſcena perſonatum, varias ementiri figuras animaduertes: quibus herculè iucundiſſima grauioribus infunditur oblectatio. Deo igitur auſpice ad inſtituti noſtri rationem explicandam accedimus. Et quoniã ex Ariſtotele omnis ſcientia verſatur circa tria, hoc eſt ſubiectum, dignitates, ac paſſiones, ſubiectum verò ſcientiæ, quam in- 1. Poſteri.
quirimus eſt humanum ingenium, debemus vt ipſius rectam aſſequa- tex. 57.
mur notitiam, primò nomen, & eſſentiam prænoſcere, poſtea differentias, & ſpecies, inde cauſas, ac demùm paſſiones, ſeu proprietates, & ſigna, ex quibus rem quamlibet exactè cognitam fieri, idem ſæpius Ariſtoteles demonſtrauit.

Cæterùm hæc ſingula hiſce noſtris elucubrationibus ceu quódam in Muſæo tractanda ſuſcepimus, quòd cùm Muſæum ſit locus Muſis dicatus, ſiue mitioribus, ac politioribus diſciplinis, quæ à priſcis ſapientibus ſub Muſarum inuolucris effictę ſunt, nos quidem earum ortus, ac fontes ſedulò explicaturi, iure optimo videmur ipſis Muſæum quoddam extruere, in quo elegantes cunctari, ac ſuauiter verſari poſſint viri.

In ſuperiore quidem imaginum Muſæo, illuſtres vultuum ſpecies ad viuum expreſſas poterant intueri: in hoc internas circumſpicient animorum formas: ac ſicuti ex ijs admirabundus quiſque poterat acriùs ad æmulationem accendi, ita ex his poterit vel ſuimet, vel aliorum præſtantiam æſtimare; in ijs delectabatur oculus: in his exaturabitur animus: curioſus ille magis ſingulis adſpectus, hic Reipublicæ conferentior, & gratior. Sit hoc igitur Muſæum longè illuſtrius, & grauius illo: ſit hic receſſus ſcientiarum pernobilis ad exemplum Peripati, ac veteris Academiæ, vbi non erant magni viri vultuum concinnitate conſpicui, ſed ingeniorum acumine: ibi doctrinarum, ac doctorum frequentes congreſſus, ac luctæ agitabantur, hìc etiam phyſicæ, ac ſelectiores de ingeniorum natura controuerſiæ, ſedula cum multis diſputatione ſoluentur. Verùm cum inter ſe ingenia, & ſcientiæ referantur, confundemus vtrorumque diſſertionem; propterea quia optimum illud eſt ingeniũ, quod ad illas eſt habile: ac ſcientiæ cum ab hoc, vel illo gignantur, vel

augeantur ingenio, conferet earum dignotioni plurimùm eiuſdem cõprehenſio. Primo itaque noſtri Muſæi limine, incompta quodammodo ſe offerent amborum ſimulachra, quæ communibus quibuſdam lineamentis fingentur: mox autem grauiùs, & perfectiùs abſoluentur in operis progreſſu; à communibus enim & vniuerſalibus ad particularia deſcendemus. Ibi ſingularum ſpecierum, nec futilis, nec moroſa forſan conſideratio: Regionum, Vrbium, Philoſophorum, Iuriſprudentum, Oratorum, Poetarum, Medicorum, Theologorum, Militum, Mathematicorum, Artificum, Magorum etiam explorabimus genium: hæ erunt imagines, ac picturæ Muſeo conſecratæ. Vt autem in hoc puluere alacriùs inſudaremus, ducem elegimus Galenum libello: Quod animi mores ſequantur corporis temperaturam: cui ſanè dudum commentarios moliebamur; at latior vt nobis pateret expatiandi campus, & quod in quibuſdam ab ipſius placitis recedere coacti ſumus; immò vt ipſius doctrina rerum variarum examine coleretur, augereturque, mutata ſententia, eam in hos hortulos transferendam putauimus. Ex opuſculo pariter Hippocratis, de aere, aquis, & locis, pauca libauimus. Ex Ariſtotele in problematibus nonnulla, vt ex eius oraculis pleraque à nobis deducta fuere. Ioannem verò Huarthem Hiſpanum peracutum ingeniorum cenſorem ità ſectati ſumus, vt in ſingulis etiam, prout ſe offert occaſio, refellamus; cùm enim à Peripateticorum veſtigijs temerè aberret, vnicus is erit nobis ſcopus, paſſibus ea noſtris perpetuò ſignare, ipſumque intra verioris ſententiæ limites continere. Intereà tu bone Lector, hancce quantulamcunque induſtriam, vel ex eo vitio nõ vertes, quòd cum pauci ſint adhuc in huiuſmodi argumento verſati, ſuggeret hic fortè labor ſtudioſioribus anſam præclariora, excelſioraque inueniendi, & addendi, quomodo Reipublicæ literariæ optimè conſuletur, quam ornare doctrinis, elucubrationibus, artibus, longè ſemper laudatiſſimum extitit. Ac ſi nobis iudicij robur & rerum pondus, vel diſſerendi dignitas deſit, tu ſingula ſtudio, quo in bonas artes trahimur, & propenſo ad publicam vtilitatem conatu, ſin irrito, certè non illiberali, pro tua aequanimitate penſabis: non faſtus aucupamur, non vulgi plauſus, non turbæ gloriolam, ſola nobis propoſita benemerendi contentio, ac ſi lubet laudatorum procerum æmulatio, præſertim domeſtica; qualis enim Dei munere nobis pater contigerit, vnicuique agnitum eſſe remur. Elapſis annis ipſum peruiridi ſenio, præpropera heu nimis, teterrimaque Atropos abſtulit. Nos tanto dolori ſuperſtites, vt aureos eius in re medica labores, conſpectui hominum citò tradituri ſimus, ita iuxta Iſocratis præceptum in illud incumbimus, vt ne dum bonorum, & fortunarum, ſed virtutum etiam, quantum per nos licet hæredes non indigni eſſe videamur. Age bono iſto omine ad ingenij venationem pergamus.

DE

# DE INGENII NATVRA ET SVBIECTO.

## LIBER PRIMVS.

## De Genio antiquorum.

### *Ingenij definitiones variæ, ac facultatum intellectiuarum diuiſio. Caput I.*

INGENIVM græcè ſonat τὸ ἔμφυτον, in cuius verbi origine agnoſcitur τὸ πεφυκός, quod aptum natum vocat Cicero, & natura inſitum. Latinè videtur idem notare, ac ingenitum, tranſumpta quaſi ex Genio denominatione, qui à veteribus Deus habebatur cuſtodiæ hominum adſtans, ſecumque genitus, immò parens ipſorum, & genitor dicebatur, (vt ait Feſtus;) vnde geniales etiam Dij à gerendo nuncupati, ac poſtea geruli, quia cura illis rerum gerendarum commiſſa putabatur. Duplex verò ſingulis Genius apud illos, bonus ac malus, ex quorum altero impelli ad virtutes hominem, ex altero ad ſcelera deflecti exiſtimabant: neque tantùm homines, ſed loca etiam Geniorum foueri præſentia dixere, quibus Larium inditum nomen, quæ tutelaria quædam erant numina, hoſpitiorum curæ dicata. Ex his igitur translato nomine vocatum eſt ingenium vis illa in hominibus inſita, intelligendi, agendi, ſe ipſum, & alios regendi, virtutes, vel vitia perpetrandi, quibus perſæpè muneribus alter alteri mirabiliter præſtat. Hoc diuerſimodè Philoſophi deſcripſere. Ariſtoteles in moralibus ait, eſſe vim eligendi, ac rectè diſcernendi quod verè bonum eſt: alibi videtur vocare ſolertiam lib. 1. Poſter. inquiens, eam eſſe virtutem inueniendi medium in tempore non perſpecto. Cicero aliter lib. 5. de Finibus, docilitatem, ac memoriam

*Plutarch. lib. de plac. Philoſ. c. 8. Pier. Valer. n. Arbiter.*

*Lib. 3. c. 5.*

*Cap. vlt.*

*Lib. de apreh. par. 4. cōm. in Ar. paru. Gale. part. 39. Poſſeuin. li. de cult. ingen. cap. 10.*

moriam vno ingenij nomine aſſerit contineri. Albertus Magnus definit, actum rationis, quo medius terminus inuenitur. Vgo Senenſis, Ingenium, inquit, eſt facilitas diſcurrendi, & eliciendi vnum ex altero. I. Cæſar Scaliger de ſubtil. exercit. 1. vim ſtatuit intellectus, qua difficilia cognitu facilè comprehenduntur. Alius quidam neotericus ſic: Ingenium illa eſt indoles, qua facilè, aut difficulter, res aut artes addiſcuntur. In eo igitur videntur omnes conuenire, vt ingenium conſiſtat in cognoſcendi celeritate, promptitudine, ac facilitate, per quam à cæteris intellectus facultatibus ſeiungatur, quæ ſunt variæ iuxta varium obiecti noſcendi modum; enimuerò cum proprium intellectus obiectum ſit vniuerſale, ſi hoc quidem per ſimplicem conceptum apprehendatur, ſiue cum affirmatione, vel negatione, aut illatione, oritur facultas, ideſt, intellectus ſpeculatiuus: ſi tanquam bonum amplectatur, ac tanquam malum deuitetur, oritur practicus, ſeu voluntas, cuius eſt effectus electio: ſi ab eo, ceu cauſa ad effectus, & è conuerſo ab his ad cauſas ſe moueat intellectus, fit ratio: & cum aliquid ex hoc progreſſu deducit, fit ratiocinatio: ac ſi ſuper his acriori examine ſe denuò reflectat ratio, emergit iudicium, quod ab ipſa ſola tantùm reflexione differt: ſi verò magis ad hoc, quàm ad illud obiectum intellectus feratur acies, vocatur indoles: ac demùm ſi promptè, ac facilè illud percipiat, ex huiuſmodi functione, facultas hæc in ipſo excellens notatur, quæ dicitur ingenium. Cæterùm quia quot, & quæ ad huiuſmodi facilitatem concurrant, valdè cenſetur apud philoſophos dubium; non enim ſatis conſtat, an hæc ſoli attribui debeat intellectui, an alteri cognoſcenti facultati, vt phantaſiæ: porrò an illa vigeat in organo, an in ſolo intellectu cum huiuſmodi alijs, operæ pretium eſt hæc ante alia determinare; proptereaque cum huiuſmodi facilitas, nihil ſit aliud, quàm modus quidam intellectionis, videndum eſt primò, quomodo, ac per quæ fiat intellectio, ex hoc enim poſteà, quomodo facilis fiat intellectio, ſiue ingenium, faciliùs, ac ſolidiùs apparebit.

## *De intellectionis natura, ordine, ac modo. Caput II.*

VT probatiſſima ſectemur Ariſtotelis de intellectu dogmata, ipſius ſenſus exploranda eſt actio, quæ cum multò ſit euidentior, nos etiam ad occultioris captum diriget, nempe intellectionis. Ponit ipſe tex. 30. lib. 3. de anima, quòd ſicut ſenſus ſe habet ad ſenſibile, ita intellectus ad intelligibile; ſe habere autem ſenſum, vt potentiam paſſiuam ad obiectum ſenſibile, patet ex eo, quòd non fit ſenſio ex. gr. viſionis in oculo, niſi color agat in viſum, qui

qui propterea dicitur à colore, vt ab obiecto alterari, ac pati, ita tamen vt medium etiam debitum requiratur, quod eſt aer luminoſus, ſine quo color ipſum mouere viſum non poſſet, ac præter medium, aptum etiam requiratur organum, nempe oculus, in quo verè ſenſus patitur. Ergo quatuor in edenda ſenſione, ideſt viſione concurrunt, obiectum alterãs, & mouens, medium deferens, organum recipiens, ac potentia patiens. At cum duplex ab eodem Ariſtotele alteratio ſtatuatur, perfectiua, cuius bono aliquid acquiritur ſine eiectione contrarij, corruptiua, qua nouum quidpiam inducitur cum contrarij expulſione, vt cum pulſo frigore inducitur calor; ſenſus quidem per priorem dumtaxat alterari dicitur, quâ perficitur à qualitate per obiectum impreſſa in medium, & organum non materiali, ſed ſpiritali, quæ ſpecies eſt, ſiue imago, & conceptus, & intentio ipſius obiecti: ac per hanc ſolùm receptam, puta coloris ſpeciem in oculo, totum abſolui viſionis actum aſſerunt Ægidius, & Caietanus, quippe receptio, & viſio ſint vnum, & idem. Alij præter ſpeciei receptionem potentiæ videntis actum quendam, ſiue iudicium eſſe neceſſarium affirmant, quem ſenſum vocant agentem, quibus ego magis experientia duce conſentio, aliquis enim interdum intentus ad alia, conſpicitur non videre colores ſibi ante oculos obuerſantes, quorum tamen ſpeciem in ipſis recipi nemo poteſt inficiari, cum obiectum, medium, & organum rectè ſe habeant; ſed quia potentia videns circa receptam obiecti ſpeciem non agit, ideo viſio non expletur. Datur igitur hæc actio, & iudicium, quod nihil eſt aliud, quàm tranſitus, & conuerſio ſpiritalis ad rei ſpeciem, quæ ab ipſius ſentientis animæ paſſione differt; hanc enim ſubit anima vt pars eſſentialis, ſeu forma organi, quod verè pati dicitur; actionem autem obit, prout eo vtitur: aliud enim eſt informare organum, aliud eo vti ad actionem promendam, quæ duæ ſunt eiuſdem formæ diſtincta munera, ob quæ duæ pariter eidem animæ facultates non abſurdè attribui poſſunt, vt ait Alex. 1. de anima, cap. 2. Vtitur verò anima organo minimè, dum ſpeciem recipit, at dum eandem cognoſcit, & iudicat, vt oculo non vtitur quòd recipiat, ſed quòd viſionem producat, quæ actio eſt ipſummet animæ iudicium. Ex his apertè licet colligere modum ſenſationis tribus inſtantibus contineri, primò vt gignatur ſpecies, poſtea vt recipiatur, tandem etiam iudicetur, quod vltimum quia proximius, & intimius actui ſenſionis exiſtit, cætera verò ſunt ei quodammodò remotiora, ideo faciliùs ipſum deſignat ſenſionis modum, qui per iudicium fieri dicitur.

*Senſio quomodo fiat.*

*lib. 3. de anima tex. 57.*

*quaſt. 1. de cogn. Angelorum.*

*de aña lib. 2*

*Iudiciũ animæ quid ſit.*

*Sẽſio tribus inſtantibus continetur.*

Quibus ita conſtitutis ipſius etiam intellectus ſcrutemur operationem; ſi ſenſus patitur, & agit, talis etiam erit intellectus, cum ſibi inuicem, vt ex Philoſopho diximus aſſimilentur; ac erit perfectiua vtriuſq; paſſio ab obiecto, à quo ſicut ſenſus recipit ſpeciem ſine materia, ita

*Intellectus & ſenſus ſimilitudo.*

etiam

etiam intellectus: ac ſicut ſenſus eſt expers eius qualitatis, quam ſentit. vt oculus omni caret colore vtpote diaphanus, ad omnes tamen recipiendos eſt in potentia, ita intellectus caret actu rerum affectionibus, quas intelligit, ſed eas recipere, in eaſque ſpiritaliter tranſmutari potens eſt. In eo autem differunt, quòd ſenſus ab obiecto ſolo patitur, intellectus & ab eo, & ab alio intellectu qui nuncupatur agens, vt mox dicemus: ac ſicut obiectum ſenſus eſt ſingulare, ita intellectus eſt vniuerſale; ſentit enim ſenſus dumtaxat quoddam entis genus determinatum, vt viſus colores, auditus ſonos, olfactus odores, at intellectus percipit omnia, ſcil. ſenſibilia, & inſenſibilia, vt Deum, & intelligentias. Hæc ſingula ei offeruntur à phantaſia, quæ omnium rerum haurit, formatque phantaſmata ex entibus per ſenſus exteriores cognitis, ex quo dictum ab Ariſt. 1. de anima tex. 30. quòd oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari, non inquam ea prout ſunt ſpecies & qualitates in phantaſia inſitæ, ſed prout recondunt vniuerſale, ac ſtant pro re cuius exiſtunt imagines, puta æqui, vel bouis, quæ ab intellectu comprehenduntur. Hinc multi verum ſtatuerunt intellectus obiectum ens, prout eſt ens, alij quidditatem in phantaſmate relucentem, quia res ipſas reſpexerunt in phantaſmatibus abditas, non ea per ſe, quæ nihil aliud, quàm ſpeciem phantaſmatis repræſentare poſſunt. Iam verò ſicuti per comparationem ad ſenſum, dari etiam intellectum patientem euidenter arguitur, ita ex allata obiectorum diſcrepantia, eiuſdem patientis intellectus natura optimè inuenitur, quod Ariſtoteles 3. lib. de anima mirificè præſtitit: ex eo enim principio, quod intellectus intelligit omnia ad differentiam ſenſus, qui certarum eſt rerum, quatuor colligit attributa, quibus tota eius eſſentia circumſcribitur. Primum eſt, quòd hic intellectus eſt inaffectus, ſiue immixtus à rebus omnibus, quas intelligit, quia cum omne recipiens debeat eſſe denudatum à natura recepti, intellectus intelligens omnia debet ab omnibus etiam immixtus eſſe, ab omnibus ſcil. obiectis, non autem ab omni actu, & entitate, quoniam ſic purum eſſet nihil. Secundum manat ex primo: nam ſi intellectus eſt immixtus ab entibus omnibus extra ipſum, ſequitur nullum eſſe actu illorum antequam intelligat, ſed eſſe omne ens poteſtate: adeò vt verè dici poſſit non aliam eius eſſe naturam, quàm eſſe in potentia, inſtar tabellæ, in qua nihil eſt depictum, ſed omnia pingi poſſunt in ea; potentia verò cum vel ad actum primum, vel ad ſecundum referatur, dicitur ille tantum eſſe in potentia ad ſecundum, ſiue ad operationem circa propria obiecta, minimè ad actum primum, cum intellectus ſit ipſe actus primus, & forma corporis. Tertium infertur pariter ex primo; ſi enim intellectus eſt ab omnibus intelligibilibus immixtus, ergo eſt etiã in operando immixtus à corpore, ſiue ab organo, quod eſt tertium attribu-

*Differentia inter actionem intellectus, & ſenſus.*

*Intellectus obiectũ qd.*

*Intellectus patientis quattuor attributa.*

tribu-

tributum, ſi enim operaretur cum organo eſſet neceſſariò qualis.i. cum aliqua corporis qualitate,ſeu temperatura commixtus, quæ eſſet ei cõditio, & ratio intelligibiles recipiendi ſpecies, ſicuti temperies aquea, ſeu diaphneitas in oculo eſt ratio recipiendi colores; ſic autem cum ea commixtus dici nõ poſſet eſſe immixtus ab omnibus, nec proinde poſſet omnia intelligere, vnde Philoſophus meritò 1. de anima tex. 92. inquit, ne fingere nos quidem poſſe, quam partem corporis occupet intellectus: nam licet intellectionem præcedant omnium partium ſenſitiuarum actiones, quæ corporis temperaturæ nituntur, tamen ipſa per ſe formaliter ſumpta intellectio in ſpeciei receptione, ac iudicatione conſiſtens fit à ſolo intellectu, abſq; vllius corporis miniſterio, cùm tamen omnibus corporis partibus ad alias actiones vtatur, vt pedibus ad ambulandum, manibus ad apprehendendum, teſtibus ad generãdum, & ſic de alijs. Ex hoc tertio pendet quartum ac poſtremum, ſcilicet quòd intellectus eſt locus ſpecierum, quia ſi caret organo, cuius eſt ſpecies recipere, ergo idem & ſpecies recipiet, atque erit ipſarum locus: in quo verè ab cæteris omnibus cognoſcentibus potentijs differt, quæ cũ hæreant organo dici non poſſunt eſſe ſpecierum loci, quæ in organo, vt in loco proprio, recipiuntur. Patientis igitur intellectus natura hæc eſt, poſſe à phantaſia rerum omnium ſpecies recipere, quibus eſt tamquam tabula raſa nudatus, non medij, non organi, non alicuius temperamenti ſubſidio, vt ſenſus facit, ſed ſola ſibi propria excellentique virtute, qua meritò ſupereminens, ac diuinus habetur.

*Intellectus non habet organum.*

*Intellectus patientis natura.*

Cæterùm cum in re qualibet naturali, quæ patitur adſit materia huius paſſionis radix, & vbi eſt materia ibi neceſſariò debeat eſſe agens illam de poteſtate ad actum deducens, ita intellectus, ſiue anima intellectiua (nam vtrumque nomen pro eodem haberi volumus) cum res naturalis exiſtat, duo etiam, vt ait Philoſophus tex 17. lib. 3. de anima cõtinebit, alterum vicem materiæ ſubiens, qualis eſt intellectus patiens, alterum agentis, quòd eandem perficiat, & actuet. Agit quidem (vt diximus) phantaſma tamquam obiectum alterando, & vniuerſalem ſpeciem imprimendo, ſed vniuerſalis ab eo reddi non poteſt, quia talis eſt abſtracta, & ab appenditijs materiæ prorſus exempta, illud autem cum his nexum, ac ſingulare eſt, vnde ſupra vires agere ſuas nõ poteſt, eamdem producendo. Neceſſarius eſt igitur alter intellectus agens, qui phantaſmata illuminans, latentem in ijs ſpeciem ſenſibilem, vniuerſalem, & intelligibilem reddat, quomodo erit patienti proportionatum, vtroque ſcilicet exiſtente abſtracto, & immateriali. Alexander hunc cenſuit eſſe Deum, quippe ſicut agens in cæteris naturalibus eſt externum, ita in intellectu debet extra ipſius eſſe naturam; & cum agens qua eſt actu agat, patiens qua eſt in potentia patiatur, nequeunt actus, &

*Intellectus agentis neceſſitas oſtẽditur.*

*Alexandri ſententia de intellectu agente.*

potentia reſpectu eiuſdem in eodem reperiri, quia ſunt contradictoria, quæ de vno verificari non poſſunt. Deceptus eſt tamen ex eo, quòd in ſpiritalibus vtrumque rectè inueniri poſſe non percepit ex Ariſt. 9. Metaph. 16. vbi ſentire, ac intelligere actiones ait eſſe immanẽtes, quod in eodem, à quo proficiſcuntur manent agente: ita in eodem eſt actus, & potentia, ille reſpectu actionis, hæc paſſionis. Non igitur eſt agens intellectus aliud, quàm eiuſdem animæ intellectiuę facultas, ſicuti patiens eſt altera ex communi latinorum ſententia. At verò præter actionem qua intellectus gaudet illuſtrandi phantaſmata, deque ordine in ordinem transferẽdi, aliam magis obtinet propriam, qua ſub ratione obiecti patientem mouet intellectum hoc modo: nimirùm, vt illuſtret vnitur phantaſmati velut forma ipſum perficiens, ex qua poſteà & phantaſmate tamquam materia obiectum reſurgit quoddam totum in eſſe intelligibili poſitum, aptumque patientem intellectum afficere. Hanc eius actionem notauit Ariſtoteles tex. 18. præfati de anima libri, dum inquit, intellectum agentem omnia facere, (ſubaudi phantaſmata intelligibilia) vt habitum; hæc verò non niſi eſt forma, quæ materiæ iungitur, quam reſpicit, & fit ei coeſſentialis, & innata. Ac ſicut lumen vnitum coloribus reddit eos actu viſibiles, ita hic habitus, ſiue intellectus, qui à Philoſopho ibidem tex..... lumini comparatur vnitum phantaſmati reddit ipſum intelligibile, quod antea tantùm erat ſenſibile. Et ſicut lumen ſegregat à coloribus tenebras, ità hìc in phantaſmatibus quidditatem ab accidentibus materialibus diſgregat: quæ vera formæ eſt actio, cuius eſt rem perficere, & ad actum deducere, ſicut illa prior illuſtrandi naturalis eſt agentis, cuius præter actuationem eſt, in re aliã ſibi formam ſimilem introducere, quod facit intellectus agens, intelligibilem phantaſmati conferendo naturam. Verùm cùm per has duas intellectus actiones non deſignetur iudicium, quæ vlterior eſt ac tertia ipſius actio, in qua ſola conſiſtit intellectio, ſicut in ſenſus iudicio ſolam oſtendimus conſiſtere ſenſationem, dubitari plurimùm poteſt, cuinam illud verè conueniat intellectui, an patienti, an agenti; ſiquidem cùm iudicare ſit præcipua, & maxima intellectus actio, videtur ſolius agentis propria eſſe debere, non autem patientis, cuius naturam in ſola poſitam eſſe diximus paſſione. Attamen videtur magis competere patienti, quia differentia facultatum ab actis deſumitur, alius verò eſt actus illuminandi, & ab accidentibus materialibus diſgregandi ſpecies, alius eaſdem accipiendi, relictis eiuſmodi accidentibus, quod abſtrahere dicitur: primus cum ab agente intellectu expleatur, neceſſe eſt alterum expleri à patiente, quod re vera ita ſe habet; ſicut enim lumen reddit colores omnes in pictura ęquè viſibiles, & ęquè omnes illuſtrat, nec facit vt vnus ſine alio conſpiciatur, ſed huiuſmodi facere diſtinctionem ad ſolum

*Refellitur.*

*Intellectus agens, quomodo patiẽtem moueat intellectum.*

*Intellectus iudiciũ cuinam competat, patienti, an agẽti.*

ſolum pertinet viſum, qui vel hunc, vel illum ſine alijs inſpicere potis eſt; ità de intellectu euenit agente, qui dum eſſentias in phantaſmate latentes irradiat, ac intelligibiles reddit, nequit ipſarum diſtinctionem, & abſtractionem facere, quam ab alio intellectu, perinde ac à viſu fieri rationabile eſt, cum ab eodem diuerſi obiri actus non poſſint: in quo verè intellectus patiens æquiparatur ſenſui, qui ſicut recipiendo patitur, & iudicando agit, ita ille ex receptione patiens, ex iudicio agens euadit, quæ duo in ſpiritalibus vni dumtaxat aſſignari non implicat.

*Intellectio quomodo fiat.*

Ergo hucuſque tradita ad intellectionis modum à nobis intentum contrahentes, dicimus eam ſic fieri. Primò phantaſma imprimitur in phantaſia ſenſibilibus indutum conditionibus, quo pacto ineptum exiſtens patientem obiectiuè monere intellectum, redditur aptum ab intellectu agente ipſum illuſtrante, ac depurante. Mouet autem per ſpeciem, quæ ſic depurata, & vniuerſalis facta, ab ipſo patiente (cuius natura eſt nuda potentia nihil cum corpore commune habens) abſtrahitur, recipitur, iudicatur, quę tria licet formaliter ſint idem, immò etiam tempore, tamen ſecundum rationem diſtinguuntur, per eaque totum intellectionis opus abſoluitur.

## *Intellectionis facilitatem non à ſola pendere anima intellectiua, ſed à phantaſiæ viribus multùm. Cap. III.*

*Senſio facilis quomodo fiat.*

PErceptis intellectionis cōditionibus, haud erit laborioſum nobis facilis intellectionis modum, naturāque venari. Vt enim à ſenſus norma non aberremus, tunc recta, & facilis perficitur viſio, cum vel obiectum in debita ſe habet ad oculum diſtantia, vel medium, ſiue aer non eſt obumbratus, vel oculus malè affectus non eſt, puta vel ſanguine perfuſus, vel bile, vt in externæ oculi membranæ, quæ adnata dicitur inflammatione, vel alijs huiuſmodi morbis, tunc enim ſingulæ colorum ſpecies, vel rubræ, vel flauæ iuxtà ſanguinis, ac bilis effuſæ ſubſtantiam iudicantur ab oculo, cum omne receptum iuxtà recipientis naturam recipiatur. Eodem modo intellectus ſi medio vteretur, & organo, deberemus eius operationis facilitatem ex vtriuſque habilitate deſumere, vtroq; autem cum carere dixerimus, ſola remanet facultas, & obiectum, ex quibus intelligendi facilitatem poſſimus arguere, prout ſcilicet eam nata ſunt inuicem habere proportionem, vt optima, & facillima emergat intellectus actio, ſiue cognitio illa, quæ dicitur ingenium. Ex parte quidem obiecti, quod eſt phantaſma, ingens ad intellectionem accedet facilitas, ſi illud ita fuerit affectum, ac diſpoſitum, vt ex eius obtutu ſtatim queat

*Intellectio redditur facilis ratione obiecti.*

intellectus deliteſcente, in illo eſſentiam contemplari; conferet autem ad hoc omninò ipſius phantaſiæ diſpoſitio, ex qua vna videtur omnis prodire intellectionis facilitas, vel difficultas; cum enim intellectus nõ- niſi ea operante poſſit agere, ac ſemper intellectionibus ſit complicata noſtris iuxta illud, quod nequit eſſe quis intelligens ſine phantaſmate, ſiue abſque præcedenti phantaſiæ operatione; quis ignorat ipſam ſingula phantaſmata cum certa quadam figura, magnitudine, & colore percipere, ita vt neque intellectus ſine mole aliqua poſſit rerum præſertim diuinarum inire contemplationem? hinc magnus propterea contingit in intellectione labos. Hoc Ariſt. nullibi euidentiùs explicat quã cap. 1. lib. de memoria, & reminiſcentia, vbi noſtram intellectionem comparat intellectioni trianguli, quod fiat in tabella, nam inquit, quòd ſicut volentes deſcribere triangulum vel trium, vel quatuor digitorum menſura ipſum affingamus neceſſe eſt; ſpeculamur autem ipſum non quatenus eſt huius menſuræ, ſed quatenus eſt figura tres habens angulos æquales duobus rectis. Ita ſe habet in rerum intellectione. Res omnes offeruntur intellectui magnitudine aliqua, & quantitate deſcriptæ, eas tamen non intelligit vt quantas, ſed vt hanc, vel illam habentes naturam: ex. gr. ſi album, ſi calidũ, ſi odorem, ſi ſaporem aliquem intelligat, ſuperficiem quamdam albam, & calidam, ac etiam odorem, & ſaporem, ſub aliqua corporis ratione, ac certis dimenſionibus intelligit, non tamen hæc intelligit vt quanta, ſed abſtrahit ex ſingulis vniuerſale, puta, quòd album ſit viſus diſgregatiuum, calidum item diſgregatiuum partium diſſimilarium, & ſimilarium congregatiuum, & ſic odoris, & ſaporis vniuerſalem pariter intelligit ſpeciem. Itaque infallibilis hæc, & neceſſaria intellectionis, & phantaſmatis colligantia eſt in cauſa cur intellectus multoties labatur, & confundatur in propria operatione; nam ſi phantaſia rerum imagines, ſeu phantaſmata rectè conciperet. purior etiam, & perfectior ab intellectu fieret vniuerſalis abſtractio, ſed cum illa imaginando v.g. Deum attribuat ei dimenſiones, & loci, & corporis, & imaginando æterna, attribuat eis motum, & ſic de alijs innumeris, propterea indecenti, & incongrua horum accidentium applicatione, magnum in nobis excitat tumultum ad rerum veritatem percipiendam. Idipſum expreſsè notauit Plato, nempe corporis contagio rationalis animæ vigorem labefactari, prout phantaſia, quæ à materiæ ſordibus emergit turbidè agens ipſum etiam quodammodo afficit, ac turbat intellectum: quam Platonis ſententiam vltrò Themiſtius approbat in paraphraſi lib. cit. de memoria dicens, (rectè igitur Platoni viſum, qui obtuſiorem humanæ mentis aciem huic cauſæ (ſcilicet imaginationi) tribuit) Dices, nonne intellectus agentis lumine ſeparatur iſta quantitas, qualitas, & alia accidentia? licet igitur phantaſia res cõ- fusè

*Phantaſia eſt cauſa difficilis intellectionis.*

*Vide Tomeũ in pref. lib. de mem. & reminiſcentia.*

fuſè percipiat, tamen in eſſe claro, & conſpicuo poſita, mox poſſunt ab intellectu poſſibili abſque vlla difficultate cognoſci; non igitur quidquam officere videtur phantaſia. Reſpondetur agentem intellectum ſeparare quidem in phantaſmate accidentia à nexu materiæ, non tamen ſeparat, ac remouet accidentia intelligibilia, ſine quibus ſpecies in intellectu poſſibili gigni non poſſet, quia vt diximus de albo, de calido, & cæteris, intellectus illa non poteſt intelligere abſque ſuperficie, vt etiam Deum non poteſt intelligere abſque aliqua corporis mole: propterea ex tàm arcto intellectus, & phantaſiæ nexu fit vt omnis intellectio ſemper phantaſmatis naturam redoleat. Quapropter iam apparet magnã in intelligendo contingere difficultatem ex parte obiecti. Hinc neceſſaria conſecutione deducimus facilitatem etiam intelligendi, maximè ab obiecti modo, ſeu à phantaſiæ viribus proficiſci, quia cum hæc ſit organo addicta, iuxta probam, vel improbam organi diſpoſitionẽ, erit etiam perfecta, vel imperfecta, proinde melior, vel deterior continget intellectio, & ingenium: at organum quàm variè diſponi poſſit, & affici illud pleniſſimè commonſtrat, quòd vix duos in humano genere inuenias, qui ſimilem referant corporis, & vultus ſpeciem: id quoque arguas de organo phantaſiæ, quod propter infinitos corporum temperamenti gradus, diuerſum in omnibus, & mirificè varium eſſe poteſt. Igitur phantaſia ab huius organi natura dependens infinitas etiam ſortietur perfectionis differentias, proinde infinitæ pariter in hominibus ingeniorum naturæ adnotabuntur. Hæc ingenij dogmata à Peripateticis in nullum reuocari poſſe diſcrimen videntur. At verò non ſolùm ex obiecti præſtantia optimum prodire dicendum eſt ingenium, ſed ex aliqua etiam eminentiore intellectus virtute, quod ita demonſtratur.

*Phantaſia rectè diſpoſita eſt cauſa facilis intellectionis.*

Poſitum, ac firmatum ſuperius fuit ingenium eſſe vim, potentiam, & facultatem animæ intellectiuæ facilè comprehendendi, ac diſcurrendi ergo neceſſariò ab ipſamet anima promanabit, probatur, quia potentia animæ ſequitur ipſius eſſentiam tamquam accidens productum ab ea: hoc D. Thomas edocet 1. part. ſum. q. 77. artic. 1. vbi potentias probat eſſe in prædicamento qualitatis ſecũdæ ſpeciei ab animæ natura fluxas, tãquam ab agente improprio, quod vocat per emanationẽ, hoc eſt agentem ſine vlla reſiſtentia patientis diſtinctum ab eo, quod per ſolam tranſmutationem operatur. Ingenium igitur talis exiſtens animæ intellectiuæ potentia, ab eius etiam virtute perinde ac effectus à propria cauſa emanabit: propterea non tàm bonitas phantaſiæ obiectum ipſi animæ offerentis, quàm huius etiam excellens vigor ad ingenium conſtituendum concurret. Illud obſtat, quòd cum ingenium ſit potentia quædam ſingularis, nequaquam omnibus hominibus communis (quod demon-

*Optimũ ingeniũ ab optimi intellectus natura prodire probatur.*

demonſtratione non eget,) ſequi videtur intellectus eſſentiam, à qua manat, debere quoque præſtantiæ gradu ab ignauioribus eſſe diſtincta, vt ſicuti longo tramite differt ingenium Socratis ab ingenio Epicuri, ita ipſorum quoque animas eſſe ſpecie differentes, quod tamen (vt poſtea monſtrabimus) à veritate prorſus eſt alienum. Præterea difficultatem facit, quòd ſi intellectus in ſua natura huiuſmodi potentiam, ſeu facilitatem continet, quam vocamus ingenium, ergo non eſt ad omnia intelligenda indeterminatus, patet, quia huiuſmodi facilitas, nihil eſt aliud, quàm modus, & determinatio quædam, per quam magis vnum quàm aliud intelligere fit aptus, ſed hoc pacto dici non poteſt ipſum ad omnia æquè intelligenda etiam in potentia tamquam nudam (vt ſuprà oſtendimus) tabulam, eſt enim ei ſuperaddita, & impreſſa huiuſmodi perfectio in quo ineſt.

Ad hos igitur ſcopulos cum in diſquirẽda ingenij natura multi graues doctrina viri colliſerint, factum eſt fortè, vt in varios, & erroneos hac de re ſenſus deflexerint, quando ne animarum ſpecies varias conſtituerent, vel animæ intellectiuæ organum aſſignarunt, vel eam à temperamento non diſtinxerũt, vel extrà puero ſtatim nato ingenium aduenire excogitarunt, vel aliud quid abſurdum commenti fuerunt, quibus herclè vt per hæc expedita fuit, & plana ingenij explicatio, ita intellectus mortalitatem euitare non licuit, quæ omninò eſt impugnãda, etiamſi hoc in Ariſtotelis veſtigijs perobſcurum, ac dubium eſſe videatur; non enim videtur, quomodo decerni poſſit ingenium eſſe animæ intellectiuæ potentiam, nec alterutrum ſubeamus abſurdum, quòd inquam, vel hæc anima ſit illa perfectior, vel quod ex proprio, aut ex phantaſiæ organo pendeat, ac ſit mortalis, quia duplicem dumtaxat ea videtur ſortiri poſſe originem, vel à Deo per creationem, quam Ariſtoteles non agnouit, vel ex organo per eductionem cæteris naturalibus formis communem. Nos tamen aliquid ope diuina nitemur in medium adducere, quo ingenij natura cum æternitate animæ rectè poſſit conciliari. Interim aliorum ſententiarum in conſpectu afferre, nec erit ab inſtituto noſtro abhorrens, nec rerum varietate iniucundum; nam ex opinionum comparatione rei veritas fit enodatior, & planior iuxtà illud, quòd oppoſita iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt: quod etiam Ariſtoteles in phyſicis contemplationibus vbique præſtare conſueuit.

*Vtilitates ad opinionũ examen cõſequentes docet Ariſt. lib. 1. de cęlo tex. 101. & liber 1. Top.*

*Alio-*

## *Aliorum de ingenio ſententiæ ad lancem Peripateticam reuocantur, ac primùm Platonis. Cap. IV.*

PLatonici rerum momenta mentis vi potiùs, quàm ſenſus lance pendentes aſſerunt, animas in vniuerſi conſtructione creatas eſſe à Deo ſtellarum firmamenti numero definitas, ac pares, inde per aſſignata vehicula in corpus deſcendere; quę imaginantur eſſe tria. Primum æthereum; quod eſt ſecundum nempe ſtellæ primò animæ deſtinata, deinde cæleſtis ſpiritus, ſiue igneus, qui radij, ac ſtellæ vicem gerit, cum quo deſcendit anima in mundum ad corpora informanda; in hoc aliqui aduerterunt Homeri cathenam auream, per quam cæleſtia feruntur in terras; ac rurſus terrena hæc ad cæli clauſtra pertrahuntur.

*Animæ deſcendunt è cœlo ad noſtra corpora per tria vehicula.*

Secundum dicitur ſpirituoſum, ſiue aereum, quod nil eſt aliud, quàm ſanguis tenuis, vel ſpiritus per noſtra corpora diffuſus, qui propterea temperamenti humani morem inſequitur: hoc vtitur anima in corpore, deſerit illud in cælum ad proprium aſtrum reuerſura. Propter hæc duo vehicula, quæ mirificè cum animæ ſubſtantia ſunt connexa, dixit Galenus animam eſſe vel fulgidum, & quaſi æthereum corpus, vel incorpoream eſſe, vti tamen hoc corpore, velut medio, quo in alia ſe poſſit corpora inſinuare. Cicero etiam dixit animos humanos è diuina mente eſſe decerptos, & ex ſempiternis ſtellarum ignibus demiſſos: idẽ alibi animum homini eſſe datum ex illis ſempiternis ignibus, quę ſydera, & ſtellæ vocantur. Hinc Virg. lib. 6. Æneid.

*Lib. 7. de Hippocr. & Plat. decret. c. 7.*

*Lib. 1. de nat. Deorũ. in ſõn. Scip.*

*Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo.*

Tertium vehiculum eſt craſſum hoc, ac terreſtre corpus, quod à Platone in Phedro dicitur oſtreaceum, à Plotino ſepulchrum animæ. Per duo priora vehicula deſcendunt animæ ad hoc tertium, quo vtuntur, & in quo ſedent vt nautæ in nauibus. In deſcenſu tamen proprius à ſingulis dæmon ſeligitur, quo in deteriori hac vita ſocio, & adiutore vtantur. Cùm autem ante huiuſmodi deſcenſum per rationes rerum, ideas habeant inditas, quarum bono intellectuali dumtaxat vita fruuntur, dein materiæ, ſeù vehiculi oſtracei commercio, intellectualis ipſarum natura ita inquinatur, vt Amelite fluuij aqua dicantur adſpergi, hoc eſt negligentiæ ſupernorum, ac Letheo lacu demergi, hoc eſt miſera intelligibilium obliuione capi, quas nonniſi labore ac ſtudio excitare, ac renouare poſſunt, quæ ab ipſis nuncupatur reminiſcentia.

*Tertul. lib. 1. de anima damnat hoc in Platone, tamquã hęreticum.*

*in Phedro, & in Menone.*

Huiuſce rei vberrimus eſt in Timeo locus, vbi ornatiſſimam naturæ deſcriptionem Plato perſequitur. Modò eius alumni animam humanam ſpecie colligunt ſubalterna, quam ſecant in ſpecialiſſimas, ſub qua propè

*Marſil. Ficinus cõm. in Plotini*

*lib. 2. in Ae-nead. 3. c 8.* propè innumera indiuidua comprehendunt. Haſce ſpecies inquiunt eſſe vel Iouiales, vel Martiales, vel Venereas, vel huiuſmodi alias, iuxtà varias aſtrorum, à quibus fluunt, ac dæmonum, quibuscum viuunt ſpecies: ſingularum autem diuerſas in indiuiduis diſpergi virtutes, vt quòd ille ſit magus, ille Aſtrologus, hic militiæ inhians, alter Poeticæ, vel oratoriæ, fit inquam ob iſtas virtutes à quaque animarum ſpecie huic, vel illi communicatas. In hoc igitur ex Platonicorum placitis ingenij vigor omninò eſt collocandus. Sic tuentur animæ immortalitatem, quam de cælo aiunt in corpus deſcendere, ſic tuentur ingenium eſſe potentiam connatam animæ, cum indiuiduam hanc animam, indiuidua hac dote, ſiue ingenio præditam in corpus tranſmitti pronuncient. Hæc ſententia labilis eſt potiſſimùm in tribus. Primùm quòd animæ in orbis ortu creatæ ſint à Deo numero definitæ, nec Ariſtotelis doctrinæ, qua mundi aſſeritur æternitas, nec legis noſtræ dogmatibus conſentit, cuius tamen Platonem perſtudioſum fuiſſe veterum monumentis eſt proditũ; ad quam imbibendam Ægyptum, Italiam, & Siciliam perluſtrauit Anaxagoræ, ac Pythagoræ imitatione, vt Theodoretus Cyreuenſis lib. 1. græcarum affectionum eſt auctor. Hinc à Numenio Pythagoreo vocatus eſt Atticus Moſes, extatque Ficini Epiſtola de concordia Platonis, & Moſis; ac nonnulli affirmare ſunt auſi Dominum Ieſum in eius ſcriptis accurratè verſari ſolitum, quos tamen meritò reprobat Origenes lib. 6. diſputationis contra Celſum. Lapſus autem in eam ſententiam videtur Plato ex eis in Geneſi verbis: Deus perfecit omne opus, & in die ſeptima requieuit ab omni opere, quod patrarat: per quæ ſubinnui videtur, à Deo nullam amplius in orbe creationem exerceri, quod cum Manichæis idem quoque ſenſit Origenes.

*Platonicorum ſententia refutatur.*

*lib. 8. epiſt.*

Huiuſmodi erratum luculentiùs eliditur à D. Auguſtino lib. edito contra hæreſim Manichæorum. Secundò peccat allata opinio, quod noſtrum ſcire ſtatuit fieri per reminiſcentiam notionum in anima impreſſarum, quæ ſola nititur Platonis auctoritate: iãdudùm ab Ariſtotele naturæ fulcris euerſa, tùm in 3. lib. de anima, vbi oſtendit hominis animam eſſe tamquam tabulam raſam, in qua nihil eſt pictum, tùm 1. capitul. lib. 1. Poſter. in quo noſtram omnem ſcientiam ex prægreſſis ſenſuum actubus de nouo ait generari. Inſuper vehiculorum doctrinam omnino conuellit lib. 2. de cælo, vbi ſtellas dumtaxat ad motum orbis moueri demonſtrat, proinde non poſſe ſtellas conferre ad mouendas animas: vehiculum æthereum, ſpirituoſum, & craſſum, nec inter ſe differre, nec extrà corpus quidquam animæ inſeruire poſſe putauit lib. 2. de anima 26. inquiens, animas nequaquam ſine corpore organico poſſe reperiri: Ideas porrò tamquam ſomniantiũ ludicra vbique Ariſtoteles reijcit præſertim lib. 1. Moral. ad Nicom. c. 6. & li. 1. Metaph. tex. 25.

Tertiò corruit in principali hæc opinio, quòd diuerſas ſtatuit ſpecies animarum, pro quo inualidam extruunt huiuſmodi rationem: Diuerſa ingenia non poſſunt à diuerſis corporum temperamentis prodire; prodibunt igitur à diuerſis animarum naturis. Probant Antecedens, quia ex corporibus non prouenit ingeniorum ſimilitudo, ergo neque diuerſitas: nam plurima ſunt corpora ſimillima, quibus diſſimillimum adeſt ingenium, contrà ſunt ingenia ſimillima, quibus diſſimillima ſunt corpora; minimè igitur ex corporibus, verùm ex animis licet ingeniorum varietatem haurire. Dupliciter hoc argumentum diſſoluitur: primùm ſimilitudo corporis non præfert ingenij ſimilitudinem, quia non ex totius corporis conditione reſurgit ingenij excellentia, ſed pręſertim ex optima vnius partis temperie, nempe cerebri, quod poſteà diſcutiemus, propterea ex ijs dũtaxat, quæ huiuſmodi valent oſtendere temperiem, vel ſimile, vel diſſimile ingenium arguemus. Secundò ſi ex ſola tantùm anima, nõ etiam ex corpore flueret ingenium, nullatenus iam dictũ vitari poſſet, abſurdum de inæqualibus animarum eſſentijs, quod rei naturæ penitus, & Ariſtoteli aduerſatur, vt infrà patebit.

*An dentur diuerſæ animarum ſpecies.*

*Ficinus Commẽt. in Plotinũ citato.*

## *Pythagoræ Metempſichoſis, ſeu Commentum de ingenijs expenditur. Cap. V.*

PYthagoras Italicæ ſectæ Princeps in eam delapſus eſt mentem, vt ratam haberet mutuam animarum tranſmigrationem, quam Metempſichoſin grecè vocauit, ex qua manare credidit omnem ingeniorum diuerſitatem. Dicebat animam hominis voracis demortui tranſmigrare in corpus lupi, vecordis in corpus aſini, docilis in corpus elephantis &c. rurſus eandem animam per varia ferarum corpora deuolutam, in humanum ſe corpus ingerere: ſic inter homines hanc animarum fieri tranſmigrationem: propterea de ſe ipſo in vulgus prodiderat, ſibi contigiſſe animam Euphorbi, quod ipſe ad belli Troiani gloriam, qua olim nituerat Euphorbus latentibus naturæ igniculis, mirum in modum traheretur. Ad hoc autem perſuadendum ferunt, Pythagoram prius mortem ſimulaſſe, ſub terra ſeptennio latitaſſe, patientia ſe illic damnaſſe; dein quaſi ab inferis excitatum plura de mortuis, & inferis retuliſſe: dixiſſe olim ſe fuiſſe Euphorbum, hocq; ex eo probare voluiſſe, quòd recognoſceret clypeum, quem Delphis Euphorbus aliquandò conſecrauerat. Hinc Pythagoram animalium carnes abhorruiſſe, quòd anima humana per eorum corpora pertranſiret dixere nonnulli, quos tamen reprehendit Porphirius lib. de abſtinentia. Hoc pariter ni-

*Tertullian. lib. de anima*

*Niceph. Caliſt li. x. Hiſt. Eccle*

*Tertullian. ibidem.*

xus commento Iulianus Apoſtata, iactabat renatum in ſe eſſe magnum Alexandrum, ſiue illius animam in ſuum corpus transfuſam: & Simon Magus Helenam quandam Tyriam, qua libidinis loco vtebatur illam eſſe Helenam Græcam ſuadere voluit, quò ſibi faciliorem popularium captaret auram. Eandem ſententiam Mercurius Tryſmegiſtus Pythagora longè antiquior profert in Pymandro initio ſermonis. 16. nec aliter ſenſiſſe videtur Plato in Timęo, & in Phædro; licet Marſil. Ficinus, & D. Auguſtinus lib. de Geneſi ipſum excuſare nitantur dicentes: hominis animam tranſire in beſtiam, allegoricam eſſe Platonis locutionem, qua voluit exprimere efferatos homines reſpectu bonorum, & mitium eſſe tāquam feras, & beſtias. Ex recentioribus Cardanus. Metempſichoſin approbauit, vt qua ſola in Peripato ſaluari poſſit animæ immortalitas: nam cum 8. Phyſ. lib. probauerit Ariſtoteles mundum eſſe æternum, lib. autem 4. negaſſet infinitum actu dari poſſe; ergo nequit anima eſſe immortalis, quia ſic infinitæ animæ actu concederentur, quæ infinita corpora æterno, & infinito tempore reliquerunt. Neceſſariò igitur, vel anima humana erit eadem, & vna in ſingulis hominibus, quod fruſtrà perſuaſit Auerroes, vel admittenda eſt eiuſdem animæ tranſmigratio, per quam allata de infinito cauetur abſurditas, nam animæ quæ per immenſa ſeculorum millia extiterunt, non actu remanſerunt ſeiunctæ à corpore, ſed per alia, & alia ſubinde corpora volutatæ, nunc etiam in brutorum, vel hominum corporibus certo numero diffuſæ inueniuntur. Secundum iſtorum ſententiam ingenium eſſet quaſi hæreditario iure tranſumptum, quippe animam vnuſquiſq; ab alio reciperet, quod herclè in magnam cederet hominum fœlicitatem, nec aliud nobis augurarem ur ingenium, quam Domini Patris defuncti, cuius memoriam grata ſemper commemoratione proſequi debemus: hæreditarium inquam eſſet ingenium, haud ex continuata maiorum ſerie, ſed ex contingentia quadam ſine vlla corporum diſtinctione: iccircò Cæſar eſſet ſapiens, callidus, impiger, clemens, quoniam haberet animam Cyri; Tullius eſſet eloquens, pius in patriam, iactabundus, quoniam haberet animam Demoſthenis, idemq; de omnibus affirmare liceret. Inſuper deſinerent ſinguli vulgarem admirari conceptum de hominum conuerſione in lupos, (vt aiunt) rapaces, quam medici vocarunt Lycantropiam, ac in humorem melancolicum referre conati ſunt: nam ex hoc Pythagoræ inuento huius effectus facillima poſſet ratio aſſignari. Ariſtoteles lib. 1. de anima cap. 4. per totum reprobans Platonis ſententiam in Timeo de intellectu, quem ponebat eſſe magnitudinem circularem decem affert rationes, quibus animam nec eſſe magnitudinem, nec localiter, ſeu circulariter moueri poſſe demōſtrat; propterea ex ijs deſtrui ſatis poſſet Pythagorica tranſmigratio,

*Commē. in q. de Legib.*

*Simpl. in Comm. de anima tex. .... ſentit etiā Pythagorā myſticè locutū.*

*Lib. de animę immort. Hoc fuit ēt argument.*

*Auer. lib. 3. de anima diſput. 1. c. 8. quo vtitur ad probandam vnitatem intellectus.*

*Animarum tranſmigratio refutatur ex Ariſtot.*

quæ

quæ motus animæ localis exiſtit, niſi nominatim de ipſa mentionem faceret, immò tanquam figmentum, & fabulam viro indignam Philoſopho irrideret. Hoc autem ipſam fundamento conuellit: quòd anima non in quodlibet corpus induci poteſt, ſed in corpus debitis tantùm præparationibus diſpoſitum; probatur, quia inter agens, & patiens, ſiue inter mouens, & mobile debet eſſe proportio ergo anima non in quodlibet corpus ingredi poteſt, ſed in præaffectum ac diſpoſitum, aliàs nullam ederet actionem, ac fruſtrà eſſet in eo: valet conſequentia; ſicut enim abſurdè quis diceret artem fabrilem ingredi in tibias, quia cum tibiæ non ſint inſtrumentum artis fabrilis, eſſent ineptæ ad eius artis executionem, ſic etiam vanum eſt, ſi quis humanam animam in corpus bruti migrare adfirmet, quia tale corpus cum incongruum ſit huius animæ inſtrumentum, minimè inſeruire poteſt animæ ad proprias functiones obeundas.

## *Dæmones ingenium non communicare iuxta Maximum Tyrium. Cap. VI.*

MAximus Tyrius nobilis Platonicus ſermone 26. & Pſellus lib. de dęmonibus; & cum his magna Philoſophorum turba cenſuit, humanum animum diuerſimodè affici poſſe ob dæmonum communicantiam, per quam aliud in alio ingenium fieri poteſt. Hæc ſanè de dæmonibus ſententia veterrima, & nobiliſſima per omnes Academias maximè pertractata, præſertim Theologorum libris exculta ſemper fuit, nos tantùm quædam eius capita, quæ ad rem noſtram faciunt ſobriè perſtringamus Dæmones putarunt eſſe corpora quædam aerea, vel ignea inter intelligentias cæleſtes, & hominem media per participationem extremorum: gaudent anima, & ratione, quæ cæleſtis eſt, gaudent corpore, quo cum hominibus communicant: hoc eſt eis immortale, quia puriſſimum, & eminentioris cuiuſdam miſtionis, eſt tamen quoquomodo patibile, quia leuem quamlibet miſtionem par ſenſus inſequitur, quem in dæmonibus non alium ſtatuunt, quàm imaginationem, iccircò varijs animi motionibus turbari humano more ſunt apti, miſericordia, voluptate, iracundia, dolore, ac huiuſmodi alijs. Hinc Apuleius lib. de Socratis Deo ipſos definit animalia rationalia, aerea, æterna, paſſionibus animi obnoxia. D. Auguſtinus recipit, quòd ſint aerea lib. de natura dæmonum, & lib. 3. de Geneſi cap. 10. Proclus, inquit, eos eſſe naturas medias inter Deum, & hominem. Chalcidius in Timęũ Platonis inquit, eſſe animalia ratione prædita, immortalia, æthereo

*Sueſſanus hęc omnia de dęmonibus peripateticè comprobat li. 3. de dęmonibus. cap. 6.*

corpore, animo alterabilia ad hominum cuſtodiam deſtinata. Trina porrò ipſorum deſcripta ſpecies iuxtà tres aeris plagas, in quibus ſinguli degere creduntur: rationem ſuperioris plagæ dicti ſunt ignei, ratione mediæ aerei, ratione infimæ aquei, qui poſtremi cum terræ iungantur terreſtres, nimirùm Panes, Fauni, Satyri, Nimphæ, Siluani: & cum aer per abditas terræ latebras diffletur, ſubterranei pariter alij nuncupantur, de quibus Georgius Agricola diſertè in lib. de ſubterraneis animantibus. In eum autem finem dæmones huic rerum vniuerſitati additos exiſtimarunt, vt velut Dei interpretes, ac miniſtri circa operationes hominum exiſterent: boni ſunt omninò ex Academicorum placitis, mali per relationem ad nos, quos nutu Dei plectere interdum coguntur. Theologi aliter dæmones eſſe natura bonos conſtituunt, malos propria voluntate, ac obſtinatione: illos hominum tutelæ dicatos, hos verò ſcelerum vindices poſt lapſum à Deo deterrima omnium vice fungentes. Antiqui cuſtodes hominum dæmones vocarunt Genios, ſeu naturæ cuiuſq; duces, ac moderatores, quos Virgilius ibi manes nuncupat: Suos quiſq; patitur manes. Horum plurima in hiſtorijs ſuppetunt exempla: nam & Socrati, & Plotino, & Appollonio Tianeo, & Petro Aponenſi, & Cardano, & Cornelio Agrippæ ex Iouij teſtimonio in Elogijs, & alijs perſæpè familiaris ſe prodidit genius. Huius connexionem cum anima inquiunt eam intelligendi vim conſtituere, quam nos ingenium appellamus; per eam enim anima fit habilis ad rerum plurimarum dignotionem, tàm in ſcientijs, & artibus, quàm in rerum agendarum tractatione, in quibus homines admirandi videntur moribus, verſutijs, vaticinijs, corporis robore, officiorum generibus, eloquentia, & alijs huiuſmodi dotibus. Hunc autem agendi modum in anima dæmonibus præſcripſere, quòd hi cum ſint quidam ſpiritus cum noſtro ſe ſpiritu animali commiſceant, & imaginationem diuerſis rerum imaginibus imbuant, quibus poſteà vel ad bonum, vel ad prauum ipſa diuerſimodè anima pertrahatur: ita quoddam in imaginationem ius habent, in animam nullum habent, quæ ſuis motibus libera, & cæleſtis exiſtit. Hæc ſtrictim de dæmonibus, quæ Theologorũ, ac Philoſophorum libris accurratiùs expoſita continentur. Nos huiuſmodi ſententiam penitus refutare non poſſumus, quod plurimùm orthodoxæ fidei decretis cõſentiat; quod enim dæmones in rerum natura reperiantur, ac multipliciter noſtros afficiant animos per omnia ſeculorum curricula, nedùm in Græcia, & in Latio apud ſapientes, ac doctos receptum eſt, ſed mox etiam Domini Noſtri traditionibus omninò confirmatum. Nuper tamen illuſtris rerum nouitate Cardanus lib. 16. de rerum variet. & 19. de ſubtil. dæmones malos, ex natura explodere non eſt veritus, ac in Encomio Medicinæ, ad occultum quod-

*Dęmonum tres ſpecies.*

*De his Martian. Capella.*

*Genij.*

*Dęmõ quomodo in homine cõſtituat ingenium.*

*Hermes in Pymandro. Plato ĩ Epinomide, in Politico & alibi Proclus, Iãblicus lib. de Dęmonib. D. Auguſt. lib. de natura dęmonũ,*

*& de limit. Dei fusè. D. Thomas in quęſt. diſput. artic. 8. Fernel. de abd. rerum cauſ. lib. 1. cap. 11.*

*Cur Ariſt. dæmones nō admiſerit.*

dam morbi genus referre. Pomponatius etiam lib. de incantationibus eos exturbare nititur ea ratione, quòd effectus omnes, quos dęmonibus ſolemus attribuere, commodè ad naturales cauſas reduci queant. In vtroque profectò vt minorem licentiam, ſic pietatem Chriſtiano digniorem deſideres. Ad Ariſtotelem quod attinet, is nimiùm fortaſſe naturæ ſemper addictus, dæmones nullibi admiſiſſe videtur, immò quod magnam infert admirationem, cum ſolertiſſimus fuerit veterum omnium impugnator, hanc de dæmonibus ſententiam à præceptore ſuo Platone, ac cæteris ſectarum omnium philoſophis apprimè agitatam prorſus intactam reliquit, quod ne publicam Athenienſium religionem, qui dæmones in diuinis habebant, offenderet, an alio conſilio fecerit, adhuc in obſcuro eſt. Ea verò potiſſimùm ratione illos reieciſſe arbitramur, quòd in rerum ſpeciebus nihil ſit fruſtrà dandum; at nullum dæmones ex ſua doctrina præberent vſum in vniuerſo, non cælis, quorum regimini Deus, ac intelligentię ſufficiunt; non terræ, in qua homo, quippe rerum naturalium finis, atque optimum ſolus eminere, ac excellere dicitur 2. Phyſ. tex. 24. non aeri, aut igni, qui ſua natura ſibi ſufficiunt ad motum, & ad perfectionem mundi, nullumque in ijs gignitur animal. 1. de hiſt. animal. cap. 1. & 2. de generat. animal. cap. 3. Igitur ex Ariſt. ſententia ſuperuacanei videntur dæmones. Ampliùs diuinationes per ſomnia, reſponſa oraculorum, incognitorum nominum pronunciationes, extranearum linguarum vſum, quibus veteres ad ponendos dæmones ſunt adducti, Ariſtot. ad ſolam refert atræ bilis virtutem ſect. 30. probl. 1. vel aliarum rerum humanum corpus circūſtantium lib. de Mundo ad Alex. vbi halituum quorumdam effluxu diuinum in hominibus furorem ait excitari. Ab eo prorsùs recedere hac in parte cogimur, quòd veritatem maiorem nobis ſuggerit is, qui lux eſt, via, veritas, & vita; nec aliter fortè ſuaderet naturalis ratio, ſi vellemus rem hanc vberiori tractatione complecti, verùm ad vtiliora noſter feſtinat ſermo. Igitur allatam dæmonum ſententiam non refellimus niſi hoc vno, quòd ingenij eſſentiam conſtituit in dæmonum communicantia medio phantaſiæ cum anima rationali, quod ſuperiactis à nobis de ingenio fundamentis repugnat; nam vel dæmon eſt à phantaſia ſeparabilis vel non, ſi primò, ergò etiam ab anima ſeparabile erit ingenium, contra experientiam, qua nullum vnquam conſpeximus orbatum ingenio, quàm morbi cauſa, vel diuino miraculo; nam etiamſi nonnullis contigit videri vtcumq; ingenioſi ex dæmonum pręſentia, qui ipſorum corpora obſidebant, ſtupidos autem ex ipſorum receſſu, tamen quia hoc perrarò accidit, & eſt ingenium prauum ex vltione diuina, non eſt hæc accidentalis cauſa pro eſſentiali, & perpetua ſtatuenda. Si ſecundò, ſequitur quòd ingenium non fluit ab animæ eſ-

*Dęmonum allata ſentẽtia refellitr.*

ſentia,

ſentia, vt ſuprà probauimus, ſed ab alio extrà ipſam, quare ingenium non facultas animæ, at dæmonis eſſet apellanda.

## *Galeni, ac Huarthis expenditur ſententia, ingenium conſtitui, ac fluere à temperamento.* *Cap. VII.*

GALENVS lib. quòd animi mores ſequantur corporis temperaturam cap. 3 ſic de anima loquitur, vt anceps omninò videatur in ipſius cognitione, nam ait ex Platonis ſententia partem animæ rationalem eſſe immortalem, ex propria verò fatetur, nunquã ſe conſequi potuiſſe, quænam ipſius ſit ſubſtantia: de ſentientis, ac vegetantis mortalitate ne hæſitat quidem, vtpotè corporis temperamento connatas: de rationali anxiùs videtur; ex eo quòd videat ipſam veneno epoto corpus deſerere, vel in corpore nimiùm excalfacto, aut refrigerato immorari non poſſe, quæ planè oſtendunt ipſam ſtatuto quodam temperaturæ gradu proprias tantum exercere operationes. In cap. 4 inquit intellectum gaudere, ac perfici ſiccitate, obtundi autem ab humiditate, quod etiam comprobat ex doctrina Platonis in Timęo: Idem repetit in cap. 5. ex verbis Heracliti dicentis: Splendor ſiccus animus ſapientiſſimus; inibique adducit, quòd cum in inſanis, in furioſis, in deſipientibus intellectus functiones omnes depereant, ob temperamenti mutationem, indicio eſt intellectum, vel eſſe temperamentum, vel omnino à corporis temperamento pendere, ex huiuſque natura ipſam conſtitui ingeniorum eſſentiam. Hanc Galeni ſententiam ſectatus eſt ex recentioribus Huarthes quidã Hiſpanus vir ſubtilis libello de ingeniorum examine, qui omnem ingeniorum naturam ex organi temperie pendere demonſtrat, immò proprio intellectum organo potiri poſſe ad operandum ſalua omninò ipſius immortalitate. In hoc Ariſtotelis doctrinam, ac rationes peruertere nititur, quas ſuprà recenſuimus probantes intellectum carere organo. Prima ipſarum fuit, quòd omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti; non poteſt igitur intellectus adnaſci organo, aliàs materialia, & organica non poſſet intelligere. Secunda quia ſequeretur intellectum eſſe qualem ſeu calidum, vel frigidum, cum omne organum huiuſmodi qualitatibus temperetur. Soluit Huarthes primam rationem, negando conſequentiã, quando idem ſequeretur de parte animæ ſenſitiua, quòd organica cum ſit, & annexa qualitatibus materialibus non poſſet obiecta percipere materialia, quod falſum affirmat in tactu, qui licet conflatus ex quatuor qualitatibus, cal. frig. hum. & ſicc. tamen optimè ſingulas ipſarum percipere natus eſt: idem oſtendit

*Huarthis ſententia.*

*cap. 2.*

in

in oculo, qui etiamſi coloratis ſit præditus particulis, tamen colores omnes indiſtinctè cognoſcit; ergò pariter intellectus licet ſit alligatus organo, nec denudatus à natura materiæ, nō per hoc tamen rectè poſſe inquit inferri, quin materialia poſſit intelligere, & addit, quòd ſicut ratio, propter quam ſenſus viſus & tactus non impediuntur à proprio organo, quin materialia obiecta percipiant illa eſt, quia propria organa non percipiunt, nam ſi perciperent impedirentur ab aliorum cognitione, non percipiunt autem, quia non reſultant ex ipſis organis phantaſmata facultatem alterantia, vnde illud: Senſibili ſupra ſenſum poſito non fit ſenſatio. Idem etiam neceſſariò de intellectu aſſerendum videtur, quod cum non intelligat proprium organum (quando intelligibili poſito ſupra intellectum non fit intellectio,) quominùs materialia intelligat haudquaquam poteſt ab organo impediri. Soluit idem Huarthes ſecundam rationem, ex eo quòd intellectus, nec vlla alia forma dici poſſunt ſubiectum qualitatis, cum tale ſolùm ſit corpus, & ſubſtantia compoſita; nam qualitatis eſſe eſt ineſſe alteri, quod nec ſola forma, nec ſola materia eſſe poteſt, cum neutra ſeparatim poſſit exiſtere, erit ergo compoſitum ex vtraque, propterea malè ait à Philoſopho induci, quòd intellectus caliditati, vel frigiditati annexus eſſet qualis.

## *Allata opinio refutatur.* *Cap. VIII.*

PRima huius viri oppoſitio eſt valida, ſed antiqua, & ante ipſum ad examen reuocata ab Alexandro in cap. de viſu, & à Zimara in ſuo theorem. 84. propterea non magnum mihi negotium faceſſet ipſius diſſolutio, qui ſententiam omnino amplector Alexandri eius loci, vbi quod attinet ad oculum, qui coloratus cum ſit, non videtur poſſe recipere colores, ſi vera eſt propoſitio, quòd omne recipiēs debet eſſe denudatum à natura recepti, reſpondet oculum à prædominio eſſe aqueum, ac diaphanum, ad hoc vt ſpecies colorum poſſit recipere, quæ nonniſi ſpiritaliter in diaphano imprimi potuerunt: at huius diaphani coloratio eſt adeò debilis, vt quaſi negare quis valeat eſſe colorationem, & habetur pro non colorato. ſicuti plurima vocantur inſipida, quorum ſapor ferè imperceptibilis eſt, non quòd omni ſint prorſus ſapore deſtituta, ſic Ariſtoteles tex. 71. lib. 2. de anima inquit, illud inuiſibile appellari, quod videri vix poteſt; oculus itaque ſeu partes eius ſunt adeò debiliter coloratæ, præſertim humor chriſtallinus animæ viſiuæ ſedes, & inſtrumentum, vt externorum colorum receptio, ab ipſarum colore prohiberi non poſſit; ac præterea quiſquis ſit in oculo color, is multò minor eſt

quàm

quàm appareat, nam propter ſubiectam ipſi carnem, vel os, quæ eſt materia denſa, & opaca, contingit eorum colorem per oculi ſubſtantiam veluti per ſpeculum quoddam translucere; qui tamen ſi per ſe abiunctus conſiſteret, perſpicuus admodum, & incoloratus ſpectaretur. Quod ad aliud oppoſitionis membrum de tactu, dicendum, quòd in qualitatibus primis duo ſunt conſideranda, ipſarum nempe mediocritas, & ipſarum exuperantiæ: tactus organum conſiſtit ſolummodo in quadam ipſarum mediocritate, quam propterea nequit ſentire, quando ſic recipiens permixtum eſſet cum natura recepti; earum igitur exuperantiæ duntaxat à ſenſu tactus percipiuntur, vt quibus eſt denudatus, quippe ipſarum ſola mediocritate perficitur, quæ planiſſima eſt Ariſtotelis doctrina lib. 2. de anima tex. 118. vbi ait (ſimile calidum, & frigidum durum, & molle non ſentimus, ſed exuperantias: tamquam ſenſu velut medietate quadam exiſtente eius, quæ in ſenſibilibus contrarietatis.) Ex tactus igitur actione remanet in ſuo robore aſſumptum illud Ariſtotelis, quòd omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti. Ad confirmationem, quam ſubdit Huarthes, quòd ſicut ſenſui non officit organum ad materialium perceptionem, quia ipſum organum non ſentit, ita nec officit intellectui, quia pariter ſuum organum non intelligit: Reſpondeo falſum eſſe antecedens, quòd ſupponat ſenſus organum cum obiecti natura eſſe commixtum, ex quo vult Huarthes inferre, ſenſus actionem, ideò non impediri ab organo, quia licet obiectum in organo contineatur, minimè tamen à ſenſu percipitur, ac ſentitur, nam ſi ſupponeret obiectum in organo non includi, quomodo concluderet ſenſum ab organo non impediri, quia ipſum non ſentitur? inanis herclè, ac futilis huiuſmodi eſſet illatio, quoniam ſenſus nõniſi proprium ſentire obiectum eſt aptus. At verò nos cum huiuſmodi ſuppoſitum euerterimus monſtrantes in viſu, ac tactu ſenſum ab obiecti natura nudatum eſſe, ſequitur etiam collabi rationem huiuſmodi ſuppoſito innixam, ideòque ſenſum non impediri ab organo, propterea quòd organum non ſentiat, verùm quia organum minimè in ſe obiectum includit, quem vtique incluſum ſenſus abſque dubio perciperet, ac ſentiret, proinde ipſius circa externa operatio penitus prohiberetur. Non poteſt igitur niſi hoc pacto à ſenſu ad intellectum procedere argumentum ex Huarthis mente: Senſus externi obiecti non impeditur ab organo, quia organum incluſum in ſe non habet huiuſmodi obiectum, ergo materialiũ cognitio in intellectu ab organo impedietur, quippe huiuſmodi materialia in eius organo minimè includuntur.

*Tactus ſentit ſolas qualitatũ primarum exuperantias.*

Valet huiuſmodi proceſſus, quoniam eatenus ſenſus, & intellectus ſtatuuntur poſſe recipere, quatenus ab obiectis receptilibus ſunt denudati, quæ fuit veritas principalis iam traditæ propoſitionis. Sed adeſt in con-

conſequente nugatio, dum ſupponitur intellectum habere organum, quod adhuc hic auctor non probauit. nos enim è contra, hoc ipſum diſcurſu conuincimus. Sicut ſenſus ad vnam tantùm obiecti materialis naturam, ac ſpeciem contractus potuit organum differentis naturæ, ac eſſentiæ obtinere, vt quo ad ſentiendum haud quaquam poterat impediri, ita intellectus ad omnem materialium naturam indiſtinctè noſcendam accommodatus, aliquam ſibi congeni tam materiæ, ſeu organi conditionem ſortiri non potuit, alioquin ab alicuius materialis cognitione fuiſſe impeditus, quæ fuit Ariſtotelis validiſſima demonſtratio, nec ampliore indiget probatione, cum in ſuperioribus ſuperque ſatis fuerit corroborata.

*Probatur intellectum carere organo.*

Secunda Huarthis oppoſitio diluitur per ea, quæ ſuperiùs adduximus interpretando, quomodo ab Ariſtotele intellectus dicatur qualis. Propriè ſola tantùm corpora ſunt qualia, vtpote propria qualitatum ſubiecta: latiùs dici poteſt aliquid eſſe quale, prout qualitati cuidam annexum, vt forma, quæ nedùm certas in materia qualitates requirit ad ſui exiſtentiam, ſed aliquas etiam requirit ad operationem, vt viſus præterquam quod ad exiſtendum, ſtatutas primarum qualitatum temperies expoſcit, quibus figura oculi, membranis, muſculis, & humoribus adaptetur, requirit etiam his in partibus diaphneitatem quandam, qua carens à proprio vacat actu viſionis. Hoc ſenſu deduxit Ariſtoteles intellectum fore qualem, ſi materialia organi ſubſidio deberet intelligere, quod ſicut viſus diaphneitate, ſic intellectus ſtatuta quadam conditione corporis niteretur, qua in ipſius organo impreſſa, dici amplius non poſſet reſpectu omnium immixtus, proinde minimè omnium capax exiſteret.

*Intellectus quomodo dicatur eſſe qualis.*

Diximus Huarthem poſt eliſas Ariſtotelis rationes, probare intellectum gaudere poſſe organo abſque eo quod corruptioni, & mortalitati ſit obnoxius, dijudicandum eſt breuiter, quàm hæc opinio validis fulciatur probationibus. Summa quidem eius vis in huiuſmodi argumento conſiſtit, quod ſicut dæmones, quibuſdam ſe ſubijciunt qualitatibus materialibus, quibus in corporibus degunt, & agunt, nec tamen ipſarum temperamento deſtructo corrumpitur ſubſtantia dæmonum, ita etiam anima rationalis, licet addicta temperamento, & organo, quippe inſtar dæmonis ſpiritualis, & incorporea eſt, minimè abolito huiuſmodi organo corrumpetur. Dæmones corpora hominũ obſidere tùm ex ſacris, tùm ex prophanis literis clarius eſt, quàm vt vlla ratione demonſtrari nunc debeat; pariter eos quibuſdam qualitatibus oblectari teſtatur fusè Franciſcus Valleſius Sacræ Philoſ. cap. 15. & 18. ac ſe in corpora melancolicorum faciliùs inſinuare, vnde dictum melancoliam eſſe pabulum diaboli, quamobrem in locis tene-

*Intellectum gaudere organo probatur ex Huarthe.*

*Dæmõ quibuſdã qualitatib. corporeis oblectatur.*

» bricoſis, ac ſordidis degere, vtpotè lucis oſores, ac ſorditiei parentes,
» vel infantiſſimis eſt perſuaſum, qui huiuſmodi loca, ceù dæmonum ſedes, naturali quodam impulſu abhorrere conſueuerunt. Cum igitur contingat vel euacuata ex corporibus melancolia, vel deterſis ab immunditie locis dæmonem fugere, non interire, ita dicendum de anima rationali, quæ cùm quaſdam in corpore qualitates requirit vt ipſum informet, tùm illis depereuntibus haud quaquam ipſam corruptionẽ ſubire neceſſe eſt. Prætereà ſicut cinerum ea eſt natura, vt alterationẽ corruptiuam ſuſcipere nullam queant, ipſarum enim frigiditas nullo vel vehementi calore obtundi poteſt, nec eius ſiccitas vlla humiditatis actione mutari; Ita etiam rationalis anima, quæ ſua natura incorruptibilis eſt, licet annexa organo, & primarum qualitatum actionibus implicita, ab omni prorsùs labe remanere poteſt immunis. Plurima idem auctor ſubdit, quæ ad hæc duo facilè rediguntur. Quod autem ad primum de dæmonibus aſſumptum, ſanè duplici de cauſa indignũ eſt hominis rectè philoſophantis acumine; primò enim quis ignorat dæmonem, cum propter infanda hominum ſcelera, & arcana iudicia permittatur à Deo ipſorum corpora obſidere, præuias nullas requirere diſpoſitiones, vtpote formam ſupernaturalem, diuerſo ab alijs naturalibus formis modo ad materiam ſe habentem? Poſteà dato, quòd inſtar illarum talem materiæ apparatum requirat, iàm cuique vel leuiter erudito patet, aliud eſſe exiſtentiam, aliud operationem formæ conſiderare: pro illa hic eſt neceſſarius apparatus, pro hac organum. Dæmon, & anima rationalis etiamſi indigeant illo, non æquè tamen hoc indigent, quia ille ad totum refertur corpus, in quo exiſtunt: hoc vnam tantùm notat partem, qua operarentur: ſed hac vel dæmonem, vel animam ad operandum non vti, ex iam dictis perſpectiſſimum poteſt haberi, quia ſic nulla ratione, vel dæmonis, vel animæ mortalitas vitaretur: vt enim habetur, lib. 1. de anima, tex. 13. Si contingit animam operari ſine corpore eſt ſeparabilis, ſi non contingit operari eſt inſeparabilis; ac illa eſt ratio, quia dum forma vtitur corpore, ſeu organo, deſtructo huiuſmodi organo ceſſat ipſius formæ operatio, propterea vel ipſa etiam deſtruitur, vel remanet otioſa, quod in rerum natura non admittitur. Soluitur itaque allata ratio, vel negando Antecedens, quòd nempe Dæmon, præuias quaſdam expoſcat in corpore qualitates, vel etiam concedendo: ac dum infertur, ergo dæmon & anima rationalis ei analoga gaudent organo, nec propterea ſequitur corruptibiles eſſe, diſtinguitur huiuſmodi conſequentia; nam illæ præuiæ qualitates vt exiſtendi tantùm conditiones vtrique inſeruientes, non autem ad operandum vt organum deſeruiunt, proindè non ſatis ex illis diſpoſitionibus formæ corruptibilitas, vel incorruptibilitas poteſt

*Dæmon vel anima rationalis ſi vteretur organo in corpore eſſet mortales.*

teſt

teſt induci. Ad aliud de cineribus aſſumptum reſpondemus, quod ſimilitudo à re materiali ad immaterialem, ſeu animam rationalem eſt admodum diſſentanea, nec ad hominem etiam probabilis: porrò negandum quòd cineres tranſmutari non poſſint in aliud, quia vt mixta ſunt, reſolui poſſunt in elementa, vt porrò ſunt terra, vel quid ei analogum, conuerti in aliud poſſunt elementum; cuiuſmodi conuerſionem perpetuò ipſa inter ſe viciſſim elementa patiuntur. Anima igitur rationalis (ſi in hac ſimilitudine inſiſtas) annexa organo alterabilis erit, cuiuſce tamen dicti abſurditas ab ipſo etiam Huarthe deuitatur. Sic igitur eliſis, exploſiſque huius viri contrà Philoſophum Sophiſmatibus, non eſt difficile Galeni de animæ rationalis natura tollere ambiguitates: non eſſe temperamentum ex Ariſtotele ſatis elicitur lib. 2. de anima tex. 40. vbi reijcit veteres, qui animam ſtatuebant eſſe calorem: pendere quoque à temperamento totius corporis, vel partis eſſentialiter, vel vt aiunt Scholaſtici ſubiectiuè, atq; organicè, ritu aliarum formarum, eſt etiam erroneum; quia ſic anima eſſet qualis, & illa ſequerentur abſurda, quæ ſuprà ex Ariſtotelis mente retulimus cap. 2. Ab ipſo itaque pendet, quoad exiſtendi modum, vt forma informans, pro quo particulares quædam qualitatum temperies in materia requiruntur; non ita tamen vt etiam ſeparata nequeat ſine his exiſtere: pendet præterea à temperamento per accidens, quatenus phantaſia eius miniſtra ſtatuto vtitur temperamento, vt phantaſmata ei poſſet in corpore offerre: in corpore inquam, vt in quo ſenſibilia per phantaſmata tantùm ab anima cognoſcuntur, ſicut inſenſibilia ſine phantaſmate ab ipſa ſeparata cognoſci poſſunt, ac ſecundum nonnullos etiam non ſeparata. Quòd igitur corpus nimio calore, vel frigore intemperatum anima deſerat; & quòd ob vnius cerebri alteratum temperamentũ, actiones animæ deprauentur; ſignum quidem hoc eſt, phantaſiæ organum malè affici, vel exiſtendi ei in corpore conditiones deeſſe, non autem ipſam vlla ratione lædi, quæ inalterabilis eſt: proptereà non ex ſolius temperamenti totius corporis, vel partium, ſed ex ipſa etiam animæ rationalis natura ipſa ingeniorum natura eſt haurienda, & explicanda.

*Galeni ſententia de animę rationalis natura reijcitur.*

*Tolet. lib. 1. de anima tex. 13.*

*Anima rationalis requirit temperamẽtum ad exiſtentiam, minimè ad operationem.*

## *Ingenij naturam ab rationalibus animis perfectione differentibus non prodire ad nonnullorum mentem.*

### *Cap. IX.*

HÆc ſententia non alia magis ratione conuincitur, quàm quæ à poſteriori deducitur ex accidentalibus hominum differentijs: alios enim doctos, alios prauos, alios memores, vel è contra dum inſpicimus, hæc ſubinde ſingula pariter in vno, eodemque homine adnotari contingit, qui ex memore immemor, ex docto inſcius, ex prauo bonus interdum euadit, vel è contra. Igitur vel eadem in ipſo ſubſtantialiter remanet anima, ſolis affectis corporis organis, ex quibus illa in homine ſucceſſiua oritur actionum mutatio, vel anima ipſa fit in eodem indiuiduo eſſentialiter alia, atque alia. Sed cum hoc ſit abſurdiſſimum, neceſſariò dicendum eſt, animam ad varias tantùm corporis alterationes in ſuis alterari actibus, atque inalterabilem in ſua remanere ſubſtantia. Quod ſicut in vno tantùm contingit homine, ita in alijs pariter eſt affirmandum, in quibus eædem ſeparatim qualitates notantur, doctrinæ, prauitatis, memoriæ, atque huiuſmodi, quòd nimirùm hæ quidem à varia pendeant corporis diſpoſitione, minimè ab ipſius animæ varietate, quæ ſecundum ſubſtantialis perfectionis gradus cũ cæteris omnibus æqualis exiſtit. Idem præterea efficax alia ſuadet ratio ex Metaphiſicorum doctrina eruta; addere namque gradum ſubſtantiæ eſt ſpeciem variare; ſi ergo huic animæ adſit ſubſtantiæ gradus, qui non extet in altera, erit vtraque anima ſpecie differens, & ſic diuerſæ hominum dabuntur ſpecies, quæ conſtabunt his animis, quod eſt omnino ridiculum, & ineptum. Quòd aliqui aſſerunt Ariſt. in lib. 2. de generat. animal. cap. 3. dicere animam, prout perfecta magis, vel minùs exiſtit, corpus præparare magis, vel minùs perfectum, ac propterea conſtitui ab ipſo animas ſubſtantiali gradu diſtinctas, concedimus hoc de diuerſis animarum ſpeciebus, de quibus inibi Philoſophus loquitur, ſcil. ſenſitiua, vegetatiua, intellectiua, non autem de ijs, quæ ſub eadem ſpecie continentur. Quòd etiam alij cenſeant iniquum, animam Chriſti Domini cum anima ruſtici, vel hæretici idiotæ cum anima D. Thomæ doctiſſimi ac religioſiſſimi, vel animam ſtupidi cum anima Platonis æqualem eſſe, dicimus nullum hæc in naturali philoſophia inducere inconueniens, ſi ad varias corporum temperies referantur, quibus anima ceù proprijs ad agendum inſtrumentis vtitur: ſicut enim ego huiuſmodi calamo rectè ſcribo, ſi ſit aptus, malè autem, ſi ineptus, nec tamen mea mutatur eſ-

entia ,

ſentia, ita de anima reſpectu ſuorum inſtrumentorum eſt habendum, quod nimirum ea mutantur, ſed ipſa remanet immutabilis, prout inferiùs eluceſcet magis.

## *Vera de ingenio ſententia explicatur.* *Cap. X.*

VT eò iam noſter referatur ſermo, vnde difluxit, poſt veterum de ingenio varias opiniones, afferenda eſt in medium ea, quam minùs à vero, & Ariſtotelis philoſophia diſſonam arbitramur. Illud aſſerendum eſt in primis, quòd cum animæ intellectiuæ duæ habeantur notiones, in quarum prima perpenditur vt ſubſtantia quædam immaterialis, & abſtracta, in ſecunda, vt principium, & forma corporis naturalis organici, nos in præſentia ipſius cōſiderationem ad corpus dumtaxat arctamus humanum; ita vt quidquid de ipſius facultatibus, & potentijs dicendum ſit, id à reſpectu corporis nequaquam poſſit abduci. Inſuper conſtituendum eſt, quod potentia, & facultas vel eſt in intellectu remota, vel proxima. Remotam dicimus, quando intellectus non niſi temporis interuallo proferre poteſt actus intellectiles, proximam cum breuiori tempore poteſt hos actus exercere. Intellectus à ſuo quidem ortu protinus ad agendum eſt aptus: itaque potentia remota dicitur ei connata, & inſita; proprias autem cum ſtatim nequeat actiones obire, niſi certa quadam ab ortu diſtantia, non dicitur ei connaſci potentia proxima, ſiue promptitudo, & habilitas intelligendi, quæ temporis breuitate ab ipſo etiam Ariſtotele definitur, ſicut inhabilitas tēporis longitudine 1. Rhetor. tex. 257. Huiuſmodi autem carentiæ cauſa in homine ſtatim nato minimè ad ipſum referenda eſt intellectum, qui in actu ſuæ creationis à Deo induit cùm naturam perfectiſſimam, tùm ad quamcumque functionem maximè promptam, & habilem, ſed ad conditionem corporis eſt referenda, quod licet ſecundum totum à natura omnibus numeris abſolutum gignatur, tamen ſecundum aliquas ſui partes indiget perfectione per ſucceſſionem temporis adiungenda, nēpe ſtatutis quibuſdam temperiebus in membris, quæ vel motum debēt exercere, vel ſenſum, vel imaginationem, ideò propter huiuſmodi diſpoſitiones ac temperamenta, quæ lapſu quodam temporis in homine debent acquiri, non ſtatim in ipſo gignitur potentia actui proxima, nec ſtatim in ipſo facilis emergere poteſt intellectio: quòd enim intellectus corpore ad operandum indigeat, ſuperque ſatis in ſuperioribus explicauimus; non inquam corpore, vt organo, ſed facultate corporea, & organica ſibi obiecta repręſentante, qualis eſt phantaſia. Porrò hæc

*Intellectus potentia eſt duplex proxima, & remota.*

po-

potentia proxima maximè explicatur per ſenſus actionem, & intellectus in habitu vocati naturam, quæ ab Ariſt. tex. 8. lib. 3. de anima conſideratur. Senſus oritur cum potentia operandi tàm proxima, vt abſq; vllo temporis interuallo tranſire poſſit ad actum, vt infans vix ex vtero proditus incipit ſenſu vti. Intellectus in habitu ex Ariſt. loc. cit. fit habilitate quadam ex frequentatis intelligendi actibus comparata, quam intellectus antea non habebat; ſicut manus in initio ad ſonandum inepta, mox aſſuetudine quadam contrahit aptitudinem, ac facilitatem ſonandi, propter quam nihil in ipſa manu remanet ſuperadditum, ita intellectus cum tamquam tabula raſa, & potens omnia fieri, ac veluti rudis ad rerum omnium cognitionem oriatur, poſtea ſe labore, ac ſtudio exercens, contrahit habitum ſiue aptitudinem intelligendi, qua deinceps multò citiùs, ac promptiùs circa rerum notitiam, ac ſpeculationem verſatur. Huiuſmodi ſenſus, & intellectus in habitu ad agendum aptitudo eſt illa potentia proxima, quam nos antea deſcripſimus, quæ licet ſenſui ſit connata, tamen non eſt connata intellectui, ſed acquiſita, cum ſolùm ei per interualla temporis comparetur.

*Intellectus ĩ habitu natura explicatur.*

Ex his tria colliguntur, quibus natura ingenij aptiſſimè definitur. Primum eſt, ingenium non eſſe potentiam animæ remotam, ſed proximam. Secundum, ingenium eſſe potentiam animæ intellectiuæ, ac ſenſitiuæ, nimirum phantaſiæ communem. Tertium, non eſſe potentiam ſolius animæ intellectiuæ, nec ſolius phantaſiæ ſeparatim, ſed vtriuſq; ſimul complicatæ, ita tamen vt ex earum nexu reſurgat cognitionis facilitas, in qua formalis ingenij ratio conſtituitur.

*Tres concluſiones probãdę de ingenio.*

Primum per ſe videtur ſatis eſſe perſpicuum, quippe ſuperius ex cõmuni hominum conceptu, aſſumpſimus ingenium eſſe facilitatem cognoſcendi quandam, ſeu potentiam animæ proximam, hæc enim ſola, vt diximus operandi promptitudine, atque habilitate ſancitur: potentia verò operandi remota, tùm quia caret huiuſmodi facilitate, tùm quia omnibus hominibus eſt communis, minimè ad ingenij naturam pertinet explicandam, qua ſingulare quoddam in homine, ac excellens notatur; licet autem etiam intellectus, quem diximus in habitu, ſit animæ potentia proxima, tamen differt ab ingenio, quoniam hoc eſt potentia connata; intellectus in habitu eſt potentia (vt diximus) acquiſita: hinc Ariſt. 6. Ethic. cap. vlt. bonam aptitudinem appellauit virtutem naturalem à virtute, quæ habitu adſciſcitur, differentem. Conſcitur ingenium ex communi omnium, vel inertiſſimorum ſenſu, quippe ingenium, quaſi hominibus ingenitum, ac excellenti prępotentis naturæ munere in homine vix formato putant exoriri. inde trita Philoſophorũ vox, quod natura facit habilẽ, cui contraria eſt illa: Nihil inuita Minerua, nempe incaſſum ſe in ſtudijs, ac ſcientijs exercere eum,

*Vide Acciaiol. Cõm. lib. 10. cap. vlt. ĩ initio.*

*Ingenium in hominib. naſcitur nõ autem acquiritur.*

cui

cui Minerua, ſeu natura docile ingenium denegarit.

Cum igitur ingenium ſit animæ potentia proxima, deducitur ſecunda cōcluſio, ſcil. eſſe potentiam animæ intellectiuæ, ac phantaſiæ communē. Quòd ad intellectum attineat, ſatis percipitur ex ſingulorum actionibus, quas ingenioſas vocamus, hæ namque à ſubtili cauſarum comprehenſione, promptoque rerum diſcurſu, ac indagine non diſtinguuntur quas prorſus eſſe operationes ab intellectus natura dependentes perſpicuum eſt. Sed eandem potentiam ad phantaſiam quoque attinere, ceu ad cauſam materialem, atque efficientem conſtat, quoniam hæc potentia, fit proxima per additum corporis adiumentum, ſiue ob adeptam in quibuſdam corporis organis perfectionem, quæ non niſi phantaſiæ organa eſſe poſſunt, cum intelligentem neceſſe ſit phantaſmata ſpeculari; concurrit ergo ad ingenium phantaſia, vt eius materia, ratione huius organicæ diſpoſitionis, ſed concurrit etiam vt agens, ac efficiens proprium & adæquatum ingenij, quia ſicut in intellectus actionibus notatur excellentia quædam, ob quam ingenij actiones vocantur; ita in actionibus phantaſiæ, puta in imaginando, talis adnotatur habilitas, ac perfectio, vt eas liceat appellare actiones ab ingenij vigore prodeuntes, quod optimè in pictura, ſtatuaria, & machinarum tùm bellicarum, tùm ciuilium artificio, alijsque mechanicis deprehendi poteſt operibus; fiunt enim hæc ſingula à phantaſiæ virtute, quia ſunt particularia, circa quæ parùm occupatur intellectus, qui ſola vniuerſalia diſcurſu, & ratione contemplatur: multi verò ita in huiuſmodi machinis excellunt, vt mirabilia quotidie facere videamus, quos propterea proprio nomine ingenioſos nuncupamus artifices, vt plurimùm magnorum principum miniſterijs dicatos.

*Phantaſia eſt cauſa materialis, & efficiens ingenij.*

Eſt igitur phantaſia verè actionum effectrix excellentium ſiue ingenioſarum, eique iure optimo perinde atque intellectui licet attribuere ingenium, vt potentiam ab eius natura manantem. Verum eſt quòd intellectus eſt ingenij efficiēs commune, nobiliſſimum, ac primarium, vt qui vltima, & ſpecifica eſt hominis forma; phantaſia verò eſt efficiens ignobilius, ac ſecundarium; quinimmo ſolus intellectus verè dici poteſt efficiens; phantaſia verò tantum vocari materia, quia ſiue in homine ſint plures animæ vt formæ inter ſe realiter diſtinctæ, quod nonnulli voluerunt, ſiue in homine ſit vna tantùm forma intellectiua, in qua ſenſitiuæ, ac vegetatiuæ inſint potentiæ, ſicut triangulum in quadrangulo virtute continetur, tamen ſemper in illis adeſt ſubordinatio ignobilioris ad nobiliorem, ad ipſum ſcil. intellectum, tamquam ad vltimam, ac perfectiſſimam hominis formam, cui propterea ſoli omnes aliarum attribuere licet potentias, vt à quo coarctantur, ac modum operandi ſpecialiorem acquirunt. Hac itaque de cauſa vocari poteſt.

*Intellectus eſt cauſa efficiens ingenij primaria, phantaſia ſecūdaria.*

poteſt ingenium ſolius animæ intellectiuæ potentia, verùm quia phantaſiam in ſua natura ſemper implicat vt materiam, atque vt efficiens, ideò maiori huius doctrinæ, quam inquirimus euidentia ingenium communis intellectus, ac phantaſiæ potentia dicendum eſt.

Cæterùm dubitet aliquis an phantaſia tanquam efficiens in omni concurrat ingenio: nam multos quidem in intellectiuis aduertere licet ingenioſiſſimos, puta vel in Theologia, vel Philoſophia, vel Theorica Medicinæ, atque Aſtrologiæ, quorum tamen nullam in actiuis, ſiue in phantaſiæ operibus, conſpicimus excellentiam, quæ cum in harmonia, figura, & proportione quadam conſiſtant, vt Eloquentia, Muſica, Geometria, ars Militaris, Politica, Pictura, Vrbanitas, & huiuſmodi aliæ, nonnullos alioquin perdoctos in ſcientijs, eis penitus exutos animaduertimus, quos propterea velut abſtractos à ſenſibus, ac eruditos quoſdam aſinos ſolemus nuncupare, vt de leggiſtis dictum: merus leggiſta, merus aſinus; hinc Plato vitã animi eſſe corporis mortem pronunciauit, quaſi exprimens hominem intellectu pollentem in ijs, quæ ad corporeas attinent facultates minùs idoneum eſſe; ſic Diogenis in agendorũ vſu innoteſcit ineptia, ſic Heracliti perpetuò lachrymantis, vel Democriti perpetuò ridentis conſtant hiſtoriæ, vt aliorum plurium, qui contemplationis laude floruerunt. Nullam igitur cùm in his phantaſia promere videatur excellentiam, ſed intellectus dumtaxat eniteſcant munera, nõ planè videtur phantaſia concurrere in ipſorum ingenio tanquam efficiens, ſed vt materia tantùm, ob quam potentia intellectiua perficiatur.

*Ingenia cõtemplationi apta ĩ actione non valent.*

Ex aduerſo tamen diximus phantaſiam eſſe per ſe, ac proprium ingenij efficiens, ac dictum per ſe præſupponit dictum de omni, & ſemper 1. Poſter. tex. 15. ac ſuadet ratio in omnibus ingenijs requiri perfectam phantaſiæ operationem; quia dictum eſt potentiam intelligendi proximam emergere ex perfectione organi phantaſiæ, ſed cum perfecto organo phantaſia non poteſt nõ niſi ſuas perfectè functiones obire, cum ab organis rectè diſpoſitis recta pendeat facultatum operatio, ſicut inquit Philoſophus, ſi ſenex haberet oculum iuuenis, videret vt iuuenis: Phantaſia igitur etiam in ingenijs, quæ ſpeculatiua, ſiue intellectiua vocamus, aliquam debet excellentem edere actionem circa particularia, proinde in omni ſemper concurrit ingenio, nedum vt materiale, ſed vt efficiens eius principium.

Soluitur difficultas pro hac parte affirmatiua dicendò, in omni ſemper ingenio aliquam requiri præſtantem phantaſiæ operationem ob rationem propoſitam; quia re vera phantaſia primùm debet rectè percipere, & cognoſcere obiectum, ad hoc vt ab intellectu poſteà rectè cõſpici, ac iudicari poſſit. Ergo licet plurimi in Theoricis ac ſpeculati-

*In omni ingenio requiritur bona phantaſię actio.*

nis

uis inſignes verè in agibilibus præferant ineptitudinem, & craſſitiem quandam, proinde phantaſiæ vigore carere videantur, quod conſiderauit Zimara in Problematibus ſuis, tamen ſciendum phantaſiam duplicem habere actionem, aliam immanentem, aliam tranſeuntem: hæc ab actu cognitionis tranſit ad opus; illa in actu cognitionis quieſcit. Tranſiens dicit politiæ exercitium, necnon conſtructionem particularium operum, vt horologiorum, ſtatuarum, machinarum. Immanens dicit exquiſitam comprehenſionem ſpecierum phantaſticarum, per quas ſingula perfectè imaginamur obiectorum accidentia, tanta interdum intenſione, vt aliàs anima velut in ecſtaſim rapiatur, aliàs rem abſentem ſibi oculis ſubijci ementiatur, aliàs velut in bacchis, ac ſybillis (ex Ariſtotelis ſententia) futura prænunciet, aliaſq; admirabiles forment intentiones, quæ ad nullum extenduntur opus.

*Phantaſiæ actio eſt duplex. Immanens, ac trãſiens.*

Ingenia ſpeculatiuis apta, actiuis autem inepta, præſtant immanente phantaſiæ operatione, quia contingit eorum organa tali dotata eſſe calore, vt ſicut hic excellenti ſenſibilium terminorum cognitioni deſeruit, ex quibus intellectus vniuerſales efficiat prædicationes, ità rerum executioni non ſufficit, quæ vlteriori caloris gradu perficitur. Huiuſmodi ſunt ex gr. Philoſophorum ingenia non æquè apta ciuilium operum vſui, ac ſint captui diſciplinarum, quales extitiſſe dicuntur Iacobus Zabarella, & Franciſcus Picollomineus eius ſeculi lumina. Sunt etiam ingenia Medicorum, qui cum in Theorica medicinæ, quæ ad intellectus potentiam attinet excelluerint, in practica, quæ ad phantaſiã ſpectat, vt plurimum defecerunt, quales Ioannes Argenterius, Bernardinus Paternus, Horatius Augenius perhibentur, quorum intellectus in medicis Problematibus omnium conſenſu cenſebatur eminentiſſimus, at in particularium curationibus exercendis, infęliciſſimi omnium ſunt habiti. In his aderat phantaſia præſtans in interna ſua actione, ſiue in recta talium obiectorum, ſeu medicorum terminorum cognitione, ſed impotens ad externos euadebat actus, caloris deficiente vigore. Idem tenere licet de ijs, qui in alterius ſcientiæ ſpeculatione ingenioſi, in alijs actionibus propè ſtupidi iudicantur. Sic apparet quomodo phantaſia ſemper in ingenio tanquam efficiens principium dicatur concurrere; vnde ſtatui rectè poteſt ingenium eſſe potentiam, nedum ab intellectus, ſed à phantaſiæ viribus prodeuntem.

*Ingenia Philoſophorum & Medicorum actiuis parùm apta & cur.*

His ità ſe habentibus tertia emergit concluſio, quòd nempè ingeniũ conſiſtat in cognitionis facilitate, ex intellectus, ac phantaſiæ vinculo in indiuiduo reſurgente: hoc probatur, quia ſi hæc facilitas ſoli per ſe poſſet competere intellectui; ſequeretur illud, quod ſuperiùs reiecimus, ſcilicet ingenium potentiam eſſe remotam, nõ proximam, qualem conſtitui diximus non ex ſolius intellectus, ſed ex corporis etiam

adiuncta virtute: ſi autem ſoli poſſet competere phantaſiæ, ſequeretur ingenium perfectiſſimam omnium in homine functionem ab imperfectiore forma prodire, qualis phantaſia reſpectu intellectus exiſtit, quod omninò eſt inconueniens, cum in eodem intellectu, qui vltima eſt hominis forma, omnes vt oſtendimus aliarum animarum virtutes contineantur. Eſt igitur ingenium vtriuſque animæ inſimul copulatę potentia; neque talis copula aliter, quàm in indiuiduo fit; non tamen in eo, prout ſunt hominis formæ abſolutè acceptæ ingenium pariunt, (quia ſic ſingula indiuidua potirentur eo, quod ſenſus non docet, cum plurimi torpore quodam mentis præditi nullam præferant, vel in ſcientijs, vel in agibilibus habilitatem,) ſed tantùm prout tales ſunt formæ in tali coeuntes materia, ſeù potiùs talem exiſtentiam acquirentes: hæc exiſtentia nihil eſt aliud, quàm accidens quoddam additum eſſentiæ, à quo vt forma acquirit modum quendam eſſendi, ità acquirit modum operandi quendam, quatenus ad exiſtentiam concurrunt indiuiduæ quædam materiæ diſpoſitiones, & accidentia, à quibus actio formę dependet, & ob quæ hoc indiuiduum ab alio diſtinguitur. Facilitas intelligendi, vel imaginandi eſt operandi modus, quem humana anima nō niſi per talis exiſtentiæ, ſeu talis materiæ nexum acquirit, qui propterea in omnibus non inuenitur, ſed in paucioribus; ſicut enim ignis faciliùs agit in pice, quàm in lapide, ſic anima promptiùs in hac, quàm in illa materia agere nata eſt; hanc autem eius actionis facilitatem ingenij deſignare quidditatem, & formam compertiſſimum eſt. Neceſſaria igitur eſt intellectus cum phantaſia in tali materia, ſeu talibus organis complicatio, vt homo fieri dicatur ingenioſus, quod idem eſt, ac ſi dicamus, ingenium ob animæ duntaxat exiſtentiam in homine excitari.

*Ingenium eſt qualitas indiuidui.*

*Ingenij quatuor cauſa.*

Hinc apparet efficiens, materia, formaq. ingenij: efficiens eſt vtraque iam dicta facultas, efficiens inquam vt vocant per emanationem: materia eſt temperamentum ſiue organum phantaſiæ, cæteræque partes huic organo conferentes, quas proponemus infrà: forma eſt comprehenſionis facilitas ex harum facultatum in tali ſubiecto connexione reſurgens: de finali ſatis patet: ingenium ideò hominibus datum, vt ſecernant meliùs verum à falſo, & bonum à malo, qua ratione perfectiores euadunt, diuinæque menti proximiores; ideoque Ariſtoteles 2.Top.cap.2. animam ingenioſam ex Zenocratis ſententia eudemonam eſſe ait, ſeu quid ſupereminens, & excellens. Porrò ex iam dictis inferimus, ingenium eſſe accidens indiuidui non ſpeciei: deducimus etiam, quòd cum innumeros humana anima ſortiatur exiſtendi, & operandi modos (prout ex varia elementorum miſcella, infiniti enaſcuntur temperamentorum gradus, qui varijs humanæ ſpeciei indi-

*Ab exiſtendi modo quē anima ſortitur in materia ſumūtur differentię ingeniorum.*

uiduis

uiduis,eorumq. operationibus adaptantur) ex eis duntaxat tàm variæ mirabileſque in hominibus ingeniorum differentiæ deſumi debent.

## *Prædictam de ingenio ſententiam Ariſtotelis dogmatibus conſentire. Cap. XI.*

CÆterùm debet allata opinio, quam veriſſimam puto in Ariſtotelis deſignari locis, ex quibus abundè ſatis, licet ſparſim elicitur. Pertinere quidem ingenium ad phantaſiam, eſt inſignis doctrina Probl. primi partic. 14. vbi quærens: Cur moribus efferatis ſint homines in regionibus, vel nimis calidis, vel nimis frigidis habitantes. Reſpondet id accidere propter harum qualitatum exceſſus, quibus intellectus apprimè læditur, ſicut ab ipſarum mediocritate multùm iuuatur. Sed quomodo calor, vel frigus poteſt afficere intellectum, quem ſuprà immiſtum, inaffectum, inalterabilem ex eius placitis conſtituimus, & carentem prorſus organo, & à nullius partis temperamento pendentem? Certè non alio modo intellectum ab his qualitatibus iuuari, vel lædi potuit Ariſtoteles intelligere, quàm ad affectionem organi phantaſiæ, quod cum multas in diuerſis hominibus ſubire temperierum mutationes poſſit, intellectus etiam actio multipliciter variatur; qui phantaſia, vt diximus neceſſariò vtitur ad operandum. Quam interpretationem approbat etiam Conciliator in ſuo Commentario. Ergò bonum intellectum, ſiue ingenium, reſtringit Philoſophus maximè ad bonã phantaſiæ diſpoſitionem. Clariùs Probl. 1. ſect. 30. quærens: cur homines, qui claruerunt ingenio, ac literarũ fama ſemper ferè habitu melancolico extiterunt, refert huius rei cauſam in atram bilem, cuius naturam appoſitè explicat ſimilitudine vini; ſicut enim potus vini vberior reddit hominem loquacem, multus reddit confidentem, & adhuc plenior reddit audacem, nimius reddit temerarium, inſanum; & vlterior torporem inducit infringendo, ac reſoluendo vires; ità qui mores in eodẽ homine variantur ob varium vini potum, fiunt etiam in diuerſis hominibus, ob varios atræ bilis, tùm in quantitate, tùm in qualitate gradus, qui eis ab ortu ſuo contigerunt; hic enim humor, naturæ admodum inæqualis exiſtit: quandoque frigidus, vt terra, quandoque igneus, vt calx eſſe poteſt; ideò prout contigerit huic vel illi varia huius humoris portio, ac temperies, fit vt alij attoniti, alij viuidi, alij prudentes, quidam in ſcientijs, nonnulli in artibus, vel in Rep. eniteſcant, plurimi etiã ob intenſum atræ bilis calorem, qui in loco ſedi mentis proximo accenditur, ſpiritu limphatico efferueſcant, ex quo Sibillæ (vt ait) & bacchæ

*Ingenioſi et literati ferè ſẽper fuerunt melancolici.*

fieri conſueuerunt. Non poteſt herclè Philoſophus ſuam de ingenio ſententiam planiùs ſignificare: ſi varia ſingulis emergunt ingenia ob variam atræ bilis conſtitutionem; hæc verò non locum mentis (quo ipſa caret,) ſed locum menti proximum afficit, qui ex iam dictis alius eſſe nequit, quàm phantaſiæ, igitur ingenium à vi phantaſiæ maximè conſtitui, ac pendere dicendum eſt. Inſuper ex tex. notabili in Phyſiognomicis de ſignis ingenioſi, luculenter eadem aſſertio poteſt corroborari: hæc ſunt eius verba. (Ingenioſi ſigna. Caro humidior, & mollior, non boni habitus, neque valdè pinguis: quæ circa humeros, & collum macriora, & quæ circa faciem.) Cum hoc, textus ille 94. lib. 2. de anima conſentit, vbi habetur: (molles carne eſſe ingenioſos, duros carne minus.) Ex his omninò arguitur, ingenium ſtatuta quadam corporis conditione, ac temperie gaudere. At intellectus nulli addictus eſt corporis temperiei, alioquin eſſet calidus, & frigidus, vt ſuprà probauimus. Igitur ingenium non eſt potentia tantùm intellectus, ſed alterius etiam facultatis, quæ huiuſmodi temperie, qualẽ Ariſtoteles exprimit perficiatur: hæc facultas ex internis non eſt ſenſus communis, qui circa abſentia obiecta verſari non poteſt, quod facit ingenium: non memoria, quæ cognoſcens non eſt, ſed recipiens tantùm ſpecies obiectorum, ergo ſola remanet phantaſia, cuius perfectione ab idonea corporis temperie, ac diſpoſitione genita reſultet ingenium.

*Probatur ingeniũ eſſe potentiã intellectui ac phãtaſię cõmunem.*

Si vera hæc ſunt in vberrima Peripateticorum dogmatum ſilua, deducitur ad noſtræ de ingenio ſententiæ validitatem tutiſſima ratio. Ingenium ex Ariſt. prodit ex congrua qualitatum proportione, quibus humanum corpus, ſeu phantaſiæ organum temperatur. Sed homo ſecundum Ariſt. dicitur ingenioſus, non per ſolam hanc phantaſiæ diſpoſitionem, ſed potiſſimùm per animam intellectiuam. Ergò ingenium ex eius ſententia, communis phantaſiæ, & animæ intellectiuæ facultas dicendum erit. Maior ex proximè adductis ſatis eſt euidens. Minor etiam probata in ſuperiori capite, vbi facultates omnes in homine ſoli attribuendas eſſe animæ intellectiuæ docuimus per tex. 31. lib. 2. de anima, in quo habetur, vegetatiuam in ſenſitiua, & hanc vtranque in intellectiua, tanquàm triangulum in quadrangulo contineri. Poſteà probatur etiam ex lib. 3. Moral. cap. 5. vbi definitur ingenium facultas rectè diſcernendi quod verè bonum eſt: ſed boni diſcretio ſoli competit animæ intellectiuæ, ergo etiam ingenium. Minor patet, quia diſcretio non fit niſi per comparationem rei ad rem: ſenſus non comparat, ſed occupat ſe duntaxat circa vnum præſens: phantaſia vnit, non comparat res, quia comparare eſt duo ſeparatim conſiderare: phantaſia vnit montem, & aurum, non tamen ea tanquam duo diſtincta cognoſcit, ſed tanquam vnum, nempe montem aureum: ſolus intellectus res

inter

inter ſe comparat, quia duo ſub ratione duorum cognoſcit, ideò poteſt etiam ex ijs diſcernere quod bonum eſt.

Igitur ingenium, ſiue homo ingenioſus, cuius eſt rectè diſcernere, talis præſertim dicetur ob intellectum. Hæc ſingula vt pertinent ad probationem ſecundæ concluſionis, ità pertinent etiam ad probandum, quòd phantaſia tanquam efficiens, ac tanquam materia ad ingenij naturam concurrit. Vtrunque autem ſignificat Ariſtoteles, dùm locis allatis vult bonam corporis temperiem, ſiue vt nos interpretamur bonam organorum phantaſiæ diſpoſitionem conferre hominibus ingenium; vt enim ob hanc bonam diſpoſitionem, phantaſia denotatur eſſe ingenij cauſa materialis, ità ob ipſius operationem præſtantem, quæ neceſſariò ex huiuſmodi organorum diſpoſitione reſurgit, efficiẽs cauſa dicitur euadere.

Ex ijſdem etiam Philoſophi locis apparet tertiæ confirmatio concluſionis; dum enim ait, vel qualitatum primarum mediocritatem, vel varios atræ bilis gradus, vel mollitiem carnis, & malum corporis habitum, & colli macritiem, conſtituere, atque oſtendere hominem ingenioſum; quid aliud eſt, quàm animæ exiſtentiam conſiderare, quæ cõditionibus quibuſdam corporeis, & indiuiduis temperamenti lætatur gradibus, vt parere poſſit ingenium? Ergò in indiuiduo duntaxat ingenium ab Ariſt conſideratur, cum indiuidua ſola accidentium collectione à Porphirio deſcribãtur; ingenium proptereà ex intellectu & phantaſia, vt cum talibus materiæ accidentibus iuncta iuxtà Philoſophum reſultabit.

Concludamus ex allatis ſcientificam, & veram ingenij definitionẽ, quæ talis eſt. Ingenium eſt vis, & potentia intellectus, & phantaſiæ, qua ſimul in indiuiduo iuncta, difficilia cognitu facilè comprehendunt. differt hæc definitio ab alijs in primo capite memoratis, quippe illæ per ſolam aſſignantur formam, quæ cognoſcendi facilitas eſt, hæc alias omnes ingenij continet cauſas, ex quibus euadit perfectior. Ad exactiorem igitur ipſius explanationem, de medio tollendæ ſunt aliquæ difficultates, quæ poſſent ex allatis emergere, ex quarumque diſſolutione maximè definitionis præſtantia patefit iuxtà Philoſophum 4. Phyſ. tex. 41.

*Ingenij vera definitio.*

An

## *An bonum habentes intellectum bonam habeant phantaſiam, & è contrà, vbi de Iudicio multa.* Cap. XII.

CVm ex ſuperiùs traditis neceſſaria illatione colligatur, quòd bonus intellectus, & bona phantaſia in omni ſemper coeant ingenio, ità vt mutuus vtriuſque facultatis, inſeparabiliſque in ingenij natura ſit vigor, hoc tantùm abeſt, vt ab Huarthe atque alijs concedatur, quòd potiùs intellectum, & phantaſiam eſſe facultates admodum contrarias aſſerant, quarum apices rariſſimè in eodem coire poſſint ſubiecto. Diſcutienda eſt huiuſmodi opinio ad euidentiam fundamenti, quod eſt noſtræ ſententiæ præcipuum. Afferunt rationes, quòd phantaſia calore perficitur, intellectus potiùs frigore, cum dixerit Philoſophus, lib. 2. de partibus animal. cap. 4. animalia frigidum, ac tenuem ſanguinem habentia eſſe ſapientiora, ergo tales potentiæ inter ſe contrariantur. Porrò phantaſiæ obiectum eſt materiale, ac ſingulare, quò igitur ipſum perfectiùs cognoſcet phantaſia, eò magis conditionum materialium eiuſdem obiecti ſpecies in eadem imprimentur. Sed ſic erit difficilioris abſtractionis penès intellectum, qui circa vniuerſale obiectum duntaxat occupatur. Experientia præterea docet, pictores, qui ad viuum hominum imagines exprimunt, id vna præſtare phantaſiæ perfectione nullo ferè, vel præcedente, vel ſubſequente intellectus diſcurſu, quia eiuſmodi excellentia ſolùm conſiſtit in vnius particularis inſpectione, quæ intellectus functio non eſt. Datur ergo phantaſię bonitas abſque bonitate intellectus. Hoc idem argumentum videtur militare de practica medicinæ, in qua multi excellunt abſque magna Theoricæ notitia: Item de alijs artibus, vt ſtatuaria, poetica, oratoria, mechanicis, in quibus excellens videtur vigere phantaſia, abſque excellentia intellectus. Demùm eſt auctoritas Galeni 3o. de Simpt. differ. cap. 3. vbi dicit intellectum quandoque lædi non læſis imaginatione vel memoria, & affert exemplum cuiuſdam, qui vaſa domus adſtantibus petens proprijs ea nuncupabat nominibus, ſed poſteà tranſeuntibus proijciebat. Is non ægrotabat phantaſia, quia vaſa cognoſcebat, non memoria, quia recordabatur nominum: læſus igitur erat intellectus, quia proiectionis damnum minimè percipiebat; proinde bona vel mala intellectus operatio à phantaſiæ diſpoſitionibus nō dependet.

*Quattuor rationibus pbatur phātaſiam bonā necti non poſſe cū bono ītellectu.*

His ac huiuſmodi alijs vt ſatisfiat argumentis, adnotanda ſunt aliqua, quibus veritas noſtræ concluſionis fulcitur. Primò intellectum vel accipi ſtrictè, prout ſolas tres ſuas ſignificat operationes, apprehenſionem

*Intellectus ſumitur duplicitèr.*

ſionem, compoſitionem, & diſcurſum, vel latè, prout cum his etiam complectitur iudicium. Secundò iudicium ſumi, vel æquiuocè pro qualibet proprij obiecti cognitione, quo pacto ſenſus dicitur iudicare, & colores, & ſapores, & alia; vel propriè ſumi pro reflexione, ſeu ventilatione, quam facit intellectus ſuper verum, & falſum in ſpeculatiuis, ac ſuper bonum, & malum in moralibus; eſt enim iudicium tanquam ſtatera, ad quam concluſiones omnes, quas intellectus ratione collegit reuocat æſtimandas, ac rependendas. Tertiò, quattuor caloris gradus in phantaſiæ organis conſiderari poſſe, primum leuem, qui permouet, non reſoluit. Secundum vegetum, qui humiditates reſoluere, rareface-re, purificareque ſpiritus eſt potis, ipſoſque maximè mobiles, ac verſatiles reddere. Tertium vehementem, quo nedùm ſubtiliores mixti partes reſoluuntur, ſed etiam aliquatenus aduruntur & exſiccantur, qualis melancolicorum, ſibillarum, & ecſtaticorum proprius. Quartum inflammantem, qui maniacis, ac delirantibus obuenit.

*Iudiciũ accipitur dupliciter.*

*Caloris quatuor gradus conſiderantur.*

Ex hiſce fundamentis ſtatuimus, intellectum ſtrictè acceptum ſtare poſſe cum phantaſia, etiamſi tertio caloris gradu dotata ſit, quod euidens firmat ratio, quippe à noto ad ignotum diſcurrere, à cauſis ad effectus procedere, argumentarique nonniſi motus celeritatem oſtendunt, ſpirituum penetrationem, agilitatem, ac recurſum, quæ propriæ ſunt ignis virtutes; propterea vehementem habentibus phantaſiæ calorem, non repugnat optimum habere diſcurſum, ad ſcientiaſq. maximè habile ingenium: qua forſan temperie præditus erat Cardanus, qui etſi fateatur de ſe ipſo, ſæpiùs in ecſtaſim rapi conſueuiſſe caloris exceſſu; tamen intellectiua admodùm pollebat virtute in ſcientiarum arcanis, quod eius egregia teſtantur ſcripta. Verum eſt ęquidē hoc in gradu intellectus vires, variè vel acui, vel retundi, prout variè ab intenſi caloris motu afficitur phantaſia, ob quem etiam intellectus cũ iudicio malè coit, quippe rerum ſpecies ab eo magis agitantur, quàm vt appoſitè valeant iudicari; cum in quiete ſolummodò vigeat iudiciũ ex doctrina Philoſophi tex. 20. lib. 7. Phyſ. dicentis, animam quieſcendo prudentem fieri. Hinc ex. gr. idem Cardanus, quot in hac facultate lapſus commiſerit, in iudicanda nimirum concluſionum veritate, ſatis commonſtrat accerrimo vir iudicio Iulius Scaliger in edito de ſubtilitate volumine. Neque verò duntaxat in ſpeculatiuis iudicium hocce caloris læditur gradu, ſed multò magis in moralibus impeditur, quæ vt iudicet, maiorem quandam videtur intellectus quietem requirere, quia cum ea non ſint æternorum, ſed contingentium, actuum nempe virtutum, & vitiorum, in quibus plurimæ admittuntur diuerſitates, neceſſe eſt intellectum tardos habere motus, & quietos, vt ea rectè poſſit diſcernere: multos propterea videas, qui licet in ſcientijs, vel in rerum diſcur-

*Intellectus iuuatur ignis virtutibus.*

*Cardanus valebat intellectu non iudicio.*

*Iudiciũ in moralibus actionib. læditur à multo calore.*

diſcurſu, ingenio, ac iudicio ſingulari ſint præditi; in librandis tamen moralium actionum momentis apparent inhabiles, quia licet ipſorum calor ſubtilitati concluſionum deducendarum, & iudicandarum inſeruiat, maior tamen aliquantò exiſtit, quàm ad humanarum actionum examen, ac notitiam requiratur. Suppetunt exempla multorum hanc aſſertionem probantia. Fabius Maximus apud Romanos, reſtituit (vt ait Ennius) rem Romanam, Annibalis propè conuulſam viribus, ex quo cunctator à ſpirituum tarditate vocatus, ab ipſoque idcircò Annibale prudentiſſimus appellatus. Claudius è contra Marcellus, cum præferuido rationis impulſu, concluſiones euentuum ſibi proponeret, ac formaret, & grandi quadam ſpecie iucundi, quæ ex propoſita ſibi victoria excitabatur, vaſtos conflaret conceptus, quibus ad audaciſſima impellebatur facinora, caruit iudicio cognoſcendi, quid ſibi foret noxium, vel vtile in tractando, ac ducendo aduerſus Annibalem exercitu, in quo non errauerat Fabius; quia ſicut Marcellus igneo dotatus, & irrequieto ſpiritu Annibalem perpetuò laceſſebat ad arma, quoad illius aſtu, inſidijs circumuentus, ac de medio ſublatus eſt: ita Fabius frigidis ſenſibus Annibalis æſtimans fortunam, & facta, feruore animi abreptus ad pugnam non eſt. Calida igitur temperatura Marcelli iudicio noxia, vt Fabio frigida vtilis, quod in alijs etiam plerunque contingere animaduertas. Hinc legibus ſancitum eſt, vt iudex iudicando ſedeat, ne corporis motu calefacta mens circa boni, vel mali cenſuram decipiatur.

*Fabius Maximus Romanus cur valebat iudicio.*

*Claudius Marcellus non valebat iudicio, & cur.*

Ex ijſdem etiam fundamentis aſtruimus, intellectum cum phantaſia ſecundo caloris gradu prædita optimè ſociari; quinimmò videtur huiuſmodi gradus intellectui multò vtilior eſſe, quia cum huiuſmodi calor non aſſet, non mordicet, non agitet neque vellicet, ſed ſatis duntaxat rarefaciat, atque ſubtiliet, ſedatiores etiam progignit ſpiritus, qui rerum ſpeculationi, & iudicationi meliùs deſeruiunt, quàm in tertio, in quo licet ob exuberantiam atræ bilis ex ſupercalefactione ſanguinis, vel bilis, vel pituitæ genitam, ſpiritus prodeant ſubtiles rerum ſpeculationibus aptiſſimi; tamen ex nimio calore etiam multùm turbantur, vnde turbida etiam quandoque phantaſia, proindeque confuſæ intellectus prodeunt operationes; quare ingenium in homine acutum quidem, ſed varium, & inæquale notatur, prout inæqualis, & variæ naturæ talis eſt humor. Neutrum verò vix in ſecundo contingit caloris gradu, qui propterea videtur intellectum reddere cùm veritatis capacem, tùm morum habitibus non ineptum, & ſolidè diſcurrentem, nec ex multiplici ſpecierum agmine, quas calor vehemens phantaſiæ citauerit, (vt ita dixerim) agitatum. Verè igitur hominum conſtituitur huiuſmodi calore genus, qui viuida quadam indole cùm in rerum intelle-

*Optima phātaſia ſtat cū ſecundo caloris gradu.*

tellectione, tùm in agendorum vſu præcellunt, nam actio, ſeu executio vegetum verè quendam expoſcit calorem, quia ſicut leui non iuuatur, & vehementi confunditur, ità ex vegeto finem attingit idoneum.

Supereſt ex iam dictis ſtatuere, quod intellectus cum phantaſia primo caloris gradu dotata perfectiſſimè iungitur: ratio eſt in promptu, quia non ſolùm in tali gradu tres illę vigere poſſunt intellectus operationes, apprehenſio, compoſitio, & illatio, verùm etiam iudicium, in quo totum ſiſtitur poſſe intellectus. Vigent illæ, quia huiuſmodi gradus parùm declinat à temperato, in quo ſanè perficiuntur animæ operationes magis, quàm à diſtemperato, vt planiùs fiet infrà: viget iudicium, quoniam ex maiore caloris defectu, maior fit quies in anima, ita vt rerum ſpectra accuratiùs circumſpicere, atque intueri ſit potis. Verùm eſt, quod ſi huiuſmodi calor iungatur materiæ aqueæ, vel terreſtri multæ, deficiunt in homine hæ intellectus, & iudicij excellentiæ, quia ſicut aqueam reſoluere non eſt aptus, vnde fumoſitates, & euaporationes concitantur mentis aciem obtenebrantes, ſic terream non poteſt rarefacere, vnde ſpiritus torpidi, & craſſi, ac terreſtres miniſterijs animæ non idonei eliciuntur. Debet igitur cum materia connecti non aquea, ſed aerea cum parua portione terreſtris, quo pacto ſpiritus non acres, non aduſti, non feruentes, ſed ſinceri, ſubtiles, puri, tenues, ad motum ſui natura faciles, non violenter caloris turbine adacti gignuntur. Ac licet phantaſia, quod negari non poteſt perficiatur à calore magno, & ſic intellectus, proindeque ingenium videatur ab eodem calore perfici, cum eius operatio phantaſiæ conditionem ſequatur, tamen quia ingenium cum huiuſmodi gradu caloris, caret vt plurimùm iudicio, quo non caret ingenium in temperato, vel in gradu parùm à temperato recedente, ideò perfectius hoc cenſeri debet, quàm illud.

*Iudicium viget in primo caloris gradu.*

*Optima pro ingenio temperatura.*

*Ingenium cum magno calore caret iudicio.*

Iam ergo pateat aduerſarum rationum ſolutio, prima collabitur ſi diſtinguas inter diſcurſum, & iudicium: ille ſtat cum intenſo calore, iudicium minimè, quo ſenſu dixit Ariſtoteles, animalia frigidioris temperamenti eſſe prudentiora. In ſecunda negatur minor: fortis enim phantaſiæ apprehenſio impediret actionem intellectus, ſi ſimul & ſemel operarentur, quia occupatio phantaſiæ circa materiale obiectum, prohiberet occupationem intellectus circa immateriale ſuum. At cum vtriuſque facultatis actiones ſint ſucceſſiuæ, licet immediatæ, nihil officit quin poſt phantaſiam, vel intenſè materialibus applicitam, intellectus ſuum poſſit abſtrahere vniuerſale; quinimmò phantaſia ſic agente, ac materiales omnes obiecti conditiones perfectè cognoſcēte, intellectus entis veritatem acquirit vberiùs, coactis nimirùm, & collatis pluribus vniuerſalibus ad talem eſſentiam pertinentibus, quæ ex multiplici phantaſmatum collectione reſurgunt: quamuis enim ſuprà di-

*Reſponſio ad rationes contrarias.*

ctum ſit, cap.3. phantaſiam de neceſſitate materiæ, ex qua educitur, & circa quam in operando verſatur, multas afferre noſtris intellectionib. difficultates, cum intellectus immaterialitate penitùs gaudeat; tamen diſtinximus huiuſmodi materiam multos ſortiri poſſe perfectionis gradus, iuxta quos phantaſia faciliùs operans minorem inferat intellectus operationi læſionem. Ad tertiam rationem negamus antecedens: cum enim ars ab Philoſopho definiatur habitus recta cum ratione factiuus, neceſſariò vel in pictura, vel in ſtatuaria, vel in quouis alio artificiali opere, rectus rationis requiritur vſus, qua phantaſiæ operatio dirigatur: ſic autem procedit hæc ratio, vt ab vniuerſalibus artis principijs, quæ intellectus ex pluribus ſingularibus per inductionem collegit, tranſeat ad particulare opus, in quo ipſa ſiſtitur, ac circa ipſum ſola phantaſia poſtmodum occupatur. In quo igitur hæc excellenter aget, inditio erit optimum adeſſe intellectum ipſam dirigentem, ac moderantem; ſicut viciſſim optimus intellectus oſtendit inſignem ſibi additam phantaſiam, cuius vi rerum termini promptè, ac facilè comprehenſi, offerantur intellectui, vt affirmationem, vel negationem exquiſitè conficiat.

*Ars quomodo ratione vtatur.*

Ad exemplum ex Galeno propoſitum reſpondent multi multa, quæ ſtudio breuitatis omitto, ſed non inueni, quod mihi abradat omnem ſcrupulum difficultatis, quæ mea ſententia diſſolui debet, negando ægrotum illum laboraſſe ratiocinationis noxa, quia licet boni, vel mali diſcretio ab intellectiua pendeat facultate, quæ propterea dici debeat læſa in tali ægroto, quia non diſtinxit bonum vel malum, circa eiuſmodi vaſa, tamen verum eſt, etiam malum reijci, bonum probari ab intellectu per diſcurſum ex vniuerſalibus initum. Sed nullus in hoc ægroto adnotabatur diſcurſus, vel rectus, vel indirectus, cum immò dicat Galenus ex ſola proiectione huius inſaniam apparuiſſe, nullam verò huiuſce ſui conſilij rationem innotuiſſe. Dicendum eſt igitur potius læſam in ipſo fuiſſe memoriam non abſolutè, quia recordabatur nominum, ſed ſecundum quid, quia non recordabatur conuenientiæ, quam habebat antea cum vaſibus, ac boni, quod ſibi ex ipſorum vſu antea reſultabat: ratio non erat læſa, ſed ſopita, ac velut ociabatur circa huiuſmodi motus ſeu proiectionis phantaſma, quia cum non eſſet impreſſa in memoria ſpecies vtilitatis vaſorum, non poterat exinde reſurgere boni phantaſma, quod intellectum ad eius proſecutionem, vel ad damni fugam excitaret. Dum læditur ratio, ſicut in maniacis, vel ebrijs, ſemper phantaſiam deprauari neceſſe eſt, vt à qua intellectus ex Ariſtotelis placitis obiectiuè dependet. Huic etiam ſententiæ adſtipulatur Auicenna fen. prima lib. primi doctr. 6. cap. 5. qui medico curandum non eſſe ait, vt ſciat facultates, quæ ſunt ſupra phantaſiam, & memo-

*Læſio rationis ſupponit phantaſiæ læſionē.*

mo-

moriam, quia cum earum facultatum impedimentum ab vno pendeat impedimento phantaſiæ, ſemper huius organo remedia ſunt adhibenda, quia ipſa incolumi, ac benè operante æędem facultates ſuperiores optimè etiam operari ſunt aptæ.

## *Dubitationes aliæ contra propoſitam de ingenio ſententiam diſſoluuntur. Cap. XIII.*

PRima quædam oritur difficultas ex apparenti noſtræ doctrinæ contrarietate, vbi potentiæ remotæ, ac proximæ diſtinctionem adduximus, & vbi ingenium cum anima intellectiua naſci ſtatuimus: non enim hæc videntur ſimul poſſe ſubſiſtere; ſi quidem potentia cognoſcendi proxima ibidem dicitur intellectui non connaſci, moraque temporis tantùm eidem aduenire. Sed ingenium eſt potentia intellectus proxima, quod etiam probauimus: ergo ingenium intellectui non connaſcitur. Eſt igitur ſolummodo potentia tempore per alium ei acquiſita, non ab ipſius manans eſſentia, quod ſuprà ex recepta D. Thomæ ſententia traditum, ac ſtabilitum fuit. Præterea ingenium ſecundum Ariſtotelem ex lib.3. Moralium, cap.5. definitum eſt facultas rectè diſcernēdi quod verè bonum eſt, ſed veri, ac boni diſcretio non competit phantaſiæ, ſed intellectui, ergo neque ingenium eidem competere poteſt phantaſiæ. Tertiò imminutam quis exiſtimet traditionem ingenij per animam intellectiuam, & phantaſiam, cum etiam memoria maximè ad ingenij naturam facere videatur: ſicut enim phantaſia rectè diſpoſita dicitur ingenium, quia & facilè cognoſcit, & dilucidè offert intellectui phantaſmata cognoſcenda, ita memoria nomen meretur ingenij, quod rectè diſpoſita, promptè, ac expeditè offerat phantaſmata phantaſiæ: eſt enim memoria liber apertus, in quo phantaſia rerum ſpecies legere ad libitum poteſt, huius propterea libri, vel praua, vel bona conditio, multùm conferre poteſt ad rectam phantaſiæ legentis operationem. Valet huiuſmodi comparatio, quoniam idem reſpectus ad intellectum eſt phantaſiæ, ac memoriæ, nec differunt, niſi quòd ille immediatus exiſtit, hic mediatus. Memoria inſeruit intellectui retinendo phantaſmata: phantaſia inſeruit ea deſumendo, & offerendo; at retinere, & offerre videntur paria propè dignitate munera, nec niſi ſecundum ordinem temporis prioris, ac poſterioris differunt, nec valet dicere, quod ingenium eſt facultas cognoſcitiua, cuiuſmodi non eſt memoria, quia cum ſit memoria facultas, & vis animæ ſenſitiuæ, nemo poteſt inficiari ipſam non eſſe cognoſcitiuam; ſenſus enim haud quaquam dari ſine

*An memoria appellari poſſit ingenium.*

*Memoria ex Tullio eſt ingenium.* cognitione poteſt; propterea Cicero lib. 5. de Finibus ait, docilitatem, & memoriam vno ingenij nomine comprehendi, & Huarthes lib. iam allato ſtatuit præter intellectum, & imaginationem dari etiam tertiam ingenij ſpeciem, quæ ſigillatim in memoriæ præſtantia vigeat. Quare in ipſa ingenij eſſentia, memoria pariter complicanda videtur. *Quarta.* Quartò & poſtremò dùm attribuitur ingenium intellectui, quæritur cuinam magis, an practico, an ſpeculatiuo? ſi huic tantùm, qui potiſſimùm in ratiocinatione conſiſtit, ergo per hunc debuit Ariſtoteles lib. 5. Moral. citato ingenium definire, minimè per diſcretionem, ſeù electionē, quæ ſolùm ad practicum ſpectat intellectum. Si verò ad practicum ſpectare dicatur, qui voluntas eſt, cuius effectus diſcretio eſt, & electio, tùm ſic. Ingenium, vt docuimus, naturam, & vim ſequitur temperamenti. Sed ingenium dicitur electio: ergo electio, ſeù voluntas ſequitur naturam temperamenti, ergo non eſt libera, ſed coacta contrà ſancta Chriſtianæ fidei dogmata, & Ariſt. ſententiam lib. 2. de anima tex. 60. Ad primam difficultatem quod attinet, petenda reſponſio ex tex. 64. lib. 2. de anima, vbi aliæ dicuntur qualitates animæ, aliæ corporis, aliæ compoſiti propriæ: illæ ſunt amores, timores, dolores, voluptates, ſecundæ ſunt ebrietates, ęgritudines, tertiæ ſunt addiſcere, & intelligere. Modò *Ingenium eſt qualitas compoſiti.* ingenium eſt potentia, ſeù qualitas compoſiti, ſiue hominis, qui non ſolùm dicit intellectum, ſed etiam phantaſiam, ex quo apparens illa contrarietas tollitur, minorem argumenti limitando, quòd ingenium non tàm eſt intellectus, quàm phantaſiæ, vt cum eo copulatæ potentia proxima, vnde rectè infertur, ergo ingenium non connaſcitur intellectui, quod nos ſentimus; connaſcitur enim compoſito, ſiue homini. *Inſtantia.* Vrgebit hìc aliquis ſic: Si ingenium connaſcitur homini, ergo ſtatim poteſt homo natus imaginari, ac intelligere, quia cum ſit ingenium potentia cognoſcendi proxima intellectus, ac phantaſiæ; tradita fuit ſuperiùs huiuſmodi potentia per immediatam vtriuſque promptitudinem, ac habilitatem ad operandum: ſed conſequentia falſa eſt, quia non tàm intellectus (vt diximus,) quàm etiam phantaſia huiuſmodi caret habilitate, quippe ob intemperiem organorum, quæ non niſi tractu quodam temporis aufertur, moram quandam trahit, antequam exeat in actum. Ergò nec intellectui, nec phantaſiæ vllo modo dici *Solutio.* debet ingenium eſſe connatum, ſed acquiſitum. Reſpondemus ampliando quod ſuprà de potentia proxima tradidimus, eam non conſiſtere in indiuiſibili, ita vt immediatam dicat aptitudinem ad operandum, ſed quandam habet latitudinem, qua multi aptitudinis, & habilitatis gradus continentur, qui tamen ſinguli ad differentiam potentiæ *Potētia remota et proxima ī quo differant.* remotæ, ipſam potentiam proximam circumſcribunt. Potentia dicitur remota ob tarditatem, dicitur proxima ob celeritatem, qua deuenit ad actum.

actum: huiuſmodi verò celeritas quodam temporis ſpacio præfinitur, licet breuiori, & hoc ſpacium habet aliquos gradus. Modò potentia proxima connaſcitur homini, quatenus in organo phantaſiæ talis ineſſe poteſt diſpoſitio, ac temperies, vt breuiori quodam tempore poſſit propria ſibi effingere, ac ſpeculari phantaſmata, quæ poſteà intellectui oblata ipſum excitent ad operandum, ex quo elucеſcat ingeniū, quod anteà ſub illis phantaſię diſpoſitionibus deliteſcebat. Homo ergo naſcitur cum ingenio, quod eſt potentia proxima: ex vtero enim matris huiuſmodi diſpoſitionibus ornatus emittitur, quas Ariſtoteles 6. Moral. cap vlt. virtutes naturales ſeù ingenitas nuncupat, quæ propriè nō ſunt virtutes, ſed reddunt hominem magis vel minùs aptum ad virtutem, & ad ſcientiam; cum autem illæ paucis contingant, pauci etiam habili, ac prompto ingenio præditi reperiuntur; & prout ęedem ſunt in ſingulis variæ, ingeniorum hinc etiam admiranda ſuboritur diuerſitas: Quibus autem natura eas denegauit, ijs potentia dicitur ineſſe remota tàm imaginandi, quàm intelligendi, quæ nil dicit excellens in homine, quoniam ei competit prout eſt homo: At quantum vel vnam, vel paucas, vel plures ipſarum ſortiuntur ſinguli, tantùm à potentia recedunt remota, ſiue ab ingenita illa ruditate, & attingunt excellentiam quandam, ſiue potentiam proximam, & ingenium.

*Ingeniū ineſt in diſpoſitionib. organi phantaſię.*

Ad ſecundā facilè reſpondemus dicendo, quod Ariſtoteles ibi definiuit ingeniū vt moralis, qui conſiderat in anima actus voluntatis, minimè vt naturalis, qui actus inſpicit cognitionis, quibus cum phantaſia contineatur, iure ab ipſo inibi videtur eſſe prætermiſsa. Ampliùs dicitur, quod phantaſiæ ſecundariò competit electio, quatenus rectè diſpoſita, & boni, vel mali purius phantaſma concipiens, meliùs intellectus electioni deſeruit, cui primariò hæc attribuitur; propterea illa etiam ingenij definitio aptari quodammodo phantaſiæ poteſt, aſſerendo hanc ab illa virtualiter comprehendi, quia ſcil. ingenium eſt facultas rectè diſcernendi bonum, & malum, recta verò intellectus diſcretio ſupponit antecedentem, eamque rectam phantaſiæ vtriuſque ſpeciem offerentis cognitionem.

Ad tertiam reſpondetur concedendo memoriam eſſe admodum intellectui neceſſariam ad ſeruanda phantaſmata, quæ poſſit intellectus ad libitum ſpeculari, ex quo nonnulli præter ſenſitiuam aliam intellectui memoriam aſſignarunt, quam intellectiuam dixerunt. At non ex huius muneris neceſſitate, quod eſt ſeruare, inferri poteſt ipſam eſſe ingenium, ſicut nec ex officio phantaſiæ quod eſt offerre, ingenium eſſe phantaſia dicitur. Verùm cum natura ingenij determinetur facili rerum cognitione, phantaſia quatenus facilè potis eſt cognoſcere propria obiecta, ingenium eatenus appellatur, memoria cum cognoſcendi

*Ingenij natura conſiſtit in cognitione.*

*Memoria quomodo dicatur ſenſus, & phãtaſia.*

di facultate minimè ſit donata, ingenium rectè dici non poteſt. Quòd verò ſubiungitur memoriam ſenſum eſſe, ac proindè non ſine cognitione; reſpondeo quòd cum phantaſiæ duo conueniant munera, vnum apprehendendi, ac iudicandi, aliud retinendi phantaſmata; à primo habet nomen phantaſiæ, à ſecundo memoriæ. Re igitur memoria, & phantaſia ſunt eadem, at non muneribus, ob quæ diſtincta etiam expoſcunt organa, & ſortiuntur nomina: cognoſcit ergo memoria quatenus eſt ſenſus, & phantaſia, quo pacto etiam dici poteſt ingeniũ; ſed quatenus memoria, quæ ſolam notat imaginum conſeruationem non eſt ſenſus, ſed immediatè ſenſui tanquam arca deſeruiens, nullam dicit cognitionem, nec ingenium. Dices ſi accidentia ſequuntur naturam ſui ſubiecti 1. de anima, tex. 11. & memoria prout eſt memoria, facultas eſt, & accidens animæ ſenſitiuæ, quæ cum cognitione operatur; quomodo eadem memoria in propria ſui notione accepta nõ erit ſenſus, nec proinde cognitione gaudebit? ſic ſenſus externi non alia ratione vocantur ſenſus, & cognoſcentes, niſi quòd ſenſitiuæ animæ facultates exiſtunt. Reſpondetur, quòd ſicut alia datur animæ ſenſitiuæ facultas, quæ non cognoſcit, appetitus nempe, qui prout rei eſt electio non cognoſcit eam, licet cognitionem præſupponat, ita eidem animæ memoria poteſt aſſignari, quæ non cognoſcat, & ſentiat, licet inſequatur cognitionem, & ſenſum: quinimmò fuit hoc animæ neceſſarium pro recta facultatum ad cognitionem ei miniſtrantium diſtributione, vt aliqua ſcil. non ſentiret, ſed reciperet ſolummodo, ac ſeruaret; cum enim propè innumeris abſentibus obiectis, infinitæ propè in anima cognitiones poſſint exerceri, ac non niſi per ſpecies in quadam animæ parte ſeruatas, ſi hæc pars cognoſceret, ſequeretur eandem poſſe innumeras eodem tempore ſpecies cognoſcere, quia receptio, & cognitio ſunt eadẽ re, ac tempore, ac ſola ratione (vt diximus) diſtinguuntur. Non debuit igitur memoria eſſe cognoſcitiua, ſed receptiua tantùm. Ad aſſumptum, quòd accidentia ſequantur naturam ſubiecti: aio primùm animam non eſſe ſubiectum facultatum, ſed efficiens, & cauſam eo, quo ſuprà decreuimus modo, ſcilicet per emanationem vel aliter, concedo accidentia ſequi naturam ſubiecti, quatenus ab eius adherentia ſuſcipiunt eſſe; at non ſequuntur, quia communem habeant cum ipſo naturã, à qua toto genere, ſubſtantiæ ſcil. & qualitatis differunt. Sic facultates, quæ ſunt animæ accidentia, licet ipſam ſequantur, minimè tamen quatenus tales cognoſcitiuam ipſius naturam participant, alioquin eſſent agentia media inter obiectum, & animam, quod admittendum non eſt. Sed ſolæ ſunt animę rationes, & conditiones quædam mediæ ad operandum, tàm inquam ſenſus externi, quàm interni, qui per ſe minimè dicuntur cognoſcere, ſed anima per ipſos.

*Memoria non eſt ingenium, niſi prout eſt phantaſia.*

*Inſtantia.*

*Solutio.*

*Memoria nequit eſſe cognoſcitiua.*

Me-

Memoria igitur hoc modo poteſt animæ ſenſitiuæ facultas eſſe, licet non ſentiens, nec cognoſcens; at ſolùm conſeruans; ſentiens enim ideò quid non eſt, quia ſit animæ facultas, ſed quia habeat organum ad ſentiendum aptum, nam ſentire, eſt pati, nec patitur niſi per organum, vt viſus non per animam dicitur ſenſus, ſed per oculum, quo propterea deficiente, ac remanente anima non dicitur ampliùs viſus; quare tàm ſenſus interni, quàm externi verè per organum ſenſus dicuntur; ſed memoria cum organum ad conſeruationem tantùm, minimè ad cognitionem aptum à natura ſortita ſit, propterea ſentiens nullo modo poteſt appellari. Ex his etiam patet Tullium vulgari Oratorum more locutum, memoriam à docilitate, ſeù potiùs à phantaſia, cuius propria docilitas eſt non ſeiunxiſſe, arctiori, ſeueriorique Philoſophis entium indagine relicta: Huarthem porrò eandem abſolutè cognoſcitiuā ponentem à phantaſia diſtinctā, ab euidenti errore non poſſe vendicari.

*Facultates ſenſitiuę nō ſentiūt ſed anima per ipſas.*

Ad quartā & poſtremā rñdetur, vtriq; ingeniū cōpetere intellectui; nam cùm in ſola cognitione ſpeculatiuus quieſcat, actionem verò præter cognitionem reſpiciat practicus, vtraque homines dici poſſunt ingenioſi, tàm inquam excellenter ſpeculando, ex quo ſubtilis emergit inuentio, quàm excellenter eligendo, ex quo laudabilis actionum conſequitur executio. Ariſtoteles in moralibus ingenium per electionem, quæ facultas eſt practico intellectui competens tradidit hoc vno, quod ibi rationes bonorum, & malorum, quæ in actione conſiſtunt inquirens, non potuit niſi bonum ingenium deſcribere per facultatem, quæ ad huiuſmodi actiones dirigitur, qualis eſt electio, quàm intellectus practici propriam conſtituimus; ſicut enim alio intellectu ſpeculamur ens vt verùm, ſic practico eundem volumus, ac eligimus vt bonum, vnde actio, vel bona, vel mala. Dùm porrò ſubiungitur voluntatem non fore liberam, ſi ea dicatur ingenium, quoniam hoc à vi temperamenti dependet, reſpondendum eſt ingenium, quâ phantaſia eſt verè ſequi temperamentum, quâ verò eſt intellectus, & voluntas minimè ſequitur. Sed contrà: omnes appetunt, & volunt finem eo modo, quo apparet. At ſingulis diuerſimodè apparet, his quidem meliùs, illis deteriùs ob naturæ diſpoſitionem vel bonam, vel malam; ergo voluntas eſt ſubdita huic apparentiæ, proinde naturæ temperamenti. Tota ratio eſt Ariſtotelis 3. Moral. cap. 4. docentis voluntatem trahi ad bonum, vel apparens bonum; eſſe tamen differentiam in hoc, quòd benè affectis apparet bonum, quod verè bonum eſt, malè affectis apparet bonum, quod eſt malum, quorum diuerſitatis cauſam ſicut ibi, vt moralis Philoſophus refert ad habitum, vel carentiam habitus, ob quem alius aliter afficitur, ſic vt naturalis referret ad corporis conſtitutionem, quod innuit Moral. cap. vlt. vel ad varias atræ bilis temperies, ob quas alij veſania,

*Ingenium eſt etiā voluntas ſeù electio.*

*Inſtantia. An voluntas ſit libera.*

ſania, furore alij, vel prudentia, vel acumine afficiũtur 1. Probl. ſect. 30. Hinc illud apud Phyſicos ſatis tritum: affectus animi ſequi corporis tẽperaturam. Arctatur ergo voluntas ad apparentiam, hæc ad naturæ affectionem, hæc demùm ad temperamentum, quare non eſt libera. Videtur ſatis efficax eiuſmodi ratio, cæterùm ex Ariſt. mente triplex ei poteſt aptari reſponſio. Prima eſt, quòd repentini animi motus ad qualecunque apparens obiectum non ſunt in noſtra poteſtate, quomodo temperamentum aliqua ex parte cogere voluntatem videtur; vt quod obtutu rei formoſæ non accendar, ac geſtiam, hoc in me non eſt ſitum; ſed quòd perſequar, vel declinem hunc impetum, quo ad iucundam rei ſpeciem trahor, à meo prorſus dependet arbitrio. Hac igitur ratione voluntas non abſurdè vocetur ingenium, quòd aliquo pacto vtrunque vim quandam ſequatur temperamenti. Eſt alia reſponſio, quod voluntatis actus, vel ſpectatur ante habitum boni, vel mali adeptum, vel poſt habitum. Antè ipſum non cogitur ad vllam obiecti apparentiam, licet ad id vehementi quadam naturæ propenſione feratur: nam licet maximè ad nummos, vel aurum inclinem, apparenti quodam bono illectus, in me tamen viget facultas abſtinendi ab ipſo. Poſt verò adeptum auri cumulandi habitum: difficillimè quiſquam ſui compos eſſe poteſt ad aurum euitandum: quod enim in febre contingit hæctica, quæ in corporibus obfirmata, nullo artis ſubſidio detergi poteſt, idem ferè in animi concipias morbis. Verùm quoniam talem adſciſcere habitum liberæ fuit voluntatis, ideò voluntas eſt domina cuiuſcunque apparentiæ. Tertiò, reſpondetur, & magis ad rem, quòd apparentia non ſtat ex parte rei, ſiue obiecti: ſic enim voluntas non eſſet libera, nam ſicut neceſſariò tali, vel tali mouetur obiecto, ſic tali etiam neceſſariò moueretur apparentia: & ſicut obiectum, quod ex iam dictis eſt phantaſma, ſequitur temperamenti naturam; ita etiam apparentia ſequeretur affectionem organi, proindè voluntas ad hanc puta apparentiam relata, nõ poſſet ad aliam liberè declinare: cæterùm quoniam apparentia ſtat penès intellectum, cuius eſt operatio, cum ſit cognitio, ideò quod ſibi tale apparet, vel eligere, vel repudiare, ratione ſcilicet, ac diſcurſu docente poteſt. Eſt igitur voluntas, quæ ſibi vt intellectus eſt omnem apparentiam generat libera, non autem ipſi, vt inferebatur ſubiecta. Si inſtes tibi datum eſſe à natura, vt ſic intelligas, talemque tibi formes apparentiam, concedo magna quidem vi ad ſic intelligendum inclinari, non tamen cogi, cum præpotens rationis vigor præcellat, cuiuſce rei vberiorem ſuggerit comprobationem Ariſtoteles lib. 3. Moral. cit.

*Reſponſio prima.*

*Secunda.*

*Voluntas poſt habitũ acquiſitum non eſt quodammodo libera.*

*Tertia.*

## De parte corporis, in qua viget ingenium. Cap. XIV.

CVM ſuperius firmatum ſuperq; ſit ingenium eſſe facultatem vtrique competentem animæ intellectiuæ, ac ſenſitiuæ, ibi etiam propria ſtatuetur ingenij ſedes, vbi vtraq. vigebit, & ſtabit anima: viget autem intellectiua, vbi etiã ſenſitiua propter neceſſariam ipſius cõnexionem cum phantaſia, (nam aliàs intellectiua ſola nulli, vt iam diximus eſt addicta corporis parti:) ſenſitiuæ propterea locus, ac ſedes erit eadem ingenij: ſed eam in nobiliſſima ſedere corporis parte conſpicuum eſt, quòd forma eſt, ac ſubſtantia omnium, quæ in corpore coeunt perfectiſſima: partem igitur hanc principem præfinire, ac ſancire oportet, de qua Philoſophi, ac medici inter ſe plurimùm digladiantur. Pro illis ſtant omnium præcipui Ariſtoteles, & Auicenna: pro his Plato, & Galenus, cum tota quique ſectantium claſſe. Priores cordi aſſignant in corpore principatum, & pulcherrimè argumentantur, quòd in omni re neceſſe ſit ad vnum deuenire principium, ad quod cætera omnia referantur, cum ſit longè præclarius vnum ponere, quàm duo, in quibus id fieri poteſt: aptiſſimus autem huic principio locus eſt medius, vt à quo cætera omnia æqualiter diſtant, & medium perfectiſſima eſt loci differentia: cor igitur in corporis medio poſitum, membrum etiam princeps abſolutè dicendum eſt. Porrò venæ oriuntur à corde, vt etiam nerui: patet vtrumque ſenſui, quia vena caua, quæ aliarum omnium venarum eſt mater, propagatur à corde, non aliunde in ipſum inſeritur, cuius rei eſt ſignum, quòd per eius non tranſit corpus, vt per hepar facit. Sed vbi oriuntur venæ, ibi etiam ſanguinis eſt initium, & vbi hoc ibi etiam initium ſenſus, quia ſola ſanguinea ſentiunt, exangue nullum: ita neruorum conſpicua ſoboles in ipſius cordis ſinubus adnotatur; ſed nerui ſunt ſenſus inſtrumenta: à corde igitur ipſum habent. Amplius quis ignorat caloris in vniuerſo tantam eſſe virtutem, vt ſicut è corporum cæleſtium æterna, & inceſſante actione progignitur, ita ceu miniſter ipſorum, hæc omnia ſublunaria gignit, ſeruat, ac fouet? ſed quod in magno præſtat mundo, in microcoſmo etiã, ſeu paruo mundo, qui homo eſt, rationi conſonat ipſum exercere. Ac vt id commodè poſſet, in medio corpore neceſſariò debuit collocari, quò ad omnes aptiſſimè partes diffunderetur. In hoc medio ſtat cor fucina mirabilis, & minera caloris, qui cum ſit accidens, nec meare in partes ſine ſubiecto poſſit, debuit eius inibi elaborari vehiculum, quod eſt ſpiritus ſubtiliſſima quædam ſubſtantia ex puriore ſanguinis, & aeris portione in cordis ven-

*Cor ſecundum Ariſt. eſt corporis pars princeps.*

*Calor gignitur ex motu cælorum.*

*Spiritus in corpore eſt caloris vehiculum.*

ventriculis procreata: hunc ſpiritum regit anima, vt eminentior forma, & agens in corpore princeps, ipſoque propterà ſemper, vt proximo inſtrumento vtitur. Æquum eſt igitur vbi ſuum hic ſortitur exortum, animam etiam poſitam exiſtimare. Cerebrum verò ſenſit Ariſtoteles ad cordis tantùm refrigerationem eſſe compactum, vt ex hac temperie corpus totum adiuuaretur, æſtu aliàs, & feruore cordis nimio conflagraturum: probat hunc eius vſum, quia ſit ſubſtantia terrea, & aquea, puſillis, ac tenuibus referta venis, pauco refertis ſanguine, ac ſit tactu frigida, & colore alba, & fluxionum omnium fons, quæ ſingula eius indicant frigiditatem.

*Cerebri vſus eſt cor refrigerare, ex Ariſt.*

Galenus ex aduerſo Platoni ſubſcribens, tres in corpore aſſerit eſſe partes, in quibus anima tres obtinet facultates principes, ſcil. ſenſitiuam in cerebro, vitalem in corde, naturalem in iecore: eius maxima hæc eſt ratio, quòd ibi eſt ſenſus origo, & fons, vnde propagantur, & fluunt nerui, qui ſunt ſenſus, & motus inſtrumenta manifeſta: ſed oriri neruos à cerebro viſus in anatome planiſſimè oſtendit; ergo cerebrum eſt commune ſenſus, & motus principium: eodem medio cordis, ac iecoris principatum demonſtrat, quia pariter ex anatome conſpicitur, venas ab hepate, & arterias à corde exoriri; ergo hepar principium naturalis, ſeù nutritiuæ facultatis, & cor vitalis: illa ſanguinem alendo aptum gignit per venas fuſum; hæc gignit calorem, qui per arterias ad vitam membrorum tuendam defertur. Sic igitur tria ſunt membra præcipua, trium æquè facultatum præcipuarum ſedes. Subdit alia quamplurima Galenus pro huius ſententiæ confirmatione lib. 6. de Hipp. & Plat. decr. cap. 3. & ſeq. vbi etiam adducit experimentum medicamentorum, quæ capiti applicita delirantes ſanant, ergo ibi eſt ſenſus functio, vbi eius apparet ſanatio, quæ profectò deberet per medicamenta cordi impoſita fieri, ſi vigeret in eo. Ad aſſumptum de ſpiritu, quo maximè nituntur Philoſophi, videtur, & ipſe multùm propendere, quia verè inibi videtur conſiſtere anima, vbi ſpiritus eius inſtrumentum emergit. ſed ait ſenſitiuam facultatem non vti cordis ſpiritu, ſed alio in cerebri ventriculis elaborato, quem animalem appellat diuerſæ ab eo conditionis, & naturæ; Igitur ibi etiam anima ſuam habet cum hoc ſpiritu ſtationem; ex quo illorum concidit fundamentum à vitalis miniſterio deductum.

*Galeni & Platonis opinio, quòd tres ſint partes principes in corpore.*

Cæterùm non ſe deſerunt Philoſophi contra Galenum acriter diſputantes, eiuſque rationem ſoluentes; inquiunt enim, quòd etiamſi concedatur neruos materialiter à cerebro, & venas ab hepate, ac ſanguinem promanare; tamen formaliter illorum eſt principium cor, à quo virtus, quæ illos reddat ſentientes, hunc autem nutrientem, per calorem, & ſpiritum communicatur; illud enim potius ſtatuendum eſt mem-

*Peripateticorum diſputatio contra Galenũ.*

membrum princeps, in quo viget virtus ſine materia, quàm ex quo educitur materia ſine virtute, materiam namque ſuggerere ignobilius multò eſt officium eo, quo actus tribuitur, & perfectio: hanc verò non ſolùm conferri aiunt à corde, medio ſpirituum per arterias carotides dictas ad cerebri ventriculos, in quibus omnis cognoſcendi actus abſoluitur, ſed etiam per alios omnes arteriarum ramulos ad totius corporis neruos; quippe mira naturæ induſtria factum eſt, vt ſingulis neruis iungatur arteria, ex qua calor, & ſpiritus neruum perficiens diffundatur: quare ſicuti cerebrum ſtat in capite pro ſpirituum vitalium plus æquo calidorum explenda temperie; ita pro cerebro ſtat in ſingulis corporis partibus neruus, & pro corde arteria, ex quibus medio ſpiritus temperamentum ſenſui, & motui accommodatum reſultat. Nulla igitur in neruis eſt opus motiua, & ſenſitiua virtute à cerebro demandata. Ad experimentum verò à ſenſus ſanatione deſumptum, inquiunt indicari quidem per hoc animam ſenſitiuam, & phantaſiam in cerebro apparenter, vel (vt aiunt) manifeſtatiuè ineſſe, non autem radicaliter; quomodo in ſolo inſidet corde, quod idem eſt, ac ſi dicant, quòd ſicuti oculus eſt organum cerebri pro explenda viſione, ita cerebrum eſt cordis organum pro ſenſione, vt etiam alia membra ſunt velut eius organa pro alijs actionibus, iecur nimirũ pro ſãguificatione, teſtes pro generatione, pulmo pro euentatione obeunda: his enim alijſque ſingulis cor confert calorem, cum calore ſpiritum, & cum hoc ſingulas facultates. Spiritum demùm animalem à Galeno introductum, omninò iactant eſſe figmentum, quia cum velit ipſum in plexu retiformi in anteriori cerebri parte adnato elaborari, ac ſubtiliari, in euidentem ſe inuolui afferunt abſurditatem, frigidi enim eſt incraſſare, calidi ſubtiliare; at cerebrum reſpectu cordis frigidiſſimum, attenuare, ſubtiliareque magis ſpiritum, quàm cor poſſe, ab omni videtur ratione alienum. Ideò ſola ex ipſorum ſententia ſufficit caloris ſpiritus alteratio, ſeu refrigeratio, abſque eo, quod aliam induat naturam, & formam.

*Auic. fen. 1. 1. doctr. V. cap. 1.*

*Anima eſt radicaliter in corde, manifeſtatiuè in cerebro.*

*Non dari ſpiritum animalem.*

Sed hæc peripateticorum acumina cum Galenus, & medici rationũ euidentia minùs poſſint, experientia nituntur conuincere. Duo præſertim afferunt, quibus à ſuſcepta illi cogantur ſententia recedere. Alterum eſt, quòd ſi ligetur neruus, deficit ſenſus, & motus in ea parte, quæ cor verſus repit, in ea verò, quæ cerebro eſt continua, omninò ſenſus viget, ac motus, quod è contra ligata contingit arteria, pulſat enim in ea parte, quæ cordi nectitur, minimè in altera, quæ cerebro. Indicium hoc eſt, à cerebro ſenſum, & motum, à corde pulſationem, tamquam à veris, proprijſque principijs proficiſci. Alterum eſt, quòd obſtructo cerebro, vt in apoplexia, ſtatim homo ſen-

*Philoſophi conuincuntur à medicis duobus experimentis.*

*Gal. de Hip. & Plat. dec. cap. 3.*

ſu priuatur, ac motu; corde autem nedum obſtructo, ſed vel etiam præciſo, minimè: quod ſe non rarò affirmat Galenus vidiſſe in animalibus ſacrificiorum, quæ præciſis cordibus adhuc vociferabantur, & currebant: ex hoc igitur conſtat non eſſe cor motus, & ſenſus principium, vt qui, amiſſo eo, non amittuntur, vt euenit amiſſo cerebri vſu.

*Vera ſententia explicatio.*

In huiuſmodi controuerſia, quædam ſunt à medicis, & Philoſophis rectè tradita, quædam non. Rectè medici ſenſuum certitudine; hærentes tria ſtatuunt in corpore principalia membra, cerebrum, cor, iecur, in quibus anima, vel in toto corpore extenſa, clariùs tres ſuas expandit functiones principes, vt Galenus affirmat; nam ex quo fonte ſcaturiunt organa, manant etiam facultates, ſua in illis munera explentes. At neruos à cerebro, arterias à corde, venas ab hepate oriri vel cæcus animaduertat, ſicuti ſano cerebro, rectè hominem imaginari, cogitare, ratiocinari; læſo autem prauè ſingula perficere perſpectiſſimum eſt; ex quo etiam tutò arguitur cerebrum partem eſſe ipſo etiam corde digniorem, cuius actio, vitam ſcil. & calorem in corpore conſeruandi ad vnius dirigitur cerebri conſeruationem, per quod homo ſuam promit excellentiam. Sed rectè contra Galenum me iudice peripatetici ſentiunt vnum eſſe duntaxat ſpiritum vitalem, ſingulis partium omnium officijs deſeruientem; non enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: ſed vitalis qualitatibus duntaxat alteratus ſufficit; ergo non eſt neceſſarius animalis iuxta Galenũ eſſentialiter immutatus. Minor probatur, quia vitalis in eum finem in cerebro tranſmutatur in animalem, quò (vt fatentur omnes) cognoſcitiuis facultatibus ſit habilis, quæ calore nimio vitalis confunderentur, & ad phrenesim, atque impetum agerentur, ergo ſolà ſufficit eius accidentalis mutatio ex cerebri frigore acquiſita. Inſuper cum vna ſit ſanguinis maſſa, ex qua fit ſpiritus, vnus itidem erit ſpiritus. Rurſus animalis demonſtrationem aſſerit Galenus 12. Meth. cap. v. ex plexus, retiformis haberi conſtitutione, cui parti nullus in corpore poteſt alius aſſignari vſus, præter vitalis ſpiritus traſmutationem: ſed huiuſmodi plexum non admittit Veſſalius in anatome, & Franciſcus Valleſius negat vnquam ſe vidiſſe: vel ſi etiam admittatur, cum ille ſit arteriarum ſoboles, cur aliæ pariter arteriæ non erunt eadem facultate donatæ? ſi dicant ea non eſſe circumuolutione præditas, dicimus rationi eſſe conſonum, ex ea quidem poſſe motum retardari, & ſic frigefieri ſpiritum, non autem ſubſtantialiter tranſmutari. Denique rebus ſubſtantialiter differentibus, diſtinctæ omninò definitiones conueniunt; ſed cum à Galeno ſpiritus animalis definiatur exhalatio ex benigno ſanguine aſſurgens, non poteſt hæc definitio vitali competere: quomodo is igitur definietur? certè vel plures dari ſanguinis ſpecies oportet, ex quibus vterque

*Vnus tantũ Spiritus vitalis datur in noſtro corpore.*

*Lib. 2. Controuer. cap. 43.*

*Lib. 6. de vſu part. cap. 17.*

vterque ſpiritus aſſurgat, vel vitalem ex ſanguine non aſſurgere dicẽdum eſt: ſi dicas animalem aſſurgere ex ſanguine puriſſimo arteriolarum dicti plexus: contrariatur hoc penitus Galeno lib. 7. de vſu part. cap. 4. vbi cum tradit ex vitali ſpiritu tanquam ex propria materia generari. Vnus itaque tantùm concedendus eſt vitalis, phantaſiæ, cogitationis, ingenij, & aliarum omnium ſenſitiuarum ac motiuarũ actionum miniſter.

Cæterùm vt probabiliter, ac ſubtiliter peripatetici de cordis principatu loquuntur, ita iam dictis cedere coguntur medicorum experimẽtis, quibus cor conferre membris vitã caloris influxu, non autẽ, ſensũ ac motũ probatur. Falluntur etiam dum imponunt Ariſtoteli, quod cerebrum ſit pars vicaria cordis pro explenda ſenſione, cum ex eius verbis 2. de part. animal. cap. 7. liquidò conſtet, non alium ſe admittere in cerebro vſum, quàm cordis refrigerationem, immò parùm abeſt, quin ibi excrementum eſſe fateatur. Præterea cum per arterias medio vitalis ſpiritus communicari ſenſum, & motum partibus velint, abſque influxu cerebri, pro quo neruum ſufficere in illis aiunt, ſequitur, quòd in ligato neruo non debeat amitti ſenſus, & motus in ea parte, quæ infra vinculum eſt, quia ei etiam accedit arteria, ex qua vtraque virtus transfunditur. Hoc tamen non videmus, quia remanent in parte ſupra vinculum verſus cerebrum, ergo ab eo ſenſionis influxus.

Iam verò licet vtraq. ſecta hoc pacto de animæ prima ſede, ac radicatione diſſentiat, tamen in eo rectè conuenit, quòd facultates omnes, imaginationis, memoriæ, ac proindè ingenij, ac iudicij in cerebro celebrẽtur cum ſpiritus tanquam inſtrumenti concurſu: in eo tantùm differt, quòd illas medici volunt adnaſci cerebro: peripatetici Arabes ad illud (vt diximus) ex corde ſpirituum deferri vehiculo: in quo mehercule decipiuntur, quippè vni ſunt ingeneratæ cerebro, ſeù potiùs vni connexæ animæ ſentientis eſſentiæ, quæ licet in toto, & in ſingulis partibus cum dictis etiam facultatibus ſit extenſa, (vbi enim eſt eſſentia, ibi neceſſariò eſt facultas, in toto autem & in qualibet parte conſtat ex Ariſtotele animam, vt formam, ſeu eſſentiam ineſſe) tamen in cerebro, tanquam in proprio illas obtinet organo, ac per proprias etiam manifeſtat actiones. Propterea benè quàm plurimi medicorum contra alios ſentiunt, neque ab ipſo cerebro deferri per neruos medio ſpiritus facultatem ſenſificam, & motricem; ſed ab eo duntaxat, influere qualitatem quandam ſpiritualem ſine materia, quæ irradiatio eſt, perinde ac à ſole defluit lumen, quod ſicut longinqua omnia, & ſolida corpora in inſtanti penetrare eſt aptum, idem etiam illa facit illuſtrando neruos, & ad actum ſenſationis deducendo, quod ipſe non poſſet.

*Ingeniũ in ſolo cerebro celebratur.*

*Senſus, ac motus communicantur à cerebro per irradiationem.*

poſſet ſpiritus, tùm quia nerui ſunt corpora denſa, nec ipſius tranſitui apta, qui craſsior eſt aere, vt ait Galenus libello: An ſanguis, in arterijs ſecundum naturam contineatur, tùm etiam quia inſtantaneis mē-brorum motibus non poteſt ſufficere, cum ſit corpus quoddam mobile, ac proinde manifeſto indigens tempore, quo non indiget illuminatio in inſtanti agens. Ac demùm quia cum facultas per ſpiritus delata ſit virtus, potentia, & qualitas eſſentiam animæ inſeparabiliter inſequens, & in ſpiritibus non ſit anima, ergo neque etiam poteſt eſſe facultas. Vel ſi quæ partes habent animam, habent etiam facultatem: non eſt igitur neceſſe, vt hæc per ſpiritum deferatur: ſola itaque ſufficit irradiatio, quæ inſitam in illis excitet, & actuet facultatem, vt inſitum etiam ſpiritum, qui eius inſtrumentum exiſtit. Sed hæc apud Medicos fuſiùs & accurratiùs enodantur.

## *Temperamentum cordis ingenio accommodatum expenditur. Cap. XV.*

SI ſpiritus vitalis in corde genitus eſt (vt diximus) præcipuum, commune, ac maximum ingenij inſtrumentum, debet ipſius primùm expendi cordis conditio, ob quam ille optimus generetur; poſtea ſiquidem aliarum etiam partium natura ingenio conferens diſcutietur. Eo verò eſt vtendum ad huiuſmodi perſcrutationem progreſſu, quòd caloris vi nituntur animæ operationes; frigore pariter non nihil iuuantur: humorem, & ſiccitatem vtriuſque materias eſſe ſatis conſtat: prout ergo calor idem varias cum frigore in humido, ac ſicco ſuſcipere miſcellas eſt aptus, variæ neceſſariò exurgunt, cordis, cerebri, ſpirituum temperies, per quas in illis, vel calor, vel frigus, vel humor præualet, vel ſiccitas; ac prout vnumquodque horum proprio fundatur elemento; ideò iuxta talis elementi naturam, ac molem, alia in ijſdem partibus connotatur qualitatum varietas, quæ ſecundæ vocantur, puta duricies, vel mollities, denſitas, vel raritas. Et quia ex qualitatum cùm primarum, tùm ſecundarum in mixto coeuntium confluxu, varia ſubinde oritur in partibus conformatio; propterea quædam magna, vel parua, alia anguſta, vel lata, alia obliqua, vel recta, informis, vel elegans gignitur: Videndum eſt igitur ante alia quonam earum qualitatum gradu, ac temperamento, ſiue corporis conſtitutione gaudeat ingenium.

Frigiditatem ingenio non conferre per ſe, at per accidens tantùm, Philoſophus expreſsè cap. 4. lib. 2. de partib. animal. fatetur, & conſentit Gal. lib. quòd animi mores ſequantur corporis temperaturam:

cap.

cap. quinto; nam eius eſt incraſſare, & conſtipare, ac immobile reddere, quæ ſunt omnes actiones admodùm animæ contrariæ, quæ ſpirituum mobilitate, ſubtilitate, ſplendoreque fulcitur; hinc à frigore ſenſuum obtunditur vigor, hæretque animus, ac torpet velut gelu prępeditus. Eadem ratione frigiditas ſi iungatur ſicco, inutilis euadit ingenio, quia terreum ſic temperamentum corporibus infert, ad iudicium, & prudentiam magis, quàm ad ingenium conferens, vt in ſenibus, qui tamen non ratione frigiditatis, ſed ſiccitatis eo pollent, vt ibidem Galenus affirmat.

Si porrò cum humiditate iungatur, quia ſic aqueam præfert naturã, & ſenſui, & intellectioni magis aliquantò conducit; id tamen non ob ipſam euenit frigiditatem, ſed ob tenuitatem potiùs, ac ſinceritatem aquei humoris, qui ſenſus mobiliores, ac expeditiores reddit, vt ipſe etiam Philoſophus ait loco citato. Per accidens igitur frigiditatis vtilitas aduenit ingenio, quatenus caloris vim ad actiones animæ coarctat, ac temperat. Hæc autem caloris temperies, ac refractio ſi parua ſit, ex quo calor remaneat intenſus, ac fortis, ingenium præſtantiam vix etiam ſortitur vllam, quia temeritas, ira, furor ex huiuſmodi calore conſequitur, præſertim ſi materiæ connectatur terreſtri, ac ſiccæ, vt in apris, ac tauris, ac maniacis hominibus. in quibus à vehemẽti calore, humor ater, ac terreus agitatus aduritur, ac illi omninò ex hac tẽperie contingunt affectus, quibus vates, ac ſybillæ præcellũt: calor enim duntaxat moderata frigiditate retuſus confert ingenio, quia frigus inſeruit ad quietem; at in quiete anima fit ſapiens iuxta Philoſophum primo de anima tex. 48. & 7. Phyſ. tex. 20. Hinc timidos homines eſſe ingenioſiores affirmat probl. 15. ſect. 14. quia minori caliditate præditi. Inſignem etiam adſciſcit noxam ingenio calor cum humiditate copulatus; quia ſic plurimæ caloris actione fumoſitates, ac euaporationes fiunt, quibus illa humorum puritas, ac ſinceritas inquinatur; ob quam præcellit ingenium: prætereà ex nimio caloris in humido motu confunditur animalis virtus; loco Phyſic. cit. quapropter adoleſcentes ſenibus imprudentiores inſpicimus, ob calorem, & humiditatem in illis præualentem, in his edaci temporis lapſu refractam, abſumptamque: ſic in ebrijs contingit fatuitas, ac dementia ob effumantium ad caput vaporum illuuiem, ſic animalium humidiorum, & calidiorum omnium ineptiam, ſocordiamque, ac torporem in actionibus adnotare licet; vt ſuum, taſſorum, & aliorum id generis, ſiccioribus autem, ac moderatè calidis, inſignem ineſſe prudentiam, ac ſenſuum robur; vt formicis, & apibus, propterea humiditatem maximè inimicã eſſe animę in Timęo prodidit Plato, eiusque malo animam in corpus illapſam, inditarum omnium ex ideis notionum obliuione capi; ſiccitatis

*Frigiditas iuuat ingenio per accidens.*

*Calor temperatus ingenio conuenit.*

*Caliditas & humiditas ingenia inimica.*

tis

*Siccitas ingenio maximè confert.* *Lib. quod animi mores cap. 5.* *Eod. lib. c. 4.*

tis autem tàm connatæ, quàm eius, quæ ſenſim per ætatis gradus adſciſcitur bono fieri hominem ſapientem, quales fiunt ſenes ob ſiccitatem adeptam; ex quo dictum Heracliti à Galeno relatum; ſplendor ſiccus, animus ſapientiſſimus: nam ſiccitas puritatis ac ſinceritatis eſt mater; ita in ſiccitatibus æſtiuis mira ſerenitas, & puritas aeris quæ in hybernis vitiatur, vaporibus humidis in aere circumfuſis: Gal. etiam ſtellas eſſe puras admodùm, & fulgidas, quippe ſiccas aſſirmat; ac verè ſenſus in morbis quamplurimis ſiccioribus acuuntur, vt in phreneſi, ac mania, qui ſunt ſicci capitis morbi, tũc enim homines alioquin ine tes, ac rudes, quodammodo vegetiores, ac verboſiores, & in quibuſdam etiam conceptibus acutiores videmus fieri, licet confuſo, inconſtanti, ac deprauato tenore animi, tùm ob ipſius ſiccitatis exceſſum, tùm præſertim caliditatis ei iunctæ, quæ actionũ perturbationis eſt auctrix; debet enim vtraque modum ſeruare quibuſdam contentum gradibus, vt animæ conferat. In alijs autem frigidioribus, & humidioribus morbis (interueniente præſertim aliqua caliditate humidum commouente, qualis in lethargo in quo fit excalfactio, & accenſio humoris pituitoſi in cerebro redundantis) ſtoliditas adnotatur, & ſtupor, ſicut etiã in caro, & in comate, qui ſoporiferi ſunt affectus ab nimio humiditatis occurſu geniti. Hanc pariter humidi noxam apertiùs tradidit Medicinæ parens Hipp. in aphor. V. ſect. 3. inquiens. Auſtri caput grauantes, auditum hebetantes, caliginoſi, pigri, diſſoluentes; hos autem eſſe ventos calidos, & humidos Philoſophus docet ſect. 1. probl. 23.

*Frigiditas, & humiditas parit ſtoliditatẽ.*

Iam igitur quanã huiuſmodi qualitatũ tẽperie, præditæ debeant eſſe partes ingenio miniſtrantes, facilè dijudicari poteſt. Si humiditas tàm per ſe nocet ingenio, quàm cum caliditate iuncta: ſi pariter cum frigididitate parum, vel nihil conferre dicitur: ſi frigiditas non niſi priuatiuè, ac per accidens confert; per ſe autem potiùs obeſt animæ, præſertim ſiccitati annexa ob nimiã craſſitiem: ſi calor pariter nimius cum nimia ſiccitate plurimùm cognitioni officit, conſpicuum ſanè fit non aliã qualitatem ſenſui, proindeque ingenio conuenientiorẽ eſſe, quàm remiſſum calorem cum moderata ſiccitate, ac ſubſtantiæ tenuitate copulatum, adeo vt ab huiuſmodi temperamenti norma, & gradu, maiorem vel minorem ingenij excellentiam emetiri debeamus.

*Tẽperamẽtum ingenio accommodatum quodnam ſit.*

Cor itaque in actiuis debet eſſe mediocriter calidum, in paſſiuis mediocriter ſiccum, quia illarum affectum exceſſibus redditur ingenio parùm vtile; vt enim vi nimiæ caliditatis ſanguinem vrit, ex quo poſtea ſpiritus exhalant confuſi ac turbidi, itemque acres, ac mordaces, qui ad cerebrum elati, ipſum vellicant, & excitant ad ſpecies iucundi, vel moleſti proſequendas; vnde inſignis audacia, motus, & furor;

ita nimis imbecillo calore ſanguinem generat frigidum, & aquoſum, ex quo fiunt homines maximè puſillanimi, quia metus eſt affectus frigidus, quod pallor timentium, ac externarũ partium refrigeratio, ipſorumque veluti gelatæ ſenſus, ac motus facultates oſtendunt. Hac autem puſillanimitate minimè ingenioſus eſt præditus, qui ob modicũ bilis in ipſo redundantis, promptus eſt ad iram, ac facilem ſanguinis ebullitionem, præcordiorumque concipit incaleſcentiam, quod cum ſenſu palã eſt ſatis in brutis ingenioſioribus, puta vulpe, ape, vel equo; tùm ratione comprobatur, quia dos eſt ingenij maxima penetrare in ardua, ac ex diſtinctione multorum inuenire medium aptius, ac facilius, quo res intelligatur; hæc verò nonniſi naturam ſapiunt ignis, cuius eſt penetrare, ſegregare, in omnes circumagi partes; quare ingenioſus potiſſimùm ignis videtur iuuari virtutibus, proindeque flauæ bilis elementum igneum in homine referentis. At ſicut ingenioſus puſillanimus non eſt: ita nec eſt audax, ſed potiùs circumſpectus, ac timens ob frigidi affluxum humoris: hinc in ſupracitato probl. Philoſophus metum, ac ingenium ſeſe plurimum comitari affirmat, quoniam qui metuunt remedia cogitant, & quærunt, quibus ſibi poſſint prouidere; ideo magis inueniunt, ac ingenioſiores exiſtunt, quàm audaces qui ſibi plurimùm confidentes, non mouentur via diſcurſiua ad inquiſitionem eorum, quæ ſuis poſſent viribus opitulari; quare nulla eos vel admiratio, vel de contingentibus cogitatio tenet, ex quibus tamen ingens cietur intellectui robur, cum homines admirando, ac meditando cæperint philoſophari.

*Ingenioſi ſunt cholerici.*

*Ingenioſi ſunt timidiores.*

Ex moderato igitur hoc timoris affectu, ingenioſi cor elementi frigidi, aquei nempe, vel terrei mediocritate conſtare planiſſimum eſt, quod præter allatas Philoſophi auctoritates, ac ſenſuum in animantibus ingenioſis iam dictis fidem, quæ furore temerè non aguntur quo apri, ac tauri, id vnum ſuadet magis, quòd cum ingenioſus ſubtilitate ſua plurimos, & varios rerum formet conceptus, tum multos eorum vnit, & connectit, vt veritatem inueniat, quæ connexio, & vnio ad frigidi naturam ſpectat vt 4. Meteor. in primo Ariſt. tradit; præterea ingenioſus eſt etiam ſapiens, at ad ſapientiam quies, ad quietem, & ſtabilitatem frigidum confert, & ſiccum, ſiue terra, vel humor terræ vicem in homine gerens, qualis melancolicus eſt, quæ tamen terræ cõferentia & vtilitas eſt ingenio (quod ſuprà diximus) accidentalis, quia ſicut frigiditate ad ſolum inſeruit calorem temperandum, ita ſtabilitate, ac denſitate ad nimium eiuſdem caloris motum, ac raritatem moderandam maximè confert; nam ſolus calor, ſeu ſpiritus proprium eſt animæ, proindeque ingenij inſtrumentum.

*Temperamentum cordis ingenioſi vergere ad mediocritatem in primis qualitatibus.*

*Cor ingenioſi debet eſſe mediocriter humidum, & ſiccum.*

Conſtat autem cor præterea medietate paſſiuarum qualitatum, hu-

miditate nimirùm ac ſiccitate, quia ingenioſus facilè recipit ſpecies externorum, quòd nonniſi humidi refert naturam, cuius eſt ab externis facilè terminari: ſed eaſdem etiam facilè conſeruat, ac retinet ſpecies, quæ retentio ad ſiccitatem refertur. Ideò quæ facilè apprehendunt, nec ſeruant, vel quæ meliùs ſeruant, difficilius autem apprehendũt, bona eſſe minimè dicuntur ingenia. Ex eo etiam patet cor mediocriter ſiccum eſſe debere, quia cum ingenium remiſſo vtatur calore, remiſſa etiam ſiccitate vtatur neceſſe eſt, quæ huiuſmodi calorem conſequitur nec ſiccitas terrea, quæ ſit intenſa ingeniũ quidquam iuuat, quia cum ipſa ad ſolam conferat ſtabilitatem caloris, magna eſſe non poteſt, quia redderet calorem immobilem, proinde officijs animæ, ac ingenio minùs aptum, cui propterea ſiccitas ignea magis eſt vſui: terrea magis videtur iudicio facere; vnde ſenes terreo ſicco imbuti prudentiores, iuuenes igneo dotati ſicco, ingenioſiores, ac ſubtiliores cenſentur.

*Iudicium qua iuuetur temperie.*

Vindicet igitur ingenium ſibi cor in actiuis, & paſſiuis qualitatibus temperatum, ita vt neque frigore, neque calore multùm excedat, ſed inſtar ceræ facilè terminari, ac recipere, ac in omnes verti formas poſſit; verè tamen in ipſo ſiccitas ignea nonnihil prædominetur. Ex quibus etiam apparet quænam ex ſecundis qualitatibus cordi magis, vel quænam ipſi figura conueniat.

## *Cordis figura, venarum conditio, necnon hepatis, ac totius corporis habitus in ingenioſo qualis. Cap. XVI.*

*Articulatio cordis quid ſit.*

ARISTOTELES Lib. 3 de partibus animal. cap. 4. ait articulatiora corda eorum eſſe, quæ ſenſu meliùs valent, dearticulatiora eorum, quæ ſenſu hebetiori ſunt vt ſuum: articulationem cordis interpretatur inibi quandam ſubſtantiæ cordis coagmentationem ſuturis capitis ſimilem, quæ profectò ad raritatem ſpectat; ac ſicut per ſuturas capitis vt poteſt per rariores quaſdam partes, ſubtiliores cerebri ſuperfluitates perſpirant; ita per articulatius, ſeù rarius cor fuligines actione caloris continuò excitatæ, faciliùs expelluntur. Quam etiam ob cauſam durum, & ſpiſſum cor hebetiorem inducere ſenſum affirmat, præterquam quòd terream ſic refert ſubſtantiam ingenio parùm vtilem: cor autem mollius quia refert igneam humido, ac ſicco temperatam, ſenſus robori, ac vigori magis conducit; nam cum ſentire ſit pati; hoc verò dicat recipere; ſanè melior ſit in molli receptio, quàm in duro, quod ex ſigillo duræ, vel molli ceræ admoto ſatis percipitur.

Cor

Cor magnum ibidē Philoſophus inquit propenſos reddere ad apertum timorem, dum tamen ſit proportione corporis magnum, quale ceruo, lepori, muri, aſino, muſtellæ: paruum cor audaciam, vel confidentiam facere teſtatur, quale apris, leonibus, tauris: affert rationem, quia cogitur in parua fornace calor, fortiorque fit, in magna dilatatur nimis, ac diſpergitur, vnde timor, qui caloris imbecillitatem ſectatur.

*Cor magnū et cauſa timoris.*

Ingenij facultas cum inter huiuſmodi paſſiones quodammodo ſit media, potiùsque timorem quendam (vt diximus) comitem habeat, requirit cor niſi grandiuſculum, ſaltem reſpectu corporis mediocre, in quo calor nec multùm diſſipetur, neque cogatur, cuiuſmodi eſſe volūt ſimijs, vulpibus, equis, canibus, & id generis alijs ingenioſioribus: quòd verò de toto dicimus corde, idem de ipſius intelligatur ventriculis, qui vel nimis anguſti, vel nimis lati officerent ſenſui; ſic etiam de venis, & arterijs, quæ perinde, ac ventriculi ſunt vaſa caloris.

*Cor mediocre in ingenioſo requiritur.*

Venæ latæ iuxta Philoſophum præfato cap. eiuſdē libri habitus corporis frigiditatem: iuxtà Gal. lib. 2. de temperamentis cap. 4. caliditatem oſtendunt: Philoſophi eſt illa ratio, quòd in venis latis ſanguis refrigeratur, ob venti, ac externi aeris iniurias, quibus ſunt obnoxię, quia excarnes, & cutí prominentiores paruis, quæ ſubſunt carni: porrò prædita pinguedine corpora venis haud conſtant latis, ſed paruis; at nihilominus pinguedo fit à calido, non à frigido: igitur ſanguis in venis paruis calidior, in latis ineſt frigidior. Galenus ait, venas latas eſſe calidas, quia caloris opus eſt dilatare, ſpirituque ipſas diſtendere: de pinguedine ſtatuit eam fieri à frigiditate, ob quam ipſa concreſcit, quia in calidis corporibus digeritur, atque abſumitur, in frigidis autē ſeruatur; quā ob cauſam non penes partes carnoſas, quæ calidæ ſunt, ſed penes membranas, puta capitis, vel abdominis, quæ ſunt frigidæ pinguedo congelatur; iccircò venæ paruæ, quæ in pinguibus cernuntus corporibus frigiditatem, ſicuti venæ magnæ gracilibus inſertæ caliditatem promunt ipſorum. Huiuſmodi controuerſia non eſt, quòd ab inſtituto me longiùs abſtrahat: ego quidem aſſentior Galeno ob dictam illam præcipuam rationem, quòd calor diſgregat, frigus conſtringit. Latæ igitur venæ ampliorem continebunt calorem, anguſtę infirmiorem; nam quòd aſſeritur à Philoſopho, pinguia corpora eſſe calidiora, & nihilominus cum venis paruis, diſtinguit rectè Galenus loc. cit pinguedinem à corpulentia: illā à frigiditate omninò fieri probat exemplo fæminarum, animalium hyeme latentium, & aliorum ocioſiùs viuentium, qui omnes habitu ſunt frigidiori, reſpectu vel hominum, vel animalium ſub dio degentium, vel aliorum motu vegeto corpus agitantium; corpulentiam, ſiue carnis abundantiam concedit

*De uenarū calore cōtrarietas inter Galenum, & Ariſtot.*

à vegeto calore cum multo humido, ſeu ſanguine gigni, ſicuti mediocritatem in hac, & in pinguedine, à mediocri tùm calore, tùm ſanguine prodire. Ac ſi dicatur pinguedinem iuxtà eiuſdem loci doctrinam, ex parte ſanguinis tenuiore, ac leuiore fieri, quæ non niſi calida eſſe poteſt, admittitur hoc, quoad materiam, quia ſcil. pinguedo ex hac parte calida materiali reſultat, ſed efficiens eius, non niſi imbecillus eſt calor.

*Habitus corporis ingenioſorum qualis.*

Ingenioſus non eſt pinguis, neque carnoſus multùm, neque etiam multum gracilis, ideo venis conſtabit médijs, ac potiùs latioribus. Patet illud præter oculorum fidem, ſi vel eſſentiales, vel accidentales ipſius cauſæ æſtimentur. Illæ cum ſint vel temperies ad calidum, & ſiccum vergens, vel perennes, & continuæ ſpirituum animalium motiones, quæ in ipſo ex cogitationibus fiunt, ſanè prima aliquid pinguis, & ſuccolenti abſumet humoris, cuius defectu corpus ad gracilitatem deflectet: ſecundæ cum notabilem faciant eorumdem ſpirituũ attritionem, abſumunt quoque eos; quam ob rem ſanguis etiam, ex quo inceſſanter exhalant exſiccatur. Accidentales cauſæ ſunt inæquales viſcerum naturalium intemperantiæ, quæ vt plurimùm in ingenioſorum corporibus excitantur, ventriculi nimirum, hepatis, meſenterij; cum enim ob iuges, multaſque ſpeculationes calor à ventriculo ad cerebrũ euocetur, multa in ipſo excrementa, ob imminutam caloris defectu cõctionem gignuntur, quæ in flatus conuerſa ventris rugitum inferioris pariunt ſtudentibus familiarẽ, & cum ſanguine mixta, prauè nutriunt, ex quo totius corporis gracilitas, & pallor, quare à poeta dicta pallida turba doctiorum: ad venas porrò meſenterij detruſa obſtruunt ipſas: ex hac obſtructione calor quidam viſceribus extraneus, ob prohibitam ſcil. trãſpirationem inuritur, qui licet tantus non ſit vt efficere febrem poſſit, maximè tamen ingenioſi corpus ad ipſam diſponit: qua etiam de cauſa venæ in ipſo anguſtiores redduntur, prauis vt pote refertæ ſuccis; cum tamẽ naturaliter in ipſo mediæ ſint magnitudinis, vel nõnihil eam tranſcendentes. Ità præ tæteris hepar, quod naturali habitudine in ingenioſo ſubcalidius, & ſiccius debet eſſe, vt ſubtilem purũque progignat ſanguinem hac viarum anguſtia circumſeptum, cum ſe pro neceſſitate ſatis euentare nequeat, efferuet adeò vt ipſum ſuperaſſet ſanguinem, ac melancolicum reddat, vnde moderatum aliàs, ingenioſiſque proprium temperamentum euertitur, ex quo non raro melancolici, triſtes, iracundi, ſubdoli, modò pertinaces, modò inconſtantes, prout melancolia diuerſimmodè accenditur, ac varios acquirit gradus, & ſpecies, quibus ad varias artes, ac ſtudia diſponuntur, de quibus infrà ſuo loco.

*Hepar in ingenioſis quale.*

## *Sanguinis ingenio conferentis conditiones.* *Cap. XVII.*

PRÆTER allatas dictarum partium conſtitutiones ingenium euidenter iuuantes, illa eſt maxima, & præcipua, quæ ad ſanguinem ſpectat, cuius naturam inquit Philoſophus cit. cap. 4. lib. 2. de partib. animalium eſſe cauſam, cur animalia, varijs moribus, varijſque ſenſuum facultatibus gaudeant, quippe alimentum, ſeù materia totius corporis exiſtit, iuxtà cuius varias diſpoſitiones, animalium forma, nempè anima nonniſi variè poteſt hanc, vel illam actionem exercere; præterea ſanguis eſt materia, ex qua oritur ſpiritus, prout ergo ea erit vel craſſa, vel tenuis, ſincera, vel turbida, conſimilis ex ipſa etiam ſpiritus reſultabit, ex tali autem vel tali ſpiritu, operationes animæ, vel bonæ, vel malæ. *Cur sāguis iuuet ingenium.*

Sanguis igitur animalis puſillanimi eſt frigidus ac tenuis, ſiue aquoſus, & dilutus, qualis damis, aſinis, ac ceruis; at animalibus audacioribus, nempe apris, ac tauris ſanguis ineſt calidus, & craſſus, multiſq. fibris refertus, quæ cum terrenam ſapiant portionem, fit vt accenſus in ipſis calor ſeruetur diutius, vehementiorque fiat, vnde furor, & audacia. Ingenioſus cum moderatum quendam gerat metum, ſanguine pariter quodammodo inter allatos medio conſtabit, neque enim calidus vt furentium, neque frigidus vt puſillanimorum, ſed vtriuſque medietate perficitur: porrò nec terreſtris, & craſſus, ſed igneus, & aereus, ideoque tenuis, vnde plerunque non robuſta, ſed facilè diſſolubilia, & alterabilia ſunt ingenioſiorum corpora. Ex hoc etiam ſunt iracundi, ob facilem eiuſdem ebullitionem: ſunt etiam timidi, & melancolici, ob aduſtionem, & incinerationem ipſius ex caloris, & ſpirituum euaporatione in præcordijs factam; licet enim calore, quo inibi gaudent mediocri, humor aduri non poſſe videatur, quia tamen vergit magis ad exceſſum, quàm ad defectum, ac porrò ipſum frequēter agitant, & rerum plurimarum indagationi applicant, aſſatur etiā, exſiccatur, & melancolica redditur quædam ipſius portio, præſertim in venis cordi adiacentibus, ex quibus vapores ſubinde atri, ac frigidi ad cerebrum elati ſpeciem mali futuri excitant, vnde pauor quidam, ac metus. In animalibus puſillanimis humor melanconicus, & craſſus, nedùm in præcordijs plurimùm, ſed in toto corporis ambitu exuberat cum calore imbecillo, à quo accendi non poteſt, rarefieri, & aduri, ſicut in moderatè calidis, vel inſigniter calidis audacibus, ſcil. ac robuſtis; propterea ſunt eiuſmodi animalia carnibus duris, & aſperis, pilis duris, rudia ſummopere, & inertia, qualis aries, & aſinus; ac nihilominus *Sanguis ingenioſorum eſt medius inter calidū & frigidū ac tenuis eſt.*

nus

nus ſanguinem etiam habent aquoſum, quia ex eadem caloris inopia non tàm humor terreſtris, quàm etiam aqueus aceruatur, iuxtà variam materiæ diſpoſitionem.

Cõſiſtit igitur ingenioſi ſanguis in mediocritate quadam calidi, frigidi, craſſi, tenuis, groſſi, ſubtilis, nonnihil tamen ad calidius, ac ſiccius ideſt ſubtilius vergente; & cum ſanguis ſimpliciter, ac per ſe in animantibus non reperiatur, ſed cum alijs tantùm humoribus confuſus, qui ſunt pituita, bilis, & melancolia, debent hi ea inter ſe miſceri proportione, ac mẽſura, vt maſſa, & corpus quoddã sãguinis reſurgat vnum, in quo ignei, & aerei, ſiue calidiores ac ſubtiliores humores, ſanguis nimirùm, & bilis, debitè præualeant terreſtribus, & aqueis, ſeu frigidis, & craſſis, cum illi præſertim functionibus ingenij mirè ſint vtiles, hi verò propè inutiles, pituita ſcil. ac melancolia, quæ fex ſanguinis eſt; nam altera per aduſtionem atra bilis nuncupata, quia ſubtiliſſimis conſtat partibus ingenio maximè accommodatis, non paruã etiam ſui portionem in ingenioſi obtinet ſanguine, vt inferiùs oſtendemus, vbi ſingulorum humorum ad ingenium producendum, & fouẽdum vires examinabimus,

Cum dicta ſanguinis conſtitutione, non tam ingenij ſtat bonitas quã corporis etiam robur eximium, quale olim I. Cæſari Scaligero, ac recentiùs Iacobo Critonio Scoto, qui præter incredibilem in ſcientijs addiſcendis facilitatem, atque in diſputationibus acumen, ea pariter corporis dexteritate florebant, vt armis tractandis, choreis ducendis, equis moderandis, omnique gymnaſticę genere mirabiles haberentur, robur ex calore, ingenium ex ſinceritate, ſubtilitateque ſanguinis adepti: ſubtilitas penetrationi: ſiccitas retentioni: tenuitas apprehenſioni: puritas apprehenſionis facilitati deſeruit, ſicut impuritas difficultati, non aliter ac in puro, & ſereno aere, longè facilior, quàm in puro, ac turbido fit rerum inſpectio. Hanc ſanguinis dotem pulcherrimam, ac propè diuinam, cum pauci aſſequantur, fit vt perrarò quis ingenio valens, ac optima idem ſanitate præditus inueniatur. Si enim ſanguinem ſortiatur nimis ſubtilem, ac tenuem, reddit hic corpus (vti diximus) debile: ſi aquoſum, hic pariter ob ventriculi debilitatem oritur, vel ab ortu ſuo, vel ætatis progreſſu contractam: ac tamen aut hic, aut ille in ingenioſo plerumque ineſt: nec mireris de aquoſo, quia ſit frigidus, & frigiditas non conferat ingenioſis, quia non ob hanc, ſed ob tenuitatem confert: nec admittimus in ingenioſi venis aquoſitatem plurimam, ſed mediam; neque iunctam cum corde parùm calido, vt in aſinis, ſed cum vegeto, & ſanguinem in præcordijs ſaltem adurere potente; adeò vt ſicci ab eo ſpiritus ad cerebrũ poſſint efferri, qui cognoſcitiuam acuant facultatem. Et in hoc ſenſu intelligendus eſt Philoſo-

*Ariſt. lib. 2. de part. animal. cap. 4.*

loſophi locus ille lib. 2. de partibus animal. cap. 2. & 4. dum animalia frigidiori, ac tenuiori ſanguine conſtantia dixit eſſe ſapientiora, loquitur enim ibi de his reſpectu aliorum animalium calido nimis, & craſſo ſanguine præditorum, quæ ſunt multò dementiora, licet robuſtiora cæteris frigido imbutis, ac tenui; non tamen per hoc vult in his excludere robuſtam, ac vegetam caliditatem, quæ in ipſorum præcordijs frigiditati præpolleat, vt pote pro ingenioſis actibus neceſſaria.

## *Spiritus dotes ingenio neceſſariæ explicantur. Cap. XVIII.*

QVEMADMODVM verò ſanguinis natura multùm confert ad mores, & facultates animæ alterandas; ita natura ſpiritus, vtpote inſtrumenti proximi ſummum habet ad ingenij varietatem momentum. (conſideramus autem hic non implantatum ſpiritũ, quem à calore partium natiuo non diſtinguimus, ſed ſpiritum influentem, quem eſſe caloris à corde tranſmiſſi vehiculum conſtituimus.) Poteſt autem is eſſe craſſus, vel tenuis, purus, vel impurus, obſcurus, vel lucidus, copioſus, vel imminutus. Fit autem talis vel ratione ſanguinis, vel caloris, vel aeris; ſi bonus erit ſanguis, ac ex alimentis boni ſucci elaboratus, ſpiritum etiam tenuem, clarum, purumque exhalabit, mobilem maximè, ac ſuſceptiuum ſpecierum, contra verò ſi ſanguis erit nimis craſſus, ac terreſtris, ex prauiſque alimentis conflatus, ſpiritum etiam gignet impurum, craſſum, nec penetrationi, nec celeritati aptum. Vitiatur inſuper ſpiritus ex calore tùm hepatis, tùm cordis imminuto, vel intenſo: de corde quomodo id præſtet ſuprà ſatis locuti ſumus: hepar à prima ſui origine calore donatum imbecillo, multos frigidos in ſanguine generat humores, pituitam nempe, ac melancoliam, ac nimio ſi dotatum fuerit calore, progignit craſſos, ſupercalefaciendo, aſſando, ac ſubtiliores ſanguinis partes reſoluendo, craſſis relictis.

*Tres cauſæ Spiritũ immutantes.*

Aer tanquam externa ſpiritus materia multùm intereſt an calidus, vel frigidus, purus vel impurus exiſtat: in aere humido ac nubiloſo, ſpiritus fit impurior: hinc Hipp. ſupercitato Aphor. flantibus auſtris grauedinem induci corporibus, ac menti quandam veluti caliginem ait, ob alterationem ſpirituum: ita in locis imis, ac paluſtribus ob aeris craſſitiem, ignauos euadere incolas alibi affirmat, Philoſophus autem ſomnolentos probl. 11. ſect. 14. ità in aere frigido corpore potiùs quàm animo præſtantes fieri tradit ibidem probl. 8. hinc apud Scithas nemo vnquam Philoſophus præter Anacarſim, vt ait Galenus lib. quod animi mores &c: in aere calido maior cõtingit hominibus ſapiẽ-

*Auſtri ſpiritibus noxij.*

tia

tia inibi probl. 15: quales Ægyptij & Chaldęi, quia puriori fouētur aere, ac ſpiritu vi caloris rarefacto: in aperto aere, quia ob agitationē, & afflatū liberiorē fit purior, homines fiunt ingenioſiores, quales Galli: in locis etiam montanis, quia repercuſſus aer finditur, ac purgatur, homines ſummum ſortiuntur acumen, ac verſutiam, quales agreſtes hi noſtri Rhetias alpes minores, quà Tridentum vergunt incolentes. Ad ſummū igitur, ſpiritus noxa prout ingenium reſpicit, eſt craſſities, obſcuritas, impuritas, paucitas, inęqualis motus, ac tardus: eius perfectio eſt ſubtilitas, ſplendor, puritas, copia, vniformis, ac velox motus, quæ in æquali, & medio ſanguinis, aeris, hepatis, & cordis temperamento conſiſtit.

*Spiritus dotes ingenio vel nocentes vel iuuantes.*

Eſt ſubtilis, quia, & ingenij, & inſtrumentorum eius omnium cōditio, maximè vt diximus ad ignis, & aeris accedit naturam: eſt ſplendidus, quia igneus, & quia maximā habet cum luce ſympatiam, & quia ſpiritu luminoſo anima iuuatur, ex quo Ariſtoteles tex. 18. lib. 3. de anima, intellectum æquiparat lumini, vt quod maximè intermiſcetur in intellectus operationibus; nam atro ac tenebricoſo confunditur, ac terretur; quod melancoliæ morbo vexatis contingit, ob ſpiritus caliginē, ac nigrorem, vt ait Galenus 3. de loc. aff. 7. cui non officit Auerrois altercatio 3. Collig. iuxtà finem aſſerentis, animam non habere oculos, quibus intrò cernere poſſit ſpirituum lucem, & per conſequens nec poſſe animam hac luce vel terreri, vel iuuari ad rerum ſpecies percipiēdas; dicimus enim pro Galeno, quod lux vel nigror ſpirituum non proſunt, vel nocent animæ tanquam obiecta, quæ poſſit ipſa intueri, ſed ſolùm tanquam cauſa, cur obiecta repræſententur ei ſub ſpecie lucidi, vel nigri, ac proinde horrendi, vel iucundi; anima autē cū huiuſmodi ſpecie, puta iucundi, faciliùs etiam, & promptiùs operatur, ſicut ægriùs multò, ac ſegniùs cum ſpecie moleſti. In Mario conſule cum ſcintillæ quædam in oculis eniterent intuentium perſtringentes obtutum, excellentia ſpirituum in eius cerebro redundantium declarabatur, vnde excelſus ipſius etiā animi vigor, & ingeniū. Eadem ſpirituum luce præditum perhibēt Auguſtum, quam in ipſius micantem oculis miles quidam ferre non poterat. Cardanus illuſtris medicus dùm viueret, interdum medijs in tenebris, ſingula circumſpicere ſolitum, de ſe ipſo teſtatur lib. de rerum varietate, quod ex vna ſpirituum perfectiſſima cōditione oriebatur, quibus propterea præclarum, ac ſupereminens additum ingenium.

*Spiritus atri quomodo terrorem animæ inducant.*

*Marius oculos habebat ſplendentes vt Auguſtus & Cardanus.*

Purus autem debet eſſe ſpiritus, ac nitidus, vt anima facilè per ipsū rerum ſpecies poſſit intueri; nam cum phantaſia ſit veluti ſpeculum præbens rerum imagines intellectui contemplandas; ſpiritus autem ſit veluti medium, nempe aer, per quem huiuſmodi tranſeunt ſpecies, ſi

eſſet

eſſet hic impurus, ac denſus, facilis imaginum impediretur inſpectio, ſicuti ex occurſu impurioris aeris in ſpeculum impingentis, rerum in ipſo difficilis præbetur obtutus; oppones: ſi ſpiritus eſt velut medium, ergo non eſt inſtrumentum ingenij, vt mox dicitur, quando mediũ differt ab inſtrumẽto Reſpõdetur vocari medium metaphoricè. Item poteſt eſſe medium, & inſtrumentum reſpectu diuerſorũ: medium reſpectu obiecti: inſtrumentum reſpectu facultatis.

Quod porrò ſpiritus debeat eſſe multus, & copioſus, ſaltem in præcordijs, id vnum poteſt oſtendere, quod ingenium exercetur hoc ſpiritu tanquam inſtrumento: at inſtrumenti, quò frequentior eſt vſus, eò maior fit etiam conſumptio. Ingenioſus cum iugiter in rerum verſetur examine, multis ſcateat ſpiritibus in cerebro, ac venis cordi proximis neceſſe eſt, quibus ſubinde ad agendum adiuuetur.

Motus ſpirituum vniformis maximè confert ingenio, qui ſi diſtracti, ac diſcreti, nec vniti à corde ad cerebrum efferantur, nequit anima rerum ſpecies per eos oblatas adęquatè perſpicere, ſed conciſè, ac interruptè pro ipſorum alternata, & inæquali ad cerebrum tranſmiſſione; hinc ingenia volubilia nunquam eodem hærentia conceptu, ſed ſubinde ad aliam, vel aliam ſententiam reclinantia: quod ſpiritibus æqualiter aſcendentibus non contingit, quibus non confunditur vel perturbatur anima, ſed ordinatim in ipſis ſingula ſpeculatur; vniuntur autem facilè ſpiritus hi, qui à ſicciore materia, & à ſicciore temperamento cordis ſunt producti, quia ſicci eſt ſuo termino facilè terminari: ſpiritus è contrà humidi, atque humidum ſortiti principium, non ita remanent vniti, ac ſtabiles, quoniam humidi eſt malè ſuo termino, facilè terminari alieno: mulieres ac pueri huiuſmodi ſunt referti ſpiritibus, quia humido cordis ac totius temperamento donati, vtrique propterea in opinionibus admodùm varij, & confuſi.

*Spiritus ſicci cur ingenio conferentiores humidis.*

Vltima ſpiritus differentia eſt velocitas, vt promptè deferre poſſit idola facultatibus principibus, phantaſiæ ac intellectui, qui cum plurima prædicata debeat aggregare, vt ſubtilitates naturę percipiat, motu etiam ſpiritus ſibi miniſtrantis indiget celeriori. Iudicium ſpiritu quietiori, ac tardiori iuuatur; nam vt poſſit fieri diſcretio inter rem, ac rem, neceſſaria eſt rei quies: hinc iudicio pollens in moralibus, ingenioſus in ſpeculatiuis præcellit: hic enim penetrãdo ſe in ſingula inſinuat, ſpiritus forti motu: in morum actionibus, præceps, ac ineptus euadit vt plurimum: at iudicans tardiori donatus ſpiritu, maturiùs omnia poteſt circumſpicere: & cum in moralibus actionibus omnia quaſi caſu contingant, ob magnam ipſarum varietatem, eſt quaſi contingentium arbiter ac præuiſor, quæ humanæ prudentiæ mirabilis prærogatiua cenſetur.

*Conciliator differẽt. 79.*

*Iudiciũ ſpiritibus iuuatur quietioribus.*

## *Cerebri temperies quænam proſit ingenio.*
## *Cap. XVIIII.*

CEREBRVM vtpote ſedes, in qua celebratur ingenium, multùm intereſt, quod optimè ſit conſtitutũ. Eius eſt vſus imaginari, memorare, intelligere, ideoque refrigerare ſpiritus vitales à corde receptos, vt his actibus euadant apti. Ne recedamus igitur à methodo, qua cordis, & aliarum partium temperamentum venati ſumus, hæc cerebri frigiditas nõ debet eſſe ſumma: ſic enim incraſſaret potiùs ſpiritus, quàm animæ functionibus redderet habiles, quod in morbis frigidis ſatis cõſtat, in quibus phantaſtica, & ratiocinatrix obruitur facultas, velut in comate ac lethargo, ob frigidi humoris copiam cerebri meatus, per quos reuolui debet ſpiritus opplentem, ipſamque ſpiritus ſubſtantiam incraſſantem. At verò ſi parua ſit cerebri frigiditas cum exuperantia caliditatis, agitatio quidem ſpirituum, & imaginationum fiet intenſio, ob iugem ſpecierum commotionem à calore factam, ſed ingenio parùm erit idonea, tùm quia hoc vniformem, ac ordinatum expoſcit ſpirituum motum; tùm etiam quia ſi hæc ingens caliditas cum humiditate iungatur, vel mediocri, vel magna, multas excitabit in cerebro euaporationes, quibus acies ſubinde obtundetur ingenij; ſi verò cum ſiccitate nectatur, non temperabit ſpiritus, quantum neceſſitas requiret cognitionis, at ipſos relinquet calidiores, & acriores, qui propterea plus iuſto, vellicare cerebri membranas erunt apti, hominemque ad phreneſim potius, quàm ad ingenij munera diſponere.

*cerebrum nimis frigidũ vel calidũ ingenio est ineptum.*

Debet igitur cerebri frigiditas eſſe mediocris, vt proſit ingenio, atq. ex paſſiuis mediocrem ſiccitatem ſibi requirit adnexam: frigida, & humida cerebri tẽperatura ineptiſſima ex omnibus eſt ingenio, hæc verò eſt aquea: frigida pariter, & multum ſicca officit, quia craſſum notat elementum, ac terreum: calida, & ſicca moderata cerebro potiſſimum confert, quia ſic repercuſſum ignis refert vigorem non confundentem, ac perturbantem, ſed miniſterijs animæ aptiſſimè facientem, quæ calore in primis vtitur; ac præſertim ſi huiuſmodi temperies humiditate corrigatur magis aerea, quàm aquea, optima reſurget pro ingenio cerebri conſtitutio, quia ſic cerebrum fiet ſubſtantiæ ſubtilis, & mollis, quam intellectus facilitati, ac ingenij bonitati, Galenus accommodatiſſimam cenſet; ſicut pinguem, & duram eidem ſummoperè aduerſam: hanc ob cauſam Ariſt. lib. de reminiſcentia, requirit humiditatem in cerebro pro reminiſcentia, quæ magnorum eſt propria ingenio-

*Optima pro cerebro temperies calida, & ſicca moderata.*

*art. par. cap. 12.*

niorum: inquit enim (maximè autem reminiſcuntur quibus humiditas fuerit circa locum ſenſitiui.)

Hoc enim in genere tenendum eſt, ſubtilitatem, mollitiem, tenuitatem partium, maximè ad ingenij conducere excellentiam, referunt enim eiuſmodi qualitates ignis, & aeris prædominiũ, quæ ſuperius elementa debitè inter ſe mixta, probauimus magis ingenio facere, quam aquam vel terram, quæ fæculentiora multò, & craſſiora exiſtunt elementa. Tenendum eſt inſuper, quod ingenium, & ceteræ facultates animæ, licet magis perficiantur à temperato, quàm ab intemperato, tamen plurimi, qui cerebro ſunt intemperato in caliditate, ingenioſiſſimi ſunt, quia caliditate ſemper magis ingeniũ gaudet, quã frigiditate, quæ potiùs iudicio conferre videtur: ità Philoſophus primo probl. 30. ſect. melancolicos ex colericis factos, ſeu atrabilares in doctrinis egregiè claruiſſe animaduertit, ac præſertim in Poeſi, afferens exemplum Marci Syracuſani Poetæ, qui præſtantior erat, dum velut in ecſtaſim caloris vehementia rapiebatur, quod etiam de ſeipſo teſtatur Ouidius.

*Vgo Senenſ. in art. par. Gal. partic. 39.*

*Ingenium magis caliditate, iudicium magis frigiditate gaudet.*

*Eſt Deus in nobis agitante caleſcimus illo:*
*Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.*

Et Camillus Faernus, qui florenti Leonis X. ſeculo Archipoetæ nomen promeruit, tum aptiſſimè verſus profundere erat aptus, cum interdum tanti Pontificis conuiua, plurimo vini hauſtu replebatur, quo calor imaginationis excitus, innumeros rerum formare poterat conceptus, prout idem ait Ouidius.

*Iouius in Elogijs.*

*Vina parant animos, redduntq; caloribus aptos.*

Sed huiuſmodi calida intemperies, quæ hanc ingenij conſtituit differentiam, quia facilè poteſt inflectere ad veſaniam, ideò non dicenda eſt optima, ſed temperata magis laudari debet, cuius bono ſinguli nõ tam ingenio, quàm multis alijs excellunt nominibus. Experientia ſatis docet, Poetas furore quodam facilè corripi, quem propterea diuinum vocant ſpiritum, quo ſe cælitum immiſceri cenſent commercio. Vnus hoc doceat pro cunctis Taſſus Italorũ celeberrimus, quem mente prorſus ferè captum, ac delirum Ferrariæ in hoſpitali Sanctę Annæ per annos vndecim, Alphonſi Ducis Eſtenſis iuſſu detineri neceſſe fuit, vbi cum numine quodam, quem ſibi perpetuum rebatur comitem, omnium admiratione frequentia inibat colloquia: hoc verò nonniſi à phantaſia immodico affecta prouenìebat calore, aſſante, mordẽte, agitante, ac ſpecies varias, tùm iucundi, tùm moleſti, vel intermiſcente, vel formante. Ad quod fortè reſpiciens Seneca, in illam recidit ſententiam, quòd nullum magnum ingenium ſine mixtura dementiæ fuit.

*Taſſi dementia.*

Demum notetur corollarij loco, ſingula ferè proxima capita com-

plectentis, quòd prædicta cordis, hepatis, ſanguinis, ſpiritus, cerebri temperamenta, ſunt quodammodo in ingenioſo diuerſa, pro varia, & diuerſa eius ætate, iuxtà quam etiam ſunt æſtimanda. Vt enim in pueritia præualet humiditas, in adoleſcentia caliditas, in virilitate ſiccitas, in ſenectute frigiditas, ità etiam non nihil inſitum ingenioſi temperamentum per hos tractus alteratur, vnde varij in ipſo mores, & ingenium. Sunt pueritiæ mores candori procliues, iuuentutis amori, virilitatis honori, ſenectutis moroſitati, ac dolori. Ingenia puerorum ſunt apta docilitati, iuuenum ſubtilitati, virorum diſcurſui, ſenum conſultationi. Amplius pueri memoria, iuuenes phantaſia, viri intellectu, ſenes iudicio magis præſtant. Pueri adhæc in grammaticis, iuuenes in mathematicis, viri in naturalibus, ſenes in moralibus habiliores. Hac de cauſa nonnullorum ingenium ætatis progreſſu iuuatur, quia temperamentum ingenio acquirunt vtile, aliorum læditur, quippe acquirunt inutile, vt quotidie licet inſpicere. Eſt igitur temperamenti ingeniorum examini, iungenda ſemper ætatis conſideratio, vt quæ illud inſequitur, & aliquid ei continuò ſuperaddit, non quidem vt cauſa externa, ſed ſolùm prout interna ratio, & menſura quædam actionis, & motus caloris in humido, qui cum neceſſario ſtatis temporibus ſenſibiles quaſdam pariat mutationes, (quales ſunt emittere dentes, emittere ſemen, augeri, ac decreſcere) ab his etiam determinandæ veniunt ætates, pueritiæ, iuuentutis, virilitatis, ſenectutis, in quibus hæ fiunt; quare potius mutatio caloris in humido, ſeu temperamenti mutat ætatem, quàm è contrà; & ideò magis ſe habet ætas vt ſignum, & effectus mutationis illius, quàm vt cauſa, quę nonniſi impropriè talis appellatur, prout nimirùm apparenter illas nobis videtur parere in corpore mutationes.

*Aetas quid ingenio conferat.*

*Ariſt. lib. 2. Rhetor.*

## *Ingenioſi cerebrum, & caput magnum, an paruum, & quomodo eorundem bonitas, vel prauitas iudicetur. Cap. X X.*

MODERATAM cerebri temperiem, ac ſubſtantiam, magnitudo etiam ſequi debet, ac figura quædam ingenio conueniens, ſicuti ſuperiùs de corde ſtatuimus. Ex capitis verò diſpoſitione has cerebri qualitates deprehendit Galenus. Ideò quantum ad hoc, capitis, & cerebri conſideratio à nobis etiam confundetur. Cerebrum natura dedit homini maximum, reſpectu aliorum animalium, vt ampliſſimo cordis calori, quo dona-

*in art. par. cap. ij.*

*Cerebrum maximum cur contigerit homini.*

donatus eſt homo, pars vna in corpore ampla, frigiditate, ac humiditate plurima poſſet obſiſtere. Sed reſpectu ſuæ totius ſpeciei, vel vnius tantùm corporis, quandoque maximum, & magnum, quandoque mediocre ac paruum homini contingit cerebrum, ex quo huius variæ ad ingenium habitudines oriuntur.

Maximum cerebrum, vel reſpectu ſpeciei, vel indiuidui vix dari poſſe videtur, quia cum maximum requireret caput, quo contineretur, monſtroſum potiùs id foret, quã naturale; immò etiam humanis actionibus forſan inutile, cum humana forma, ſiue anima, ſingulis corporis partibus, nonniſi debita quadam magnitudine conſtitutis, vtatur: paruum eadem ratione, quam de corde attulimus, ingenio accommodatum non eſt, quippe in anguſto, & paruo loco arctati ſpiritus, & confuſi ſummopere agitantur, ac facilè inflammantur, vnde ſubita iræ violentia, & impetus; quod lib. de ſenſu, ac ſenſili D. Thomas affirmat; hac etiam de cauſa ſunt hæſitantes, ac facilè decipiũtur in rebus, ob perturbationem phantaſmatum à continuo, & forti ſpirituum motu illatam: ſunt perfidi, & conſtantes in odio, quia ſicut facilè iraſcuntur, ità diutiùs huiuſmodi ſeruant affectum, ob ſiccitatem à ſpiritibus calidis in paruo loco diù contentis adeptam; ſeruat enim ſiccitas impreſſiones. Ariſtoteles in Phyſiogn. cap. 9. paruo capite præditos vocat inſenſatos, eoſque refert ad aſinos, quibus plurimùm ineptiæ cauſa aſſimilantur; nam ſicut aſini minimo inter omnia quadrupeda præditi ſunt cerebro, (licet magnam capitis gerant molem,) ideoque cæteris omnibus rudiores, ità paruum habentes caput cerebri patiuntur inopiam, quare ſunt inſtar ipſorum vecordes, ac bardi: differunt in eo, quòd aſini, neque ira, neque impetu feruntur ob frigidam, ac duram, quam obtinent cordis, ac totius conſtitutionem.

*Cerebri parui vitia.*

*Caput paruum habentes ſunt inſenſati.*

Mediocre igitur cerebrum, vel magnum, quod parùm ſcil. à mediocritate recedat, ingenio cenſeri debet aptiſſimum; ſiquidem in capaciori loco ſpiritus circumagi faciliùs poſſunt, vt animæ obeant munia; locus verò ſpirituum in cerebro præcipuus, ſunt ventriculi tres, qui nec conniuentes, nec anguſti, ſed ampli, ac ſpacioſi exiſtunt, cerebro ipſo exiſtente laudabili quantitate formato. Hoc docet Philoſophus eodem loco Phyſiogn. inquiens: caput magnum homines arguere ſenſatos, qui ad canes referuntur: ſubintellige tu canes non cuiuſuis generis, ſed eos duntaxat, quibus nos ad perdices, vel rete, vel accipitre aucupãdas vtimur, in quibus verè ſolertia, & induſtria quædam mirabilis adnotatur; hos verò capite, ac cerebro, reſpectu totiùs corporis grandiuſculo, dotatos eſſe ſatis liquet, ſicuti cæteros, qui vel curſu, vel odoratu lepores proſequuntur, vel alia canum genera, cerebro & capite puſillo potiùs conſtare palàm eſt.

*Caput magnum habẽtes ſunt ſenſati.*

Oppo-

Oppoſitum tamen videtur Philoſophus ſcribere ſect. 30. probl. 3. vbi quærens, cur omnium animantium homo ſit prudentiſſimus. Reſpondet dupliciter, vel quia capite minimo eſt ad ſui corporis proportionem, vel quia capite inæqualiter, & irregulariter eſt minimo; vnde homines, qui minori ſunt capite prudentiores naſcuntur, quam qui ſunt grandiori.

Huiuſmodi reſponſio multos induxit, vt Ariſtotelem, vel deceptum, vel immemorẽ ſui, & aduerſum loco Phyſiogn. citato crediderint, vbi capitis paruitatem aſinorum ſimilitudine improbauit, quam etiã reprobat apertè Galenus art par. cap ij. caput magnum ſenſuum robori, longè accommodatius eſſe pronuncians; quam Galeni ſententiam medici pariter luculentiùs, & acriùs tuentur vniuerſi.

At verò ſi Ariſtotelis conſideretur doctrina lib. 2. & 4 de part. animal. vtrobique cap. x. facilè conſtabit, ipſum huiuſmodi apparentem cum ſemet ipſo, & cum Galeno repugnantiam omnino conciliare: afferens enim ibi cauſam, cur bruta ſint hominibus dementiora, & pueri viris, & inter viros ij, qui caput magnum nimis habent, ac partẽ corporis ſuperiorem plus iuſto carnoſiorem, reſpectu inferioris (cuiuſmodi homines vocat pomiliones, ſiue nanos,) ait id fieri, quia cum in parte ſupera corporis reſideat anima, quæ diuina eſt, hanc ſedem à materiæ corpulentia, quantum fieri poſſit immunem expoſcit, ne ipſius velut mole, ac pondere obruatur; huiuſmodi verò eſt caput hominis reſpectu brutorum, & caput viri reſpectu puerorum, & nanorum; homo ſiquidem & vir caput ſublime gerit atque erectum, quia leue, gracile, ac propemodum excarne, bruta & pueri ob capitis, & annexarũ partium grauitatem, & craſſitiem, corpore minimè ſtare poſſunt erecto, ſed ponderare ad terram coguntur, quam propterea grauitatem quoad non amittunt pueri, reſoluta ætatis tractu materia, videmus mentis actus in ipſorum corporibus non exerceri; ſicut in nanis reſpectu virorum apparent imperfecti, atque in brutis etiam ſenſuum vigor eſt imbellis; propterea quod contra quàm pueris accidit, quò magis bruta ætate adoleſcunt, pars ipſis ſuperna carnoſior, inferna leuior, & gracilior euadit.

*Caput plus iuſto magnũ habẽtes cur inſani.*

Ex hoc Philoſophi diſcurſu colligitur, quòd partem in homine ſuperam, carne, & oſſibus non præpeditam cum laudet, quippe immateriali animæ naturæ aptiorem, eiuſque functionibus conuenientiorem, ſanè dum in Phyſiognomicis, caput magnum, inquit, ſenſus perfectioni conferre, aliam quandam debet intelligere magnitudinem ab ea, quam citato de part. loco improbat, à mole, atque à materia prouenientem; hæc verò alia non poteſt eſſe, quam magnitudo loci, ſeu circumferentiæ cranei interioris, quia ſicut in homine magnum adeſſe cerebrum neceſ-

*Conciliat. comm. prob. 3. ſect. 30.*

neceſſe fuit reſpectu brutorum, ita magnum cerebrum reſpectu alterius hominis, parùm ſcil. moderatum excedens, phantaſiæ ac ſenſuum actibus prodeſt, ob rationes iam dictas, quod propterea capacius & amplius requirit caput, cuius orbe tegatur. In loco autem probl. adducto, dum capitis adprobat paruitatem, nonniſi eam poteſt intelligere, quæ magnitudini materiali, quam reiecit contraria ſit, quod idem eſt, ac ſi adprobaret caput, paruis oſſibus, & pauca carne donatum, iuxtà doctrinam de partib. & Phyſiogn. iam citatam, adeò vt Ariſtoteles verè nec ſibi, nec Galenò diſſentiat, quorum conſonæ ſunt in eo ſententiæ, quòd caput circumferentia magnum, at oſſium, & carnis mole paruum commendant, quemadmodum circunferentia paruum, & organica oſſium ſtructura magnum apertiſſimè reijciunt.

*Caput magnum & ex carne ingenio aptum.*

Cæterùm quomodo dignoſci poteſt huiuſmodi caput bonum, vel malum? inſuper; qua norma dijudicari caput magnum, vel mediocre reſpectu corporis eſſe? Galenus arguit primum membrum ex figura, & ex ortis à cerebro: figuram concinnam ſemper ait oſtendere bonam cerebri diſpoſitionem: orta porrò à cerebro, vt colli, oſſa, nerui, caro, & alia circùmiacentia, ſi rectè ſint conformata idem ſignificant, quoniam vtraque, non niſi à virtute cerebri formatrice valida prouenire potuerunt, quæ materiam ſatis regere potuit, ac tranſmutare ad bonam conſtitutionem, ideòque capax, & magnum caput, ac cerebrum g gnere, in quo poſtea bonæ perficiantur operationes: magnum è contrà caput cum figura inconcinna, & annexæ partes prauè diſpoſitæ, ac for natæ, d biles nempe colli nerui, color imminutus, caro flaccida, & incompta oſſium ſtructura, quia virtutis infirmitatem cum materiæ ſuperabundantia teſtantur, caput etiam, ac cerebrum pro animæ functionibus imperfectum oſtendunt, vnde Galenus ait, caput magnum non eſſe ſignum neceſſariò bonum cerebri benè conſtituti.

*in art. parua cap. ij.*

*Caput pro ingenio aptũ quomodo dignoſcatur.*

Verum hìc ſuboritur dubitatio, quia ſi benè ſenſatus requirit cerebrum, & caput benè diſpoſitum, ergo collum etiam habebit robuſtum, ſiue vt ipſemet ait Galenus neruoſum, & plenum, quod Vgo Senenſis interpretatur groſſum; ſed ſuperiùs ex Ariſtotelis mente innuimus, ſenſati, ſeu ingenioſi collum debere cum annexis partibus eſſe potiùs macrum, aduerſari ergo ſibi videntur Ariſtoteles, & Galenus. Conciliantur tamen ex eo quod craſſum, ſeu groſſum non contrariatur macro; poteſt enim ſtare ſimul collum validum, groſſum, & macrum: Ariſtoteles autem non excluſit bonam figuram, & robur neruorum, & partium colli ab ingenioſo, ſed excluſit carnis, & pinguedinis copiam, quia materiæ multitudinem ſedi animæ, vel partibus ſedi proximis obeſſe plurimùm exiſtimauit, vulgus enim homines groſſos, &

*in Comm. eius loci.*

*Ingenioſi collum quale debeat eſſe.*

ſo, & pingui collo præditos vocat boues, quibus propè moribus animæ videntur aptari.

Dubitatur hìc, quia Plato dicebat, capita ingenioſorũ eſſe debilia: malè igitur ex Galeni ſententia ſtatuuntur robuſta. Reſpondetur eſſe robuſta generatione, ſed per accidens debilia, quia paruorum oſſium & rara, proindeque cuilibet aeris iniuriæ obnoxia.

Sed fallit dicta regula de pingui collo, quia cũ pinguedo fiat à calore tẽperato, poteſt collum pingue hominem oſtẽdere temperatum, in quo perfectiores omnes fiant animæ operationes, proindeque excellens inſit ingenium; ita D. Thomã tantum virum habitu quodam totius corporis pingui dotatum accepimus, quem propterea bouem mutum ſocij appellare ſolebant: ita Pierium Valerianum, Gulielmum Budeum, Batlhaſſarem Caſtilioneum, alioſque ingenioſiſſimos, & elegantiſſimos viros, pinguiori corpore donatos fuiſſe, commonſtrant viuæ ipſorum imagines, ac multorum teſtantur ſcripta. Verum eſt, quod cum huiuſmodi pinguedine non debent eſſe magna oſſa, neque caro plurima, quoniam hæc verè bouina eſſet conſtitutio; propterea Galenus dum ſtatuit collum plenum, viuidum, & benè coloratum cum optimo cerebro iunctum, ſi vellet ipſum pingue etiam intelligere, cum carnis, ſanguinis, & oſſium mediocri connexu, non erraret fortè, quatenus ipſum conſiderat in homine temperato, & perfecto, quem rarius adnotamus, quia in eo coire poſſunt hæc ſingula, vt ſuperiùs diximus, optima nempe corporis partium conſtitutio, & ſanitas cum optimo ingenio. Sed Ariſtoteles ea quæ frequentius contingunt aduertens, determinat ſenſatum hominem, & ingenioſum habitu corporis non ita bono, dorſo, collo, facie, alijſque ſupernis partibus macrioribus, ob aliquod calidioris, ac ſiccioris temperamenti prædominium, quo vel natura, vel ex accidenti huiuſmodi homines vt plurimum conſtare, teſtatur experientia.

*Collũ magnum & pingue eſt bouinum.*

## *Capitis magni, mediocris, & parui, eiuſq; optimæ figuræ di-gnoſcendæ ratio. Cap. XXI.*

QVOD ad noſcendam capitis magnitudinem, vel paruitatem, intelligendum eſt, quodnam caput mediocre reſpectu corporis dicatur eſſe; nam vt aſſerunt Mathematici rectũ eſt iudex ſui, & obliqui. Pro quo notandum eſt, huiuſmodi caput conſiderari non debere in corpore, quod ſit in motu extenſionis, puta puerorum, & iuuenum, ſed in eo, quod ſit in eſſe permanenti, ac ſtabili, ſeu virorũ mediam iam ætatem obtinentium; in his enim, quia nulla amplius ſecundum tres dimenſiones fit varietas, certior ſtatui regula poteſt. Mediocritas igitur: capitis viri iam perfecti, ac optimè ſecundum naturam ſe habentis percipietur ex eo, ſi linea ducta à medio frõtis circa caluariam ſuprà aures ad idem rediens punctum, tanta ſit, vt ad magnitudinem totius corporis comparata triplex exiſtat; nam ſi vel excedat, vel deficiat, caput recedit à mediocri, ac magnum in exceſſu, paruum in defectu dicendum eſt. Ac vt res magis declaretur, corpus perfectum, mediocre, & quadratum eſt, (vt ait Plinius) ſi adapertis brachijs in modum crucis, tãta ſit latitudo à ſummitate digitorum dextræ manus ad aliam digitorum ſiniſtræ ſummitatem extenſa, quanta eſt altitudo à capitis vertice ad plantã pedum. Recentiores poſt varias obſeruationes, huiuſmodi terminum ad certam quandam reuocantes menſuram, decreuerunt corpus humanum perfectum, quattuor pedum Italorum, & ſemis circiter altitudinem non tranſcendere: huiuſmodi pes eſt, vnciarum duodecim: pedes quattuor, & ſemis, quinquaginta quattuor conſtituunt vncias: linea igitur circularis iam dicta in talis perfecti corporis capite, debet ad tertium horum eſſe producta, eritq; vnciarum duodeuiginti.

*Caput mediocre quomodo digno ſcatur.*

*Corpus quadratum eſt, altitudine quattuor pedum, & ſemis.*

Huiuſmodi regulam in pueris vanam, (quod ego volui pluries experiri,) in perfectis magna ex parte veram inueni: porrò eadem regula valet ad mediocritatem capitis reſpectu cæterorum totius ſpeciei dignoſcendam, ſicuti prior valet ad cognoſcendam mediocritatem capitis in indiuiduo, quia poteſt aliquis eſſe capite mediocri reſpectu ſui corporis, quod tamen, vel ſuperet, vel non tangat altitudinem pedum prædictam; quare linea circumferentiæ ſui capitis, vel excedet vncias duodeuiginti, vel his erit inferior.

Quodnam ſit igitur magnum, vel paruum caput parùm, vel multùm à mediocritate recedens, ideòq; ingenio magis, vel minùs idoneũ ex his facilè poteſt intelligi. Supereſt ipſius examinare figuram, quam

Galenus cit. ar. par. loc. ait eſſe perfectiſſimam, ſi aſſimiletur ſpheræ parum manibus vtrinq; compreſſæ; in hac enim anteriora cum quadã planicie oblonga; poſteriora cum quadam gibboſitate conſurgent, lateralia cum planicie quadam recta: huiuſmodi capita vulgus noſtratiũ appellat (martellina,) inepta quadam ſimilitudine fabrilis inſtrumenti hoc nomine nuncupati: huius figuræ non affert ibi rationem Galenus, ſed illa fortè poteſt adduci, quòd ſit perfectior, quia circulo propior; attamen circularis omnino humani capitis nõ debuit eſſe figura, ob neceſſitatem poſitionis ipſius ſupra collum, quæ ſunt enim plana meliùs ſupra baſim firmantur, quàm rotunda. Sed iſta nimis generica eſt ratio: proximior eſt illa, quę ab eodem Galeno deſumi poteſt cap. vltimo, lib. 9. de vſu part. cum enim in poſtera capitis parte natura efformauerit cerebellum, oportuit eam partem eſſe protuberantem, vt in qua cerebellum ipſum aſſeruaretur: in anteriori cum formauerit apophyſes ad nares, & oculos, oportuit eas etiam ad externa protuberare, quia ſi ad interna, præterquam quòd eſſet indicium imbecillæ virtutis, quæ rectè nequiuerit huiuſmodi partes formare, tùm oſtẽderetur cerebri locum ab huiuſmodi partibus intrò vergentibus occupari, anguſtiuſque ipſum euadere cerebrum, quòd idem de parte capitis poſtera dicendũ: propterea rectè affirmat Galenus, quòd ſemper, vel alterutra, vel vtraque protuberantia deficiente, capitis imperfectior cenſeri debet figura, nam ab iam dicta ſphærica perfectiſſima, cæterarum ab ea declinantium vitia deprehenduntur, quas infrà, vbi de ſignis ingeniorum opportuniùs afferemus.

*Capitis perfecta figura.*

*Primi Libri finis.*

DE

# DE INGENIORVM DIFFERENTIIS, ET CAVSIS.

## LIBER SECVNDVS.

### LIBRI PROOEMIVM.

TANTA eſt ingeniorum varietas, tantuſq; in ijs interſtinguendis velut luxuriantis naturæ conatus, vt non magis in hac rerum vniuerſitate, lætiſſimam tot fætuum pompam, quàm in microcoſmo varios ingeniorum ornatus affectaſſe videatur. Nihil eſt, vt ſuauius, ita difficilius, quàm ſingulas animorum virtutes aſſequi vna quaſi tabula velle, quas nec ipſa cogitatio complecti poteſt. Differunt omninò ijs populi, & vrbes, & familiæ, ac inter ſe ſinguli arcana ipſarum, excellentiq; prærogatiua ſpectabiles. Vt enim vultu, ſic etiam diſſimiles animo, quod inter admirabilia naturæ iure optimo arbitramur. Cauſam herclè tantæ diuerſitatis proximam reddere impoſſibile eſt, ac ſummus ipſe doctorum parens Philoſophus genericis duntaxat ſparſim contentus, planè docuiſſe videtur, quomodo cæteræ humano intellectui minimè ſint obuiæ. Differentias ingeniorum nullibi tetigit, ipſarum duntaxat ſigna quædam in lib. Phyſiognomicorum, ieiuno ſatis ſermone proſecutus. Verè nimia fœlicitas eſſet vnamquamq; poſſe pernoſcere, quò ſuis quæq; poſſet humanis vſibus deſtinari. Eſſet idem ac ſingulos temperamentorum gradus percipere; quod ſi daretur morbos omnes propè curabiles fore vſu æquipollentiũ medicamentorum affirmat Galenus. Quis enim percipiat, cur hic in ſurandi arte acutus, in mercatura hebes euadat? cur ex tot ſurandi

*1. Probl. Sect. 30.*

modis in vno induſtrius, in cæteris adnotetur ineptus? cur ex tot pingendi generibus, hic humanorum vultuum ideas veris quaſi referre coloribus valeat, totius verò corporis commenſurationem inſciuſſimè exprimat? Quis porrò innumerabiles in depingendis corporibus modos, quibus quiſq; in eadem arte vtitur comprehendat? Eadem eſt in indiuiduis ingeniorum cauſis, ac differentijs noſcendis difficillima ratio. Sunt ab aſtris fortè impreſſi in hominum corporibus caracteres, ſunt notæ ab vltimis temperamētorum formulis inditæ, quibus hominum haudquaquam ſufficiat captus. Nos cum huiuſmodi phyſicas elucubrationes non ſolius veritatis ſtudio, prout ingenuum hominem decet, ſed ad publicam in primis moliamur vtilitatem, illas duntaxat proponemus ingeniorum differentias, & cauſas, quæ tùm potioribus Reip. vſibus, tùm diſciplinis, ac ſcientijs facilè accommodantur; obſcuriores autem, vel inutiliores vix tangemus.

Suggerit autem rei natura, doctrinæq; ordo, vt poſtquam ingenij eſſentiam, ſubiectum, inſtrumentum, ac ſingulorum temperamenta, varioſq; circa ſingula vtendi modos ſcrutati ſumus, ipſas pariter differentias, & cauſas cognoſcamus. Non enim ſufficit ſciuiſſe quid ſit homo, niſi diſtinctionem ipſius teneamus in marem, & fæminam, quorum diuerſæ proprietates, & cauſæ conſiderari poſſunt. Sed cum ingenij differentiæ, vel ab eſſentialibus ipſius partibus, vel ab accidentalibus deſumantur, ad eas primò conuertendus eſt ſermo, ceteræ mox inferiùs tractabuntur.

## *Ingeniorum differentiæ ab intellectus actionibus deducuntur. Cap. I.*

INGENII naturam ſuperiùs in duabus hominis partibus conſtituimus intellectu, ac phantaſia. Videtur ergo ab his prima ſumenda ingeniorum diuiſio, quòd nimirum aliud ſit ingenium exquiſitè intelligens, aliud excellenter imaginans: ſed cum ſatis demonſtrauerimus eandem in omni ſemper ingenio vtriuſq; facultatis conditionem eſſe, non debet ab huiuſmodi partibus ingeniorū ſumi diſtinctio, niſi quatenus homo idem interdum ſecundum apparentiam magis eſt imaginans, quàm intelligens, vel è contrà, quod contingit, vbi phantaſiæ actus eſt tranſiens ad aliquod effectibilium operum quomodo eſt euidentior, vel cum huiuſmodi actus non tranſit ad opus, ſed eſt immanens, quomodo euadit obſcurior, & cum eo intellectiua quandoq; magis effulget poteſtas: adeò vt homo concedi poſſe videatur optimo præditus intel-

lectu

lectu cum imperfecta phantaſia, diſtinctus ab alio, cuius optima ſit phantaſia cum minimo intellectu, qui tamen re vera ex doctrina ſuperiùs à nobis tradita dari nequit. Verior itaq; ingeniorum differentia eſt haurienda ab intellectus, ac phantaſiæ operatione, quæ vt in eodem indiuiduo ſemper eſt eiuſdem perfectionis, ità in diuerſis admodum varia diſtinctaq; eſſe poteſt.

Intellectus operatio duplex eſt, cognitio, & actio: ad primam refertur ſimplicium apprehenſio, affirmatio, vel negatio, atq; etiam illatio, ex quibus reſurgit habitus, vel intelligentiæ, quæ circa prima verſatur principia, vel ſapientiæ, quæ illorum eſt, quæ proximè pendent à principijs, & ſunt communia, vel ſcientiæ, quæ in rebus proprijs contracta aliqua ratione ſcibilibus occupatur. Ad ſecundam prout eſt immanens, refertur rectus agibilium vſus, virtutum nempe, ac vitiorum, quæ prudentia dicitur: prout verò eſt tranſiens refertur recta effectibilium ratio, quæ dicitur ars. *Habitus cognoſcitiui quot.*

Phantaſiæ actio præcipua eſt quoque duplex, vel enim comprehendit rerum imagines vt ſunt, vel format imagines varias ad libitum, reſq; prout apparent inſpicit, quo munere à Platone ſimulachrorum magiſtra nuncupatur. *Plato in ſophiſta.*

Porrò phantaſia, vel componit ea, quæ iudicat, licet confusè, ac imperfectè, vt puta dum componendo alas, & aſinum iudicat aſinum alatum, vel eadem inter ſe diuidit, vt dùm alas ab aſino ſeiungit, vel circa ea quodammodo ratiocinatur, cum ex vno phantaſmate ſubinde aliud eliciat, ac ex vna intentione procedat ad aliam, qui eſt quaſi argumentandi modus circa ſingularia, per quem à notis velut ad ignota procedens format chimeram, aliaq; concipit admirabilia. *Phantaſia actiones enumerantur.* *Phãtaſia diſcurſu quodam vtitur circa particularia.*

Iam igitur ex parte intellectus alia ſunt ingenia, quæ res facillimè apprehendunt, ac definiunt, vt Euclides, alia, quæ facilè diſtinguunt verum à falſo, ambiguaq; diuidunt, vt Galenus, alia quæ facillimè diſcurrunt, & colligunt verum, & falſum, vt Ariſtoteles. Ab his pendent alia, quæ vel ſunt ſophiſtica, vt Philoponus, Petrus Ramus, ac Teleſius, alia ſcientifica, vt Alexander, ac Themiſtius; quædam diſputatiua concluſionum, qualia Scotiſtarum, quædam magis definitiua, & concluſionibus acquieſcentia, vt Thomiſtarum: nonnulla obiectiones promptiùs formant, vt Græci, alia fæliciùs ſoluunt, vt Latini. Porrò plurima inordinatim, & confusè intelligunt, plurima ordinatim, inſigniq; methodo: hæc in vno, illa in varijs connexiſq. præcellunt: aliqua in difficilioribus ſubtilia, in facilioribus hærentia, aliqua contrà faciliorum cognitioni apta, difficiliorum autem prorſus inepta. Inſuper ingenia ferocia magis circa rerum eſſentias, & abſtractiones, vt Metaphiſici, & Platonici, mitiora circa rerum magis proprietates verſantur ſenſibiles, *Ingenia Thomiſtarum, & Scotiſtarum.*

vt

vt Phyſici, & Peripatetici. Pariter quædam ſunt facilis reminiſcentiæ, quædam difficilis: alia docendo: alia valent exequendo: hoc in ſpeculatiuis, illud admiramur in actiuis: inſatiabiles aliqui ſcrutantur, ſubinde alia, & alia: aliqui paucioribus tantùm inſiſtunt. Has intellectus differentias plerunq; in ſingulis ingenijs liceat adnotare.

## *Ingeniorum differentiæ ex Phantaſiæ operibus enumerantur. Cap. II.*

EX parte phantáſiæ, duo ſumma ſunt ingeniorum genera: nonnulla, quæ aliorum inuenta rectiſſimè percipiunt, alia, quæ ſua virtute inueniunt, & imaginantur inexcogitata, & noua. Vtraq; autem cum, vel cōponendo, vel diuidendo, vel quodammodo diſcurrendo verſentur circa phantaſma, quod eſt imago rei, hæc imago, vel conſideratur, & cognoſcitur prout referens magnitudinem, vel vt referens motum, vel quietem, vel numerum, vel figurā.

*Ingenia quędam valent in imaginatione rerum minimarũ.*

Ratione magnitudinis conſurgunt ingenia rectè imaginantia, vel minimam, vel mediocrem, vel maximam. Minimam, vt Vicentinus ille, qui horologium in annulo Principi Vrbinati (vt ait Cardanus) dono dedit, quod cum vix effugeret oculos, horarū tamen interualla perfectiſſimè indicabat: ſic alius quidam duodecim articulos in vngue diſtinctiſſimis formabat caracteribus. Currus Phætontis cum quadrigis in paruiſſima annuli gemma inſculptus fuit ex Galeni teſtimonio: Apelles lineam imperceptibilem ſuper aliam Protogenis ſubtiliſſimam lineam, ad ſtuporem omnium duxit. Ita Parrhaſius in rebus minutiſſimis effingendis excellens apud antiquos eſt habitus: Albertus Durus, atq; Antonius Tempeſta apud modernos celeberrimi extiterunt. Democritus hac forſan dotatus Phantaſiæ ſpecie, vulgare illud corpuſculorum minutiſſimorum (quæ atomos vocabat) commentum excogitauit, vt eadem virtute freti anatomici, vel culicum, & apum, ne dùm hominum exactiſſimam moliuntur diſſectionem. Circa mediocrem magnitudinē verſantur ingenia, quæ triplicem corporum dimenſionem imaginātur, quibus innititur ſculptura, pictura, architectura, fabrilis, fictilis, & mechanicæ omnes debitam quandam magnitudinem requirentes.

*Plinius.*

*Ingenia pollentia in rebus maximis.*

Circa maximam excellunt ingenia vaſtis quibuſdam conceptibus obnoxia, velut eius, qui ſtatuam Alexandri Magni ex integro monte formare conſtituerat, vel eorum, qui totum circumdederunt orbem, nec marium immenſitate ſunt deterriti, quominùs in nouas, & incognitas, extremaſq; regiones penetrarint, quales Columbus, Corteſius, & Megellanus. Talia ſunt etiam poetarum ingenia, qui gigantes, polipheмos,

mos, monſtra, exercituum occiſorum millia, aliaſq; chimeras hiperbolicè repræſentant. Hoc etiam in genere ſunt aſtrologi cælum totum nauiter emetientes, & Geometræ totum pariter mundum. Ab hac phantaſiæ differentia fluxere moles illæ vaſtiſſimæ Phari Alexandrini, Ægyptiarum Pyramidum, templi Iouis Olimpij, Hortorum penſilium in mænibus Babylonis, & aliæ, quæ vulgariter ſtupores orbis dicuntur. Hac eadem inuenta eſt octaua ſphæra à Ioanne de Monteregio, & inuenti ſunt alij orbes in cælo à prȩſtanti Mathematico Galilæo, beneficio tubi coriacei ſpecillis vitreis duobus occluſi, quo rerum, vel longinquiſſimarum veræ imagines, velut ſub oculis poſitæ conſpiciuntur. Anaxagoras mundorum pluralitatem illam, quam audiens Magnus Alexander defleuit, vt qui omnes non poſſet capere aſſerebat, quia phantaſmata rerum immenſarum, maximarumq; formabat. Sic oratores in exaggerandis, amplificandiſq; rebus inſignes, vt ad affectus impellant, hac phantaſiæ eminent ſpecie, quæ ſicut in ſcientijs, vel artibus, ita etiã in morum actibus animaduerti poteſt. Itaq; regnorum adminiſtratores, maximorum exercituum ductores, ampliſſimarum vrbium æqui rectores, ingentium tormentorum inuentores, vt Phalaris, & Actiolinus, vel maximorum criminum patratores, vt Nero, qui totam vrbem ſua perfidia conflagrantem de turri proſpexit, dicuntur ingenio pollere, vel ad magna vitia, vel ad magnas virtutes habili.

Quod ad motum conſurgunt ingenia, quæ rectè concipiunt imagines rerum cum motu quodam coniunctarum, ac ſunt varia, prout variorum motuum phantaſmata comprehenduntur: quædam igitur ex motu ventorũ, vt inuenerunt, & cõſtituerunt nauticam artẽ, ita quædã in eius inuentæ vſu feliciter excellunt. Ex motu etiam plurium rotarum aptè percepto fabrefacta ſunt horologia, & fabrefiunt; ac præſertim ex motu vmbrarum arborum inuenta ſunt à paſtoribus ea, quibus ſolis curſus per horas menſuratur: ex motu operculi, quo lebes chymiſticus tegebatur in laquearia impulſi vi pulueris, qui in ipſo lebete erat accẽſi, tormentorum militarium emerſit inuentum: ex motu etiam ſiderum pronunciati ſunt orbes in cælo varij, & ſunt hæ inuentiones velut phãtaſiæ ratiocinia quædam à noto ad ignotum in particularibus procedentia. Ad hanc phantaſiæ ſpeciem pertinent aquarum, vel ciendarum, vel cogendarum ingenia: pertinet animalium motus, & auium cantus vi aquarum excitatus, quod in Tiburtinis hortis Hippolitus Cardinalis Eſtenſis primus omnium reuocauit ad vſum, cum ante ipſum Athenæus lib. 4. muſicorum quorundam inſtrumentorum vi aquæ ſonantiũ à Ptolomeo Euargete barbitonſore Alexandrino inuentorum meminerit. Ad hanc etiam pertinent machinæ omnes rotarum, quarum induſtria fiũt aues volantes, qualis columba illa, ſumma Architæ Tarenti-

*Ingenia quę dam valent in rebus cũ motu coniũctis.*

*I. Cæſ. Scalig. de ſubti. exerc. 307.*

ni

ni induſtria (vt ait Plutarchus) ad volandum compoſita, vel aquila illa à Ioanne de Monteregio conſtructa, quæ ad Imperatorem extra Norinbergi vrbem conuolauit, ipſumq. poſteà ad vrbem vſq; volans iterum eſt proſecuta: hinc auctor quidam vſq. adeò ingenij temeritate prouectus eſt, vt libellum de arte volandi conſcriptum ediderit: Artes porrò ſaltandi, venandi, æquitandi, ſcribendi, agricultura, gladiatoria ad hanc phantaſiæ differentiam referuntur. Ars etiam ſcenica, cuius opera, vrbium, nemorum, hortorum, fluminum, regionum ſpectacula varia repentino machinarum verſatilium opificio ſpectãtibus offeruntur. Ampliùs, & chimica, quę per varios diſtillandi modos varias miſtorũ tranſmutationes complectitur, ſub hoc ingeniorum genere continetur. Practica etiam medicina, quæ morbi varios inſultus, ac motus conſiderat: homines quoque manus celeritate quadam in ludicris viſum fallentes, necnon alij fluxu verborum pollentes, ac in agendis mobilitate quadam contraria inertiæ, ac torpori, quo nonnulli debitum nunquam ad finem deueniunt, hoc ordine adnumerari poſſe videntur; in his enim omnibus fit conceptus phantaſmatis motum rei quendam imaginatrici potentiæ referentis.

*Ars volãdi tradita.*

Ad quietem verò attinent illa ingenia, quæ obiectum minimè vt magnum, vel vt motui iunctum, ſed potiùs, vt ſtabilitatem, & immobilitatem obtinens comprehendunt: ſic inſpectrices artes omnes huic generi ſubijciuntur. Ars dijudicandi gemmas, Phyſiognomia, quæ accidentia partium corporis; Chiromantia, & Metopoſcopia, quæ lineas in vola manus, vel in fronte defixas æſtimat: excellentia in propoſitam metam feriendi, vel ſagitta, vel lancea, vel ſclopo, in quibus homines interdum ad miraculum eminent, aliæq; id generis ad hanc phantaſiæ ſpeciem rediguntur, quæ pariter multùm confert intellectus iudicio ſuper verum, & falſum, bonum, & malum; nam ſuprà oſtendimus iudicium in quiete potiſſimùm perfici.

*Ingenia q̃dam valent in rebus cũ quiete iunctis.*

Sub numero ea reduci poſſunt ingenia, quæ plura ſimul phantaſmata rectè diſpiciunt, vt Arithmetici, quorum Ioannes Suiſſet Scotus Calculatoris cognomen adeptus eſt, vel Caballiſtici, qui numerica quadã ratione rerum euentus prænunciare cenſentur, cuius dogmata Cornelius Agrippa, Petrus Aponus, Michael Scotus reliquerunt. Huc ſpectat Theorica Muſicæ, quæ figuratum numerum contemplatur, in qua optimè omnium Seuerinus Boetius ſcripſit, libro à paucis intellecto. Hùc ſpectat quod de Menelao Imperatoris Conſtantij ſagittario perhibent, qui eodem ictu tres ſagittas in tria diſtincta ſigna rectiſſimè dirigebat. Hùc etiam reſpicit I. Cæſaris ingenium plures diuerſi generis epiſtolas appoſitis ſcriptoribus eodem momento dictantis. His quoq; ſubnecti poteſt inuentum illius opificis Alphonſo Secundo Ferrariæ Duci deſeruien-

*Ingenia q̃dam in rebus cum numero ſunt acuta.*

*Plin. lib. 7. cap. 25.*

uientis, à quo plurimi conſtructi ſunt ſclopi: qui debita ſemel imbuti materia, decies ſubinde in certum locum exonerabant. Ad hanc phantaſiæ differentiam attinent etiam illi, qui memoria plurimum valent, ſubſeruit enim memoria ſpeciatim huiuſmodi phantaſiæ, quò enim illa eſt in plurimis rerum phantaſmatibus aſſeruandis perfectior, eò plura phantaſia poteſt ex ipſis decerpere, atq; ad libitum imaginari; propterea ſingulos hac differentia præditos inſigni plerunq; præſtare memoria neceſſe eſt.

*Memoria cũ quibus cõiungatur ingenijs.*

Linguæ igitur latinæ, vel alterius cuiuſcumque cognitio, ciuilis, & canonici, iuris theorica pertinent ad huiuſmodi phantaſiæ vim, quippe cum hæ doctrinæ in ſola conſiſtant retentione multorum nominum, multarumq; ſanctionum, & auctoritatum, quod fit in arca memoriæ, phantaſia hæc ſingula ſic ſeruata celerrimè, atq; affatim pernoſcit, allicitq; ſubindè intellectum ad plurimos vberrimoſq; formãdos diſcurſus: ſic videmus quales, quantaſq; excellentes Iuriſtæ canant repetitiones, ampliationes, & regulas, conficiendo huiuſmodi phantaſiæ beneficio, immenſa propè volumina, qualia Baldi, Bartoli, ac cæterorum. Pythagoras dum ponebat corpora ex numeris conſtare (vt ait Ariſtoteles 13. Metaph. cap. 3.) hac forſan phantaſiæ ſpecie nitebatur: ſic hiſtorici nobiles ex comprehenſione multorum ab excellenti memoria ſuggeſtorum, loci nimirum, temporis, rei geſtæ, perſonarum, & aliorum id generis conflant vberrimos ſermones ad eximiam legentium iucunditatem. In moralibus hac pariter phantaſia iuuantur homines aleis ludendis induſtres: porrò illi, quos negotiatores appellamus, vt mercatores, publicani, cancellarij, legati principum, & alij multiplici rerum genere impliciti.

Poſtremò diximus cognoſci phantaſma, vt cum figura eſt, pro quo notandum figuram accipi, vel prout eſt in quarta ſpecie qualitatis, vel vt in tali, vel tali ſubiecto exiſtit. Primò eſt forma corporis externa eius naturæ conueniens, quæ multiplicem ſui præbet notitiam, eſt enim, vel triangularis, vel circularis, vel quadrata, vel recta, vel plana, vel cuba, vel alterius generis. Secundo modo ſubit conditionem corporis, in quo ſicut conſiderari poteſt proportio, ſiue analogia, quam habet ad aliud, necnon ſimmetria, ſiue condecentia, quam habet in ſe ipſo, ac demùm harmonia, quæ in ſonis dicitur conſonantia, in naturalium ordine congruentia, quæ concors eſt compoſitio plurium ad alicuius conſtitutionem conſpirantium, ita hæc ſingula cum figura ſubintelligi, & conſiderari poſſunt.

*Ingenia quę valẽt in figuris noſcẽdis.*

Hic igitur phantaſiæ gradus, præterquàm quod comprehendit Mathematicarum praxim, quæ circa lineas, ſeu figuras ex lineis conſtantes in corporibus phyſicis verſatur, vt Aſtronomia, Coſmographia, Per-

ſpectiua, complectitur etiam mechanicas omnes iam dictas, ac præterea poeſim, muſicæ praxim, eloquentiam, gymnaſticam, coſmeticam, quæ ſingula, vel in carminum, vel vocis, vel ſermonis, vel motus, vel ſui cultus corporis concinnitate conſiſtunt. Præterea emblemmatum, & ſtēmatum conficiendorum induſtria, necnon magia flagitioſa, quæ nominibus, caracteribus, figuriſq; vtitur ſub eodem capite recenſetur. Vis quædam imaginandi ea, quæ nunquam ſub ſenſum ceciderunt, vt futurorum veritatem, attinet ad huiuſmodi congruentiam, cum rei veritas ſit rei congruentia, & adæquatio cũ intellectu. Maculæ matris in infantis corpore impreſſæ, noctu ambulare in ſomno, caput humanum ex metallis conflare ſermonem edens, quod feciſſe aiunt Albertum Magnum, ſunt phantaſiæ virtutes, qua circa rerum imagines, & conſonantiam vehementi quodam occupatur intuitu. Amaterum ingenia ratione huiuſmodi phantaſiæ, qua in amatarum feruntur formam, tàm varijs affectibus ſunt obnoxia. Iuuatur hac eadem intellectus ad cognitionem veri, & boni: nam verum, & bonum cum ente conuertuntur, in ente autem ſtat congruentia cauſæ, & effectus: hæc congruentia, licet à ſolo percipiatur intellectu, tamen phantaſia primò ipſam haurit ab ente ſenſibili: in moralibus inſeruit hæc virtus adminiſtrationi Reip. œconomicæ, affectibus temperandis, commoderandiſq.; ſunt enim hæ moderationes cum harmonia quadam, quæ nil eſt aliud ex Philoſopho primo de anima 54. quàm temperamentum, & compoſitio contrariorum. Tot ſunt quaſi capita, ſub quibus cætera omnia ingenia phantaſiam reſpicientia redigi poſſunt.

### *Ingeniorum differentiæ ex cauſis, quarum tractatio inſinuatur. Cap. III.*

PRæter ingeniorum differentias, quæ ex varijs operandi modis intellectus, & phantaſiæ colliguntur, occurrunt etiam aliæ, quas ab accidentibus humanum corpus conſequentibus licet ſumere. Cùm verò huiuſmodi accidentia conſtituant immenſam ingeniorum diuerſitatem, vt cauſæ, variè corpus, proindeq. ingenium afficientes, ac inter ſe plurimum diſcrepantes, agendum hìc eſt de his cauſis, cum quarum notitia iungetur etiam differentiarum cognitio. Duo ſunt, quæ humano corpori potiſſimum accidunt, vnum internum, & proximum, aliud externum, ac remotum: primum eſt duplex; vel enim eſt nobiliſſima corporis qualitas, ſeu temperamentum, quod vel ſpectatur in toto corpore, vel in ſingulis partibus, ac vel eſt inſitum à generationis primordio, vel acquiſitum

*Accidens humani corporis præcipuum eſt tēperamentũ.*

tum

tum per ætatis, aeris, alimentorum mutationes. Et partes vel ſunt ſimilares, vt humores, ſpiritus, caro, vena, arteria, neruus, & huiuſmodi aliæ; vel ſunt organicæ, vt cerebrum, cor, hepar, teſtes, & cæteræ, quibus omnibus accidit, hac, vel illa temperie donatas eſſe. Aliud internum eſt neſcio quid ſupra temperamentum, quod pariter eſt duplex, naturale, ac ſupernaturale: illud eſt occulta quædam, & imperſcrutabilis virtus, vt puta quæ de Pirrho Rege traditur ſanandi lienoſos, quos dextro pedis pollice tetigiſſet, vel quæ de Tiberio, & Alexandro Macedone in tenebris æquè ac in luce videntibus, vel quæ de Seleuco (teſte Iuſtino) eiuſq; ſubinde filijs, & nepotibus anchoræ figuram in fæmore geſtantibus, quorum affectuum cauſæ, cum neque ad animam, neque ad vulgare temperamẽtum referri poſſint, à Cardano, & à Pomponatio, & ab alijs ad ſupereminentem quendam, & occultum temperamenti gradum referuntur. Supernaturale verò eſt, vel Dæmon, qualem olim Socrati, & non ità pridem Cardano contigiſſe ſcribunt, vel lumen de ſuperno lumine prodiens gratis datum, quale plurimis ſanctis offuſum, vt Salomoni, Alberto Magno, D. Thomæ, Alexandro de Ales, D. Paulo, cæteriſque apoſtolis, ac ex piorum ſententia (quam Ariſtoteles non recipit) Sybillis, prophetiſque omnibus, qui in rerum notitia cælato quodam, & diuino ſpiritu præſtitere.

*Supra temperamẽtum quanā ſint.*

Externa porrò, ac remota, quæ accidunt homini ſunt naturæ, vt clima, aer, ſolum, cibus, & potus, ſitus, parentes, animi affectus: ſunt fortunæ, vt nobilitas, diuitiæ, dignitates, morbi: ſunt electionis, vt educatio, religio, lex, ſocietas, ſtudia huius, vel illius artis, & ſcientiæ, ac huiuſmodi alia. Ob has igitur omnes internas, externaſque cauſas humanum corpus variè alterare valentes, varia etiam in ſingulis ingenia poſſunt oriri, vt quæ bonam, vel malam huius, vel illius corporis conditionem ſequuntur.

De his tractare ſingillatim neceſſarium eſt, quò præcelſi naturæ conatus ad hominis perfectionem conſpirantis noſcantur, & immenſa geniorum varietas ordinatim expoſita magis oblectet.

At verò de cauſis internis ſuperque ſatis in 1. libro videmur diſſeruiſſe, vbi totius corporis, & ſingularum partium in primis, vel ſecundis qualitatibus temperiem, nec non figuram, texturamque ingenio accomodatam docuimus, adeò vt quantùm ad materialem internam ingenij cauſam attinet, nihil forſitan inibi ſit omiſſum, niſi quatuor humorum, qui ſunt potiſſimæ ingenij cauſæ mentio conciſè nimis facta cenſeatur, de quibus tamen inferiùs in hoc libro, capite de melancoliæ viribus ſatis tractabitur.

De efficiente pariter interna, quam eſſe diximus animam intellectiuam, & phantaſiam egimus, quantùm poterat ad ingenij naturam per-

noſcendam ſufficere, docendo quomodo ipſæ ad ingenium progignendum concurrant, ſcilicet nonniſi in tali materia copulatæ, adeò vt præcipuum fuerit in hac de ingenio ſpeculatione caput, ipſius materiam conſiderare.

Ità de efficiente cauſa interna ſupernaturali, ſeu dæmone abundè in eodem libro tractauimus capite proprio. De virtute verò infuſa, non eſt huius loci diſputare, qui cauſas tantùm inquirimus naturales.

De naturali autem, & ſuprà temperamentum, quia eſt occultiſſima, nec mea ſententia differt à temperamento, licet ſecundum apparentiã noſtramque intelligentiam cenſeatur ſuprà ipſum, futilis eſſet conſideratio, quippe noſtrum captum excedit.

Duo itaque duntaxat hìc ſubnectenda videntur ad ſuſceptæ tractationis ornatum, ac perfectionem, vt ſcilicet poſt examen illud cauſarum ingenij in communi, explicemus, etiam cauſas differentiarum ingenij ſuperenarratarum, quod eſt eiuſdem cauſas expendere in particulari, ob quas vnumquodque ingenium eminet in hac vel illa arte, vel ſcientia, puta cur homines aut Philoſophi, aut Poetæ, ac Medici, & Aſtrologi, vel Oratores euadant inſignes. Alterum eſt, vt conſideremus cauſas ingeniorum efficientes, & materiales externas, ac remotas, quæ longè cæteris ſunt euidentiores, ea tamen moderatione, vt perſpicua breuitate, ſi fieri poſſit rerum innumerabilium, & pulcherrimarum dogmata perſtringantur.

## *De Cauſis ingeniorum particularibus, ac primò Metaphyſicorum, Theologorum, Mathematicorum, Phyſicorum, Poetarum. Cap. IIII.*

IVuabit cauſarum indago particularium varias ingeniorum ſpecies producentium, quia cum eiuſmodi cauſæ in corpore varias præferant notas, poterunt ex harum cognitione via reſolutiua eędem dignoſci cauſæ, proindeque ingenij ſpecies ad hanc, vel illam ſciẽtiam, artemque diſpoſiti, cui ſe propterea quiſq; debeat applicare, qui ſummus, & ſingularis eſt ex hoc meo opuſculo Reip. literariæ fructus reſultans: difficillima quidem perſcrutatio, à nemine forſan hactenus inita, vt ait Scaliger, ſed quæ ſi non neceſſarijs, ſaltem probabilibus quibuſdam poſſit inſinuari.

*De ſubtil. exercit. 274*

Vtendum eſt autem hoc proceſſu pro harum cauſarum inuentione, quòd in omni re inſtrumentum videtur adaptari debere obiecto, ſiue in naturalibus, ſiue in artefactis; non enim debita poſſet actio reſurgere, ſi exem-

ſi exempli gratia rotas parui horologij, artifex inſtrumento vellet obtuſo, & grandiuſculo elaborare, neque ſcriptor minutos caracteres formare poſſet, calamo non æquè puſillo: Ità oculus ambulantis à longè hominis diſtinguere non poſſet faciem, niſi puriſſimis, ac peracutis dotatus ſpiritibus, nec tactus optimè frigoris, & caloris percipere ſpecies, niſi ſubtili, ac tenui dotatus, non autem craſſa, obtuſaque cute.

*Methodus inueniendi cauſas ingenij particulares.*

Inter ſcientias igitur cum ſint nonnullæ, quæ tractant de rebus ſubtiliſſimis, & penitùs immaterialibus, aliæ de accidentibus materialibus, ſed abſtractis, aliæ de rebus, & accidentibus penitus materialibus, aliæ de ijſdem rebus alia ratione conſideratis, debent inſtrumenta, ſiue organa phantaſiæ, ac ſpiritus ingenioſi, qui huic, vel illi addiſcendæ ſit aptior, ijſdem etiam ſcientiarum obiectis, quantum fieri poſſit æquari.

*Metaphyſici.*

Metaphyſica cum verſetur circà obiectū tranſcendens, nimirùm circa ens, quatenus ens, abſque vlla materiæ notione, percipietur facilè ab eo, qui ſubtilitate, ac puritate ſpirituum gaudeat, qui ſint quodammodo immateriales, quales ignei, ſeu cholerici, nullum enim eſt immaterialius elementum ipſo igne; oportet enim in huiuſmodi ſcientia multos conficere diſcurſus, mentiſque recurſus, multaque media probationum inuenire, quibus motibus aptiſſima eſt ignis natura; ſed quia huiuſmodi ſpiritus ex tanta mobilitate facilè perturbarentur, & ob ſubtilitatem facilè diſſoluerentur, nec applicari proindè poſſent contemplationi, nec in ipſa morari, pro qua neceſſaria eſt quies, & mora, ideò debent eſſe cōtemperati alio craſſiore ſpiritu, qui cum pituitoſus non debeat eſſe, quia talis eſt nubiloſus, ac turbulentus, ſequitur debere eſſe, vel ſanguineum, vel melancolicum, quia vterque humor ſpiritum exhalat purum, ſed craſſiorem aliquantò; ſanguis enim ob humidum, & lentorem aereum, quo eſt præditus bilis retundit ſiccitatem, & acutiem, adeò vt ea facilè termino alieno terminari poſſit, melancolia verò præſertim aduſta, quæ dicitur atra bilis partes aliquas continet craſſas, ſed alias etiam ſubtiles, & puras, caloris ipſas moderatè rarefacientis vi genitas, quare miniſterijs animæ aptiſſima dicitur ad omnium ſcientiarum perceptionem. Complexio igitur Theologorum, & Metaphyſicorum erit in melancolia, ſanguine, ac phlegmate temperata, cum aliquo bilis exceſſu, licet enim meditabundi ſint, vtpotè rerum altiſſimarum perſcrutationi dicati, ac proptereà magis melancolici eſſe videantur; tamen non ſunt efferis moribus, ſed humanis, quod fit à ſanguine, vnde facilè religionis iugum tolerant, & quia multis catholicæ fidei ſanctionibus, abſque diſputatione prębent aſſenſum, ideò melancolia ſunt præditi moderata, non aduſtiore, vt quæ ſpiritus gignens mordaces, & membranas cerebri vellicantes ad opinionum, & conceptuum mutationem irritaret, qualem rationabile eſt in impijs, & ſchiſmaticis ingenijs extitiſſe, qui rabido morſu Ec-

*Theologorū tēperamentum eſt biliosum, & in cæteris humoribus temperatū.*

Eccleſiam

cleſiam proſciderunt vniuerſam, hoc verò forſitan nō cecidiſſet, ſi eiuſmodi melancoliam, bilis, ac ſanguinis æquabilis temperatura frenaſſet.

*Mathemat.* His proxima eſt Mathematicorum natura, qui conſiderant accidentia ſenſibilia, & materialia minimè, vt aiunt, in concreto, ſed in abſtracto, in quo magnā requirunt ſpirituum tenuitatem, ac ſubtilitatē, æquè ac Metaphyſici, ſed eliciuntur iſti ex materia aduſtiore & craſſiore, quæ neceſſaria eſt, tùm vt figuræ, quas Mathematici concipiunt quadrati, trianguli, diametri, & aliarum rectè in ipſa ſigillentur; tùm vt calor diutiùs, & fortiùs in eadem conſeruetur, ad hoc vt phantaſia reddatur vegeta, & præſtans in ijſdem formandis, ac expendendis figuris. Prædominatur igitur in his melancolia cæteris humoribus, ne dùm à generationis primordio, ſed ex calore perenniter humores in organo phantaſię, ſcilicet cerebro adurente progenita, & ob talem complexionem cum homines reddantur maximè habiles rerum inuentioni, quæ dos eſt ingenij maxima, fit vt in Mathematicis ingenium magis, quàm in alia quacumque ſcientia eniteſcat; nulla enim ſunt euidentiora inuenta, quàm opificia rotarum, machinarum militarium, horologiorum, & aliorum admirabilium, quorum auctor eſt ingenium mathematica habilitate inſignitum.

*Mathemat. tēperamentum eſt melancolicum.*

*Phyſici.* Ab his aliquantò deflectit complexio Philoſophorum naturalium qui ſpiritus quidem expoſcunt puros, ac lucidos, at non ità calidos, nec à materia tàm calida excitos, ac Mathematici, duplici de cauſa, tùm quia in ſola inſiſtunt rerum contemplatione, quare non tanto egent calore, qui debeat ipſis ad executionem deſeruire, prout in Mathematicis, tùm quia verſantur circa entia naturalia, quæ vel in motu, vel in quiete ſunt conſtituta, quietem verò frigus facit; propterea ſpiritus circa huiuſmodi entia occupati debent eſſe quietiores, ac proinde temperatiores, quia calidi eſt confundere, atque agitare: quam ob cauſam pueri rerum naturalium captui cenſentur inhabiles à Philoſoph. 6. Moral. Nicom. c. 8. adulti autem ac viri non ſic, quia frigidiores conſtat eſſe, cum ætas refrigerando, & ſiccando progrediatur. Videtur ergo Phyſicorum natura participare multùm phlegmatis, quod tamen redditur ſubtile, ac ſiccum per admixtionem bilis, cuiuſmodi fit etiam in deſtillationibus Phtiſicorum (vt ait Auicenna,) quæ à cerebro ad pulmones feruntur, quia phlegma eſt ſubtile, ac venas ipſorum erodit, quia ſiccum, & ſalſum. Sed phlegmati multam etiam admiſceri atram bilem neceſſe eſt, tùm quia ſiccitate, ac ſubtilitate partium, quas continet ſubtiliſſimarum naturalibus deſeruire ſpeculationibus eſt idonea; tùm quia craſſitie, ac ſtabilitate ſua firma, & ſpeculabunda reddit ingenia, qualia ſunt Philoſophorum, qui cum ſoleant rerū arcana ſcrutari, ex huiuſmodi arcanis admiratio, ex admiratione firma, & prolixa rerū ſequitur contēplatio.

*Phyſicorum tēperamentum eſt melancolicū & phlegmaticum.*

Ex

Ex his patet iſtorum complexionem eſſe reſpectu aliorum frigidiorem, ac proindè iudiciũ in phyſicis magis, quàm in mathematicis eminere; diximus enim in 1. lib. illud perfici à moderato calore in materia ſubfrigida, & ſicca, vt in ſenibus liquet.

*Phyſici pollẽt iudicio. Cardanus de ſubtilit. lib. 11.*

*Poetæ.*

Inter mathematicos, & phyſicos, Poetæ ſunt quodammodo medij; perpendunt enim res totas vt phyſici, & inſpiciunt accidentia vt mathematici; ſed phyſici perpendunt eſſentias, Poetæ circumſtantias; Mathematici abſtrahunt accidentia à materia, ſed cũ vtilitate, quippe vt ait Ariſt. tex. 18. lib. 2. Phyſ. abſtrahẽtium non eſt mendacium, quamobrem varias formant (vt diximus) figuras: Poetæ verò eadẽ accidentia augẽt, vel imminuunt ad libitum, finguntque varia, & falſa, vt equis addunt alas, hominibus addunt magnitudinem gigantum, corporibus vires ſupra naturam, & magicas, vultibus pulchritudinem diuinam, fœminis robur ſupra ſexum, & alia. Habent hi magnam naturæ ſimpathiam cum phyſicis; ſunt enim vtrique admirabundi rerum magnarum; & arcanarum; porrò & cauſarum ſunt vtriq; ſcrutatores, vt Homeri teſtantur carmina, ex quibus pluries Ariſt. aſſertiones ad naturam attinentes, vel probauit, vel hauſit, ſicut fabulis omnibus Deorum, fluuiorum, nimpharum, monſtrorũ, quas tradidit antiquitas, pulcherrima philoſophiæ inuoluta fuiſſe dogmata, quiſque non perregrinus in literis nouit. Sic Poetas plurimos fuiſſe Philoſophos, ac viciſſim Philoſophos carminis pangendi laude floruiſſe non ignoramus: apud antiquos idem Homerus, Heſiodus, Virgilius, Lucretius: apud noſtrates Danthes, Petrarcha, Fracaſtorius, Taſſus id teſtantur. Conſonat igitur phyſicorum, & Poetarum natura, niſi quòd phyſici res vt ſunt, cognoſcunt, Poetæ addunt eis, quod exiſtimant pulchritudinis, ac decoris deficere, nihilq; niſi perfectiſſimum intueri poſſunt; inſuper phyſici circa res verſantur vt ſciãt, Poetæ vt imitentur; vnde regiones, mores, homines, affectus ad rei veritatem compoſitos magis exprimunt. Quæ ipſorum operationes, cum vegetum, ac ingentem ſapiant calorem phantaſiæ organa roborantem, cuius eſt figuras, & proportiones rerum perfectè concipere, ſuperant in hoc phyſicos, & magis accedunt ad mathematicos, quos calidiori eſſe diximus temperatura; propterea ebrietas, amor, & ira, qui ſunt affectus calidi poeticæ conferunt: differunt tamen Poetæ ab illis; quippe in Poetis inæqualior exuberat melancolia, in mathematicis moderatior, quod indicant vtrorumque mores, Poetæ namque tumidi, faſtuoſi, iactatores, audaces interdùm, ac timidi, venerei, ſuperſtitioſi, pij, impijque, prudentes rarò, furioſi ſæpius, & ad amentiam proni, quod in aliorum naturis non æquè animaduertas ſeù mathematicorum, quos vniformi quodam genio præditos licet agnoſcere, nec illorum ſpiritus ab diſſono, & confundente calore cientur, ſed æquabili, & conſtanti. Hinc ob inæqualem huiuſ-

*v. Natal. Comitẽ in Mythiologia fabularum.*

*Poetarũ tẽperamẽtum eſt melancolicum inæquale.*

*Poetę ac medici conueniunt intẽperie.*

huiuſmodi complexionem contingit Poetas ſimul etiam in alijs excellere ſcientijs: ità excellentes euadunt medici, qui etiam medicinam totam verſibus conſcripſerunt, vt Serenus, & Schola Salernitana: Fracaſtorius Poeta nobiliſſimus fuit etiam medicus: Auſonius medici filius, medicus & ipſe fuit iuxta nonnullos: ſic etiam Lucretius: vnde Apollo Poetarum parens, idemq; medicinæ auctor habetur. Sunt quoque Poetæ Muſicæ, picturæque obnoxij, quæ ſunt artes perfectum quoddam in rebus requirentes, illa in numeris, quibus addit ſonum, hæc in figuris, quibus addit colorem, magnitudinem, geſtus, affectus etiam: idem poetæ in proprio faciunt obiecto: addunt carminis numerum, ſeu rithmum, qui mutus eſt veluti ſonus, addunt colorem, & cætera, vt ſupradiximus, quare non multùm hæc ingenia à ſe inuicem abſunt. Feruntur etiam maximè ad moralem, quod oſtendunt Comediæ, Tragediæ, Eglogæ, in quibus ſe ad plebeiorum, principum, & paſtorum mores fingunt: nec aliud eſt Homeri Odiſſea, quàm idea moralis, ſeu prudentis hominis ſub Vlyſſis perſona, nec aliud ſunt Danthis opera, quàm moralitates, quod etiam in cæteris omnibus Poetis licet animaduertere. In ſumma quæ ad poeſim diſponit temperies, eadem poteſt ad alios etiam ſcientiarum habitus diſponere, ob inæqualem humorum in illa coeuntium virtutem, & gradū ac præſertim atræ bilis, quæ maximè inæqualis exiſtit naturæ ex doctrina Ariſtotelis ſæpiùs adducta 1. probl. ſect. 30. hinc etiam non valdè pollere ſolent iudicio, quod æqualitate quadam humorum, quæ ex frigiditate prouenit videtur gaudere.

*Muſici, & Pictores aſſimilantur.*

*Poetæ non valent iudicio.*

## *Medici, Morales, Politici, Leggiſtæ, Magi, Superſtitioſi unde fiant.* Cap. V.

DIximus Poetas, & Medicos vnum habere communem parentem Apollinem, quod indicat haud multùm ipſos debere genio diſſimiles eſſe: ſunt enim & medici inter phyſicos, & mathematicos mechanicos medij: cum illis communicant in theorica, ſcilicet humani corporis contemplatione, cum his autem in praxi, ſcilicet operis effectione, quà nimirùm ad opus tranſeunt ſanitatis, quam in humanum corpus artis præſidijs introducunt. Attamen differunt ab vtriſque, quia nec in ſola contemplatione quieſcunt, vt phyſici, nec adeò videntur inuentioni habiles, vt Mathematici, ſed potiùs rerum iudicationi, locum enim, tempus, modum, perſonæ conditiones, temperiem, habitum, conſuetudinem, & alias huiuſmodi expendere circunſtantias, adhoc vt recta fiat medicamenti applicatio,

*Medicorum tẽperamentũ eſt melãcolicũ ſuprà phyſicos ſed infrà mathematicos.*

catio,

catio, pertinet ad vnam rationis ſtateram, quæ iudicium eſt, quod vt Ariſtoteles medico attribuit 3. Politic cap. 7. ita etiam Hipp. 1. apho. primæ ſect. vbi difficillimum eſſe ait, eiuſque vim elucere potiſſimum innuit, ſi commoda medici auxilij adminiſtrandi captetur occaſio: hac de cauſa quieſcunt interdùm medici ab opere, ac veluti ſpectatores morbi varios diſpiciunt inſultus, ac motus aduerſus naturam, quam ipſi cum validè ſe tuentem adnotant nihil agunt, quo pacto interdùm ſanant ægrotum, ex quo dictum à Liuio: medicos & Imperatores nihil agendo inſignes interdùm victorias reportare: quietem autem ſatis diximus facere ad iudicium. Porrò nec effectus gignendi modus eſt idem: mechanici conficiunt noua, medici reſtaurant vetera, prout ſanitatem ad priſtinum reuocant: per hæc etiam differunt à poetis, qui magis inuentores exiſtunt, quàm iudices, quia vegetiori calore præditi, quo furor eorum ad figmentorũ ſubindè varios creandos fœtus cietur: medici haudquaquam tales impetus patiuntur: at ſedatioribus ſpiritibus operantur. Ac licet in quantum à mentis actu progrediuntur ad opus circa curabile indiuiduum, abundanti egeant calore, à quo propterea facilè agitari poſſent, vel acui potiùs ad quærendum, quàm ad iudicandum æquè ac in mathematicis: tamen eſt potiùs extenſiuè magnus, quàm intenſiuè, quia fundatus in materia melancolica genita magis per vlteriorem aduſtionem ſanguinis, vel phlegmatis, quàm vtriuſque bilis; quare ſatis æqualis, ac ſedatus exiſtit, ad hoc vt ipſorum phantaſia ſuperque ad optimum particularis obiecti iudicium inualeſcat.

*Medici debent valere iudicio.*

Huiuſmodi medicorum temperatura non multùm diſtat à moralibus & politicis, vtrique ſiquidem verſantur circà priuatas, vel publicas actiones, quæ viuaci quidem explentur ſpiritu, at moderato, & qui iudicium non perturbet, quod vt ſuprà diximus in 1. lib. cap. 12. in huiuſmodi actionibus eſt apprimè neceſſarium: in priuatis enim fit electio boni, & fuga mali, quæ iudicij ſunt propriæ: in publicis autem præpollet ordo, qui in Reip. vel vrbium regimine maximè obſeruatur; ordo autem præſertim attinet ad iudicium, cuius eſt rerum circumſtantias, tempus nempe, modum, locum, & alias æſtimare; ac ordo locum dicit ac tempus, cum ſit diſpoſitio ſecundum prius, & poſterius. Differunt vtrique tamen à medicis, quia moralium prærogatiua in eo conſiſtit, vt iraſcibilem, & concupiſcibilem reprimant facultatem, quare magis aliquantò obtinent phlegmatis, & præſertim ſanguinis, quorum miſcella vtriuſq; bilis acuties obtundatur, quæ irritando, & mordendo diuerſimmodè hominum impellit affectus: quamobrem verè quadam humorum gaudeat medietate, in qua conſiſtit moralium temperatura, ob quam paſſiones animi redigunt ad mediocritatem: in medicis aduſtior magis præpollet bilis, maiorque ad melancoliã fit deflexus: vnde cerebrum, &

*Morales & Politici.*

*Moraliũ tẽperamẽtum eſt medium ſed vergens ad ſanguineum.*

præcordia ſicciora, ſpiritus ſubacres, & ad iram, ac poeſim proniores, & qui poſſint non tàm humani corporis ſpeculationi, quàm vlterioris effectus, nempe ſanitatis productioni perdurare. A politicis etiam differunt, quippe iſtorum ea demùm conditio eſt, vt pro vrbis conſeruatione militiam teneant inſtructam, ærariumq; refertum, annonę curent vbertatem, iuri conſulant reddundo, præcaueantque tumultus, ac ſedent, opificiaque tueantur, quę ſingula vegetiorem phantaſiam, quàm in moralibus, multorumque ſimul capacem oſtendunt, quę ad proportionem, & conſonantiam quandam deducat, in qua totius regiminis conſtituitur moderatio, & videtur ad hæc ſingula valdè conferre memoria. Medici proportionem hanc elementorum in humano corpore pariter quęrunt, vnde multorum ad eam remediorum vſum aſciſcunt, pro quibus magna requiritur prudentia, quæ ab experimentis, ſicut hæc à multis memorijs colligũtur ex Philoſopho 2. Poſter. quare multùm etiam medico inſeruit memoria; ſed quoniam multæ ei accedunt occaſiones pręcipites, vt ait Hippocrates loco cit. ob repentinos morborum inſultus, ab occultis fomitibus excitatos, proptereà in medico ſpiritus quidam agiliores, ac promptiores, quàm in politico requiri videntur, ad hoc vt repentinum etiam præſidij genus apponat, in quo ſingulis quibuſque diebus medicorum verſatur induſtria. Politici cum has non habeant occaſiones præcipites, niſi per raras, tardioribus etiam fruuntur ſpiritibus, qui cùm ad conſulendum, tùm ad exequendum poſſunt illis ſufficere. Hinc DD. Veneti, quibus tot ſeculis orbis iudicio prima defertur politicæ laus, quadam indolis grauitate mirificè dominantur: eos proptereà tardiſſimos in deliberando Philippus Comminez inſignis hiſtoricus vbique pronunciat: politici enim vt ait Ariſtoteles 4. politic. c. 4. neceſſariò ſunt conſultores, ac conſultationem cum tarditate fieri, executionem verò cum celeritate idem Ariſt. ait lib. 6. Moral. Nicomach. c. 9. ex quo forſitan illud Salluſtij in coniurat. Catilinæ: priùs quã incipias conſulto, vbi cõſulueris mature facto opus eſt: quinimmò Ariſt. etiam ibid. lib. 7. cap. 10. atrabilares homines non eſſe conſulendo aptos affirmat: quippe impetu facilè trahuntur, phlegmate igitur ſubtili, ac temperata valdè melancolia præditos eſſe conſultores, ac politicos innuit, ſubcalida tamen, quia interdum exequuntur, pro quo calor inſeruit, ſed nihilominùs à Phyſicis differunt, qui minùs calida gaudent, quia magis contemplatores, & à medicis, qui calidiore, & aduſtiore ſunt præditi, citatioribuſque ſpiritibus ob executionis celeritatem in arte ſua frequentiſſimè neceſſariam.

*Politici sũt conſultores.*

*Atrabilares non ſunt boni conſultores.*

Cum moralibus, & politicis adeò conſentiunt Leggiſtæ, vt ægrè temperierum ſuarum diſtinctio percipi poſſit; vt enim in moralibus prępollet iudicium, & memoria; ita etiam in Leggiſtis theoricis, quibus tantùm

*Leggiſtæ & Aduocati.*

tùm incumbit ſanctiones iuſtiores iudicio elegiſſe, earumque meminiſſe: ac ſicut politici plurimùm circa regimen argumentantur, ac diſcurrũt; ita etiam Leggiſtæ practici, ſeu aduocati circa iuris punctos id præſtant. Attamen moralis ſua morum dulcedine videtur naturam ſanguinis, qui dulcis eſt olere magis, quàm theoricus, qui ſtudendi, tolerantia magis phlegma redolet; ex quo à vulgò aſinus appellatur. In politico verò magis videtur vigere iudicium, quàm in aduocato, cui videtur ingenium magis competere; quia ſicut ille conſulendo, rectèque gubernando præcellit, ita hic altercando, ac diſputando, quod eſt ingenij. Differt igitur fortè Leggiſtæ theorici complexio à cæteris aliqua plegmatis portione, aduocati autem aliqua vtriuſque bilis.

Medicorum complexionem nonnihil excedunt, magorum, ſuperſtitioſorum, chiromantum, geomãtum, & huiuſmodi hominum ingenia; quia cum medicina ſit ars, quæ non ſolùm in abditarum morbi cauſarũ cognitione, arcanorumque naturalium inquiſitione verſatur, quibus morbum poſſit extirpare, ſed etiam futurum morbi ſucceſſum prænoſcere, prognoſticarique conetur, aſſimilatur per hæc plurimùm hiſce magicis, ac diuinatorijs artibus, quæ id vnum anxiè tentant, vt futurorum euentuum notitiam aſſequantur. Quare complexio vtriſque conferens eadem propemodum eſſe videtur. Verùm quia huiuſmodi artes ſunt fallaces, vel quia nullum certum habent ſubiectum (vt Geomantia, & Nomantia, quæ figuras ex punctis nominibusque conſtantes dijudicant,) vel quia difficillimum habent ſubiectum, (vt aſtrologia iudiciaria, quæ humanum æſtimat corpus, prout his, vel illis cælorum ſubditũ aſpectibus, ex quibus certum proferre iudicium perdifficile, ne dicam impoſſibile doctiſſimi homines arbitrantur, inter quos Picus Mirandulanus in celebri aduerſus aſtrologos libro) Ideò homines huiuſmodi obnoxij curioſitatibus imprudentiores cenſentur, quòd non animaduertunt, ſe deceptorijs in ſtudijs operam fruſtrà conſumere (quod Agrippa libro de vanitate ſcientiarum abundè docuit,) propterea licet ingenio curioſo, & inquirente cum ſiccis phantaſiæ organis, & ſpiritu ſe in hæc ſubtilia inſinuante dotentur, quales ſunt Chaldei, Ægyptij, atque Indi ſub æquinoctio ob caliditatẽ aeris ſubtiliantis ſpiritus, & organa ex Albert. Magn. diſtinct. 2. cap. 3. lib de natura locorum, tamen non æquè pollent iudicio, quod craſſiori quodam, ac temperatiori ſpiritu ſæpiùs vti docuimus. Itaque à medicis etiam hoc nomine diſcrepant. Porrò huiuſmodi magorum, ac cæterorum ingenia ſunt ad prauum, ac nefas prona, ſunt enim vitæ, mentique hominum inſidioſa, illi quidem veneficijs, poculis, verbis, pactiſque cùm tacitis, tùm expreſſis, cum dæmone initis, illi autem ſpectris larniſque varijs, præſertim nocturnis, à quibus vel cordati homines interdùm decipiuntur, quorum plurimę ſuppetunt

*Magi.*

*Superſtitioſarũ artiũ ſtudioſi sũt imprudentes.*

hiſtoriç, quas hìc referre non eſt opus: at inſidias texendi vis ab vna pendet aduſta melancolia; ſunt enim inſidiatores, cogitabundi (vt ait Ariſtoteles 7. Moral. cap. 10.) & cogitatio exſiccat valdè, reſoluto per ipſam calore, ac ſpiritibus, partibuſque relictis aduſtioribus & cinereis, quæ innatas in cogitationis organis fouent magis, & adaugent. Medici tantam minimè attingunt aduſtionem, & acrimoniam, quare nec adeò ſunt malorum morum, & iniqui, nec ad tantam curioſitatem irritantur; ſunt enim ſaluti hominum intenti, cui etiam operi cum toto vitæ ſuæ tempore aſſuefiant, euadunt etiam morales, quia per talem habitum alioquin praua ipſorum corrigitur diſpoſitio. Hinc etiam pollent iudicio vanitates, ac futilitates abrogandi eas, vnaque recta, ac tuta vtuntur methodo, quæ à rei natura: & cauſa deſumitur, quam deceptores iſti nō agnoſcunt, ſortibus, incantationibus, alijſque fortuitis accidentibus inſiſtentes.

*Cingararũ ingeniũ, & indoles.* Huiuſmodi ſpecimen ingenij licet euidenter inſpicere in fœminis, quas cingaras vulgus appellat: ſunt hæ victui quæritando, vaticinijs ſuprà manus aſtruendis perquàm induſtres: geſtant arma veſtibus cooperta: ad furta ſuprà modum ſunt procliues, ex quo inſidioſæ, ac doloſæ; ac licet irritatæ maximè iraſcantur, & conuitijs, maledictionibus, & iurgijs proſequantur (quod videtur impetum ex calore in ipſis notare, *de ſubtilit. exercit. 274* non autem inſidiandi indolem, quæ vt ait Scaliger potiùs arguit frigiditatem, quia inſidiator expectat, & moratur, quæ frigidi eſt actio,) tamen quia vbi multæ fiunt combuſtiones, partes reſoluuntur calidæ relictis frigidis, contingit eas etiam ſæpius cunctando, fraudibus, & inſidijs aptas eſſe: oſtendit autem hanc ipſorum aduſtam temperiem color ater, caro aſpera, crines contorti, ac nigri, habitus corporis gracilior, quç ſingula inſignem atræ bilis teſtantur aduſtionem, quam ſemper Ægyptiorum natio eſt paſſa, ex qua fluxiſſe cingaras communis eſt opinio, licet Vollateranus eas conſtituat Perſarum progeniem, & Baronius reliquias Sangaræ, ac Niſibis vrbium, quorum habitatoribus exilium indixerunt Perſæ ſub Iouiniano Imperatore.

*Tom 4. Annal.*
*v. Delſium Mag. diſq. lib. 4. t. 2. quæſt. 5.*

Du-

*Ducum, Militum, Oratorum ingenia. Cap. VI.*

CVm iſtorum temperie videtur plurimum conuenire temperies illa, qua Duces, atque exercituum rectores gignuntur; ſunt enim hi medicis ſimiles, quâ multis, repentiniſque hoſtium ceu morborum inſultibus occurrere, magnaque ſolertia ipſos præcauere cogũtur; ſunt verò, & ſimiles magicarum artium profeſſoribus, quâ Ducis excellentia, ſummaque laus in eo potiſſimùm eſt conſtituta, vt fraudibus, & inſidijs, omnique verſutia hoſtem circumueniant, & pauco ſuorum militum ſanguine ipſius agmina fundat, profligetque. Hinc non abs re Poetæ finxerunt magos interdùm eſſe magnorum exercituum adiutores, quippe qui magna hoſtibus detrimenta magicis ingenijs inferre ſunt apti, vt apud Areoſtum Amadiges, & apud Taſſum Iſmenus, qui Chriſtianorum exercitui tantas intuliſſe fingitur noxas, tùm fontes, & flumina veneficijs inquinando, tùm lucos laruis, ſpectriſque varijs replendo, ad horribilem militum aſpectum, & adeuntium terrorem. Ità ſtratagematibus varijs effertur Hannibal inter antiquos Duces fortiſſimus, qui hac vna dote Romanum propè funditùs euertit imperium. Nec latet recens illa ruſticorum Boemorum aduerſus Imperiales turmas pugnantiũ hiſtoria, qui vel icti è paruorũ tormentorum pilis minimè lędebantur, ſed teterrimo incantamento nixi, in hoſtiũ acies ſæuiſſimè irruebant. Nec aliud ferè in poetarum legitur carminibus, quàm ducum arma, clypei, enſes, lanceæ, equi creberrimè incantati, adeò vt quaſi poetæ velint exprimere inclitos Duces magicis viribus, ſiue temperatura in bellicis operibus indigere, qua æquè ac magi incantamenta, ita occultas ipſi, ac cælatas vincendi inueniant rationes.

*Magi, ac Duces multum conueniunt.*

Cæterùm iſtorum complexio diſcrepat ab illa medicorum, & magorum, ſi quidem Duces nedum prudentes, ſed fortes etiam exiſtunt: prudentes quidem in præcauendis hoſtium machinationibus, eiſque declinandis, necnon in repentinis ipſarum inſultibus repellendis, atque vltrò etiam in arripiendis idoneis lædendi hoſtem occaſionibus, & in acie nauiter inſtruenda, & in caſtramentando, ac tractandis fœderibus, alijſque, quibus Ducum munus expletur: Sunt verò fortes in actionibus audacibus, & impauidis: hoſtem ſcilicet aggrediendi, æquo marte pugnãdi, vel pauco militum numero plurimos profligandi, in ipſoque conflictus ardore aciem totam reſtaurandi, erigendi timidos, animandi ſtrenuos, rectèque omnia ad victoriam dirigendi. Quæ ſingula intenſiorem arguunt calorem, quàm in medico requiratur, qui in vna ſiſtitur, & ſolertia

lertia morbum cognoſcendi, & prudentia remedium congruum applicandi, non autem tranſit vltrò ad inferendam iniuriam, præferuido ſæpe, atque igneo ſpiritu, ſicuti dux. Eſt igitur iſtius complexio biliosa, & melancolica, cum phlegmatis, & ſanguinis ſubdominio; & cum bilis caloris vegeti in præcordijs implantati actione aduratur, euadit in melancoliam, ſiue atram bilem, quæ dum quieſcit, & moderatè à phlegmate, ac ſanguine temperatur, reddit hominem grauem, prudentem, iuſti, honeſtique amantem, dùm verò aliquantò magis accenſa fit acris, & ſiccior, reddit callidum, & doloſum, ac propter cinereitates relictas meticuloſum: at dum adhuc magis vnà cum bile calefit, reddit audacem, ad arma promptum, executorem, ac interdum furentem (ſicut euenit in apris, ac tauris ex Philoſopho lib. 2. de part. animal c. 4.) etenim ob diuerſos gradus, quos pro varia aliorum humorum miſcella hic humor attingit, varios etiam in homine creat mores, & ingenia.

*Medicorum cõplexio eſt biliosa & melancolica.*

Hinc etiam apparet quomodo ſecernantur Duces à ſuperſtitioſis, & magis: fit in his aduſtio atræ bilis ſuffocata, & lenta, quippe cor durum habent, ac denſum, & ſic arterias & venas ipſi circumiacentes, vt ex habitu ipſorum apparet, quare tranſpirabiles non ſunt, ſed remanent in illis fuligines multæ, ſpiritus ſua nigritie, & acrimonia turbantes, ac lædentes, qui cum neque viuidi, neque decenter expanſi, neque lucidi, ſed ad actiones prauas apti, ad egregias ſint ignaui, deſeruiunt huiuſmodi hominibus duntaxat ad malas, & timidas cogitationes, ad fraudes ſcilicet, & ad ſupernaturalium mediorum inuentionem, quibus ſe putant inſitæ imbecillitati ſupplere poſſe. At verò ſtrenui, & fortes viri, licet atra ſint bile præditi, tamen multa etiam exuberant flaua, quæ cum benè à ſanguine temperetur, ac dulcoretur, & ex præcordijs rectè diſpoſitis maiorem ſortiatur tranſpirationem, remanent ſpiritus in ipſis viuidi, alacres, & prompti ad ingentia patranda facinora, ad quæ magis indignatione, ex flaua, quàm odio ex atra concito pertrahuntur, vnde fraudes etiam magis ex vtilitate, & ambitione, quàm naturæ impotentia, & perfidia moliuntur, quod magi faciunt.

Ex iam dictis igitur cum euidenter appareat, prudentiam, & iudiciū medicis, fraudem, ac dolum magis, ducibus verò vtraque, prudentiam ſcilicet & fraudem, ac præterea fortitudinem conuenire, colligitur etiam Oratores iſtorum naturis maximè aſſimilari: nam cum ſumma ſit Oratoris prerogatiua, captioſa verborum congerie hominum affectus, quòcumque velit impellere, ſiue ad iram, ſiue ad miſericordiam, timorem, odium, & huiuſmodi alia, pro quibus obtinendis & probabilia affert, vt vera, & veriſimilia fingit, plurimiſque vtitur artificijs ad offundendas mentibus iudicum tenebras, quales iactat Cicero, ſe in oratione pro Milone iudicibus offudiſſe, ſanè ſunt hæc ſingula argumenta callidi, verſu-

*Oratorū ingenium.*

tique

tique ingenij, ac propemodùm inſidioſi, cui iure optimo complexio illa naturalis, ex qua dolos, ac deceptiones prodire diximus attribuenda eſt. Hinc Ariſtoteles probl.4.ſect.18. Oratores, Imperatores, mercatores callidos vocat; hinc eloquentes dicuntur quaſi homines faſcinare virtute verborum: ergo calore aliquantùm adurente, ſed magis excitante, ac ebullitiones ciente, quam reſoluente ſunt Oratores dotati. Talis eſt igneus in materia humidiore, aerea ſcilicet cum æquali terrei elemẽti portione, quæ eſt complexio à prædominio colerica, à ſubdominio ſanguinea, & melancolica; in hac enim rectè poſſunt à calore vegeto phantaſiæ imagines in memoria impreſſæ ſuſcitari, ac ex promptiſſimo phantaſiæ intuitu linguæ tradi ad pronunciandum. Teſtantur hanc Oratoris complexionem variæ ipſius qualitates: moralis cohibet affectus virtute phlegmatis, Orator impellit eos, varias gignendo perturbationes, ergo magis ipſum occupat cholera; porrò irati homines fiunt verboſiores, igitur ſignum eſt eloquentes homines eſſe colericos: ita etiam ſedati homines ante menſam parum loquuntur; calefacti autem à vino, & cibo in medio menſæ hilaritate conuiuali confabulari incipiunt, quod herculè indicat verborum fluxum à calore vegeto promoueri. Inſuper Dux, & magus calliditatem, & verſutiam factis exequuntur: Orator verbis tantùm, & ſuaſionibus explet, minimè autem ad facta ipſe progreditur, quorum executionem cæteris linquit. Verùm aliquid apprehendere, mox verò exequi prouenit ab intenſiore, firmioreq; calore, quàm ad elocutionem ſolam requiratur: propterea Oratoris complexio ſtat in minori gradu caliditatis, quàm cæterorum, & caliditas hæc non eſt adeò intenſa, quia fundata in materia humidiore; quare nec etiam ita agit vt multùm adurat, ſed ebullit, & impreſſas commouet ſpecies, valenter tamen non reſoluit, quia commoderata. Hinc multos cum progignat flatus, (qui à calore ad reſoluendum impotente fiunt,) contingit Oratores eſſe ſuæmet virtutis conceptu prætumidos, auræ popularis auidos, iactabundos, vti de Cicerone conſtat eo carmine: O fortunatam natam me conſule Romam, & alio: Cedant arma togæ: concedat laurea linguæ, intelligens nimirum Catilinæ coniurationem ſua virtute ſedatam, de cuius coniurationis ſolutione, vti conſtat in eiuſdem Ciceronis Orationibus aduerſus Catilinam, necnon in epiſtolis iactanter ad nauſeam vſque loquitur, ſicuti nimio verborum tumore Antonij facinora in Philippicis inſectatur, quas ob cauſas ingentem ſibi apud omnes parauit inuidiam (vt ait Plutarchus in eius vita,) ac tandem etiam mortem acciuit.

*Oratorum cõplexio eſt bilioſa.*

*Oratores ſunt ambitioſi & iactabundi.*

An

## *An Oratores ſint, vel poſſint eſſe prudentes, ac docti, & è contrà. Item de Grammaticis, & ludimagiſtris. Cap. VII.*

ORator in arte ſua pollere debet iudicio, quia vt rectè intentionem ſuam auditori ſuadeat debet maximam loci, rei, temporis, perſonarum, occaſionis rationem habere, quæ ſingula (vt ſupradiximus) pertinent ad iudicium, cuius eſt reflecti ſuper rerum qualitatibus cum ipſarum diſcretione. In moralibus haud equè ipſo valere cenſetur, quia vt ait Eccleſiaſt. vbi verba ſunt plurima ibi frequenter egeſtas: porrò anima in ſpecierum quiete fit prudens, eloquens autē ebullitione mobiles obtinet ſpecies: ſic vulgò dicitur Oratores multum in lingua cerebrum obtinere, & experientia docet pulchrè loquentes in rerum accidentibus, & figuris Oratorijs, ornamentiſque & blandis verſari ſermonibus, ſolidarum autem rationum pondera ineptiùs æſtimare, deteriùſque res exequi, in quo verum conſiſtit iudicium. Tullius propterea ex eiuſdem Plutarchi teſtimonio rem propè familiarem exhauſit: duas virgines reiecit, quarum alteram puellam ſenex ſibi iunxerat: tandem ab Auguſto Cæſare adoleſcente, rerumque agendarum experte, ipſe tot in rerum vſu Senator verſatus, in petitione conſulatus perbellè deceptus eſt, ac mox ab eodem proſcriptus, & ad mactandum Antonio traditus: Quapropter Oratores per hæc ſingula haudquaquam videntur eſſe prudentes.

*Ciceronis imprudētia.*

Attamen veriſſimum eſt Oratores in ciuilibus conſultationibus & in Reip moderatione principem locum obtinere, prudentięque laude claros haberi, adeò vt ipſorum domus totiùs propè ſit oraculum ciuitatis. Hoc de eodem Cicerone Plutarchus abundè teſtatur: hoc de Hortenſio, Craſſo, Catulo, cęteriſque perhibet Cicero: hoc etiam in Oratoribus Venetis tàm nobilibus, qui in Senatu, quàm in cæteris, qui in foro tractant licet animaduertere, ex quibus tanquam ex Apolline Delphico reſponſa ſumuntur. Itaque vt hoc rectè intelligatur, diſtinguendum eſt, quod vel conſideratur in hominibus naturalis habilitas, & promptitudo facilè, & copioſè loquendi, qua interdùm nonnulli mirificè præcellunt, vel ſpectantur circumſtantiæ huiuſmodi habilitatem moderantes. Sub priore membro tria continentur eloquentum genera: quidam enim in priuatis ſermonibus perblandi, ac prompta, & ſalſa dicteriorum venuſtate feſtiui, nec non facili, at contracta elocutione iucundi ſingulis exiſtunt: alij prætereà inexhauſto verborum fluxu rerum plurimarum

*Oratorū varia ſpecies.*

ſeries

ſeries complecti, & ab vna ad aliam ſubinde digredi conſueuerunt, qui tamen ſi publicè rem aliquam ſeriò diſcutiendam ſuſcipiant, nec eloquentes, nec rei momentis rationum grauitate pares euadunt, qualis inter antiquos Porcius Latro, qui in vmbratili ſcholarum puluere declamatur egregius, ad forenſem porrò traductus (vt ait Seneca) ineptiſſimus euaſit: ita Franciſcus Robortellus, cum in priuatis colloquijs vberrima polleret facundia, ſemel in concione quadam Bononiæ animo cōcidens obmutuit. Alij demùm ſunt, qui nedùm priuatis, ſed etiam publicis eloquijs, & verborum, & ſententiarum vbertate ſufficiunt, de rebus ſingulis ex tempore diſceptando, ſcientiarum omnium floſculos admirabili concinnitate pandendo, grauiora ſcriptorum omnium dicta, ſelectiores omnes, ſeù veteres ſeù recentes hiſtorias citiſſima ſuggerente memoria referendo, vt iccircò ſi aſpectus decor accedat, vel in foro, vel in pergamo, vel in ſcena, auditorum ad ſe omnium animos, & oculos dictionis ſuauitate, ac venere pertrahant. Horum duplex eſt ordo, nam vel delectando dicati ſunt, quales antiqui Sophiſtę, Gorgias, Lyſias, Iſocrates, vel vltrà delectationem, etiam ſuaſionem intermiſcent, qui propterea Oratoris nomen merentur, vt concionatores nonnulli. At hi omnes, quippe immoderata hac ingenij, ac ſermonis habilitate feruidum teſtantur geſtientis quaſi naturæ impetum, ex bile ſcilicet ac ſanguine excitum, haud in conſultationibus omnino prudentes, inque rerum diſcretione iudicio præſtantes exiſtunt, quia verè, vti ſæpiùs diximus, anima in ſpirituum quiete fit prudens; ac licet hoc ſibi apud populares nomen vendicent, quos fulgor ille diſertiſſimæ Orationis obruit, tamen re vera nonniſi ex doctrinarum rudimentis tantam efferunt pōpam, earumque penitiores receſſus tranſuolant, non æquè ſe in illos inſinuare apti; ideòque minimè conſtantem prudentiam, ſed fugacem obtinent; & ſunt hi, quos ingenio tractabiles, verſatileſque appellare ſolemus, quia ſcilicet facilis apprehenſionis exiſtunt ob cerebri mollitiem, & ſubtilem humiditatem; nec non celeris, & copioſæ elocutionis, ob celerem caloris phantaſiæ miniſtrantis motum, ex quo ſingula capeſſere, deque omnibus eloqui facilè poſſunt.

*Sigonius in Apologia.*

*Oratores ſecundum apparētiā prudentes quinam ſint.*

*Ingenio verſatiles pollent fugaci prudentia.*

At verò ſi loquendi habilitatem quibuſdam concluſam terminis, ac modis inſpiciamus, occurrent plurimi, qui eam aptiſſimè referant, prudentes vtique ac verè ſcientes, quos propterea ſolido oratoris nomine decoremus. Vnus verò ex his occurrat Plato vir ſapientiſſimus, ac diuini titulum emeritus, cuius lingua Cicero ait Iouem ipſum locutum iri, ſi Grȩcè loqui debuiſſet: occurrat Xenophon, cuius voce Muſas quaſi locutas ferunt eodem teſte. Demoſthenes robore illo Orationis apud omnem antiquitatem inclitus, inter ſapientes eloquens, ac inter eloquētes ſapiens longè ſemper eſt habitus: ipſe etiam occurrat Cicero, in quo

*Oratoria & ſapientia in quibus iūgatur.*

incredibilem facundiam ſingulari iudicio iunctam quiſque noſcat, qui tamen omnes non ſolùm in ſententijs ſolidioribus eligendis, ac dicendis in foro, & in Senatu cordati, & ſapientes, (vt ipſorum teſtantur hiſtoriæ ſcriptaque,) ſed etiam in rerum executionibus naui, & prudentes fuere: nam quòd ad Ciceronem attinet æquiſſimus ipſe fuit, & in iudicijs incorruptus (teſte Plutarcho:) porrò pater patriæ fuit appellatus; quippe vigilantia, & ſolertia ſingulari Remp. ab impiorum telis ſeruarat incolumem: amplius vt ſe ab humili fortunæ ſtatu ad amplum efferre, ſummæ virtutis fuit, ità eundem toto vitæ ſuæ curriculo in tanta imperij maieſtate, ac perturbatione tueri, non vulgaris prudentiæ fuit. Terentiæ repudium iuſtum fuit, ſi verę ſunt adductæ à ſcriptoribus cauſæ: puellæ coniux euaſit ſenex, vt ſe exilij cauſa ære alieno oppreſſum per ampla dote ſubleuaret, quod ſani conſilij fuit. Ab Auguſto deluſus fuit, ſeu proditus, quia facile eſt ab amico falli, qualem ſe gerebat erga Tullium Auguſtus, cuius iniquitas potiùs eſt improbanda, quàm Ciceronis credulitas.

*Ciceronis vitia excuſantur.*

Non repugnat igitur hominem facilè, ac diſertè loquentem eſſe quoque in agendis prudentem, quia calor ille phantaſiæ ad loquendum inſeruiens, poteſt eſſe in materia adeò cum frigido, humido, & ſicco temperata, vt non ſine modo, & regula in ipſa moueatur (vnde verboſiſſimi quidam, & blaterones facti,) ſed tunc ſolùm cum phantaſia ab obiecto excitata ipſum excitat, vt ſpecies in memoria impreſſas, ac ſeruatas commoueat: quare homo ſcit quidem ex calore loqui, ſed ex frigore tacere ſcit etiam, ex quo & orator, & prudens exiſtit. Accedit quòd in tali temperatura viget etiam memoria ob ſiccitatem, cuius eſt facilè retinere, ac oratori memoria eſt ſummoperè néceſſaria, quia loquitur per voces; hæ verò non niſi per memoriam conſeruantur. Sed ex memoria experimentum, ab experimento manare prudentiam, ſuprà diximus ex Ariſtotele. Itaque Eloquentia cum prudentia poteſt optimè ſociari, immò ille verè dicendus orator erit ad Sophiſtarum, garrulorum, & loquacium diſtinctionem, qui vtraque præſtet: porrò etiam qui ſapiens, ſeù magni ingenij exiſtat: ſic enim Cicero in orat. cum tria genera dicendi
„ eſſe docuiſſet, ſubtile, modicum, vehemens, ſubdit: Magni igitur iudicij,
„ ſummæ etiam facultatis eſſe debebit moderator ille, & quaſi tempera-
„ tor huius tripartitæ varietatis. Nam & iudicabit, quid cuique opus ſit,
„ & poterit quocunque modo poſtulabit cauſa, dicere. Sed eſt Eloquen-
„ tiæ, ſicut cæterarum rerum fundamentum ſapientia.) Ibidem etiam in
„ ipſo libelli exordio, huiuſmodi iecit axioma dicens: (poſitum ſit igitur
„ in primis, quod poſt magis intelligetur, ſine philoſophia non poſſe effici, quem quærimus eloquentem) quod poſteà plurimis veterum Oratorum firmat exemplis, ac ſuometipſo etiam aſſerens: (& fateor me

*Solertia in agibilib. cũ oratoria iũgi poteſt.*

*Orator idẽ ac prudens & ſapiens eſſe poteſt.*

Ora-

Oratorem ſi modo ſim, aut etiam quicunque ſim non ex rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatijs extitiſſe.) Cum eo conſonant Horatij carmina in Poetica.

*Dicendi rectè, ſapere principium eſt, & fons.*
*Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ*
*Verbaque prouiſam rem non inuita ſequentur.*

Quî igitur homines in doctrinis, ac ſcientijs præſtantes, natura fieri nequeant eloquentes non video ex Huarthis ſententia, quæ longiori cõfutatione non eget, cum tantorum virorum placitis, euidentibuſq; naturæ rationibus explodatur. Ac licet Ariſtoteles in probl 8.3 ſect. videatur innuere Oratorem non eſſe Philoſophum, tamen reſpondet inibi hoc accidere, quia Philoſophus conſiderat rerum ſpecies ſecundum ſe, Orator autem conſiderat earum accidentia in alio, vt ille conſiderat quid ſit iuſtitia, hic verò qualis ſit iuſtus, ſed per hoc nõ inficiatur Oratorem non fieri poſſe Philoſophum, immò planè oſtendit eos ſibi maximè proximos, & ſimiles eſſe, quia verè licet Orator Philoſophia naturali parùm egeat; tamen moralis, vt ait Cicero locis citatis, politica, & ius ciuile, ſunt illi admodùm neceſſariæ, nec non etiam hiſtoria, ex quibus perpetuò argumentandi ſegetem haurit ad ſuadẽdum, vel diſſuadendũ. *Cõtra Huarthem cap. 9.*

Idem Huarthes ad aſſertionem ſuam corroborandam, vtitur exemplo Platonis, Ariſtot. Hippocratis, Diui Pauli, vt qui docti extiterint, at indiſerti, qui tamen meo iudicio mirè hallucinantur. Primùm enim ſuæmet doctrinæ immemor eſt cap. x. allatæ inquiens, multos ſermone facundos, ſcripto ceu blæſos, ac ſteriles adnotari, tales autem ij Philoſophi eſſe forſitan potuerunt, ſicuti Diuum Paulum fuiſſe maximum concionatorem, conſtat ex D. Auguſtino, qui Romam triumphantem, Paulum prædicantem, Chriſtum in humana carne videre ſibi anxiè augurabatur, ceu res non vllo ampliùs tempore caſuras: quare inductio ex ipſis ſumpta abſolutè non valet. Porrò de Platone, ac cæteris Tullij teſtimonium audiatur, quod iure Huarthis auctoritati debet præpõderare: ſic enim ait in Oratore perfecto. (Theophraſtus diuinitate „ loquendi nomen inuenit, & Ariſtoteles Iſocratem ipſum laceſſiuit, & „ Xenophontis voce Muſas quaſi locutas ferunt, & longè omnium qui- „ cunque ſcripſerunt, aut locuti ſunt, extitit & grauitate princeps Plato.) „

An igitur ſunt hi eloquentiæ laude à quopiam fraudandi, de quibus eloquentiæ parens tantum promit iudicium? verum eſt eam non eſſe eloquentiam foro idoneam, at ſedatam, & languidam, qualis contemplatori, non ſuaſori conuenit, attamen ſi & in ea ſtudium, & operam collocaſſent (quod ipſis tamen neceſſe non fuit ſicut oratori neceſſe non eſt in penitioribus rerum cauſis acriùs indagandis verſari,) dubium nõ eſt, quin excellentes pariter euaſiſſent: ità etiam de Hippocrate, ac D. *Philoſophorũ eloquentia.*

Paulo ſentiendum, quorum preſſum, & conciſum dicendi genus eloquentia non caret, ſicut neque dictio Thucididis, & Salluſtij, vel noſtris temporibus Iuſti Lipſij, non enim ſinguli nati ſunt, ceu amnes lacteo rore manantes fluere, vt Liuius, Curtius, & Cicero, iuxtà illud Poetæ.

*Omnibus non omnia dat ſua dona Deus.*

maximum tamen in ſcriptis ſuis, vel ſermonibus neruum, & robur obtinent.

*Medicorum eloquentia.* Sed cur præter Hippocratem, Galeni etiam exemplo Huarches non eſt vſus? quem omnium rerum ſcientia maximè perpolitum; eundemq; Aſiatica facundia aurei fluminis inſtar exuberantem, quilibet niſi amẽs agnoſcit? Cur etiam Fernelium, & Argenterium medicos in ſcientijs admirabiles, & eloquentiſſimos non propoſuit? Cur ex Theologis Nazianzenum, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, alioſque patres quamplurimos, ſingulari eloquio altiſſima rerum diuinarum pandentes dogmata prætermiſit? *Theologorũ eloquentia.* In recentioribus autem ſi Lodouicum Granatenſem ex D. Dominici familia, & Cornelium Muſſum Epiſcopum Bitontinum, & Franciſcum Panigarolam Epiſcopum Aſtẽſem æquè eruditione, ac elocutione percelebres aduertiſſet, haud ſcio an negaſſet doctos tàm raò eloquentes fieri poſſe. Inſuper Iulius Camillus fuit ſingulari præditus eloquentia, & doctrina, quod cum binæ Orationes illæ ad Regem Galliæ pro fratre habitæ teſtantur, tùm idea Theatri nonniſi eruditiſſimum oſtendit ingenium. Alexander etiam Picollomineus omnium ſcientiarum laude mirè floruit, cum idem ſuis in ſcriptis facundiſſimus exiſtat. Porrò Iacobus Mazzonius Cæſenas Philoſophus nobiliſſimus, ingenio, memoria, eloquentia cùm in Piſano gymnaſio, tùm in legationibus obitis non ſecundum eius æui conſenſu locũ inter præſtantiſſimos eſt emeritus, cum de vnaquaque re ex tempore diſertiſſimè diceret. In ſumma cùm antiquis, tùm recentibus exemplis innumeris probari poteſt, prudentiam, & doctrinam non repugnare eloquentis temperaturæ, quæ tamen cum multos habeat perfectionis gradus, raò vel fortè nunquam illum attingit, quo perfectiſſimum illud ingenium conſtituitur, eruditione ſcilicet, prudentia, & facundia præſtans, cuius ſpeciem Antonius Orator apud Ciceronem mente cernebat, reipſa non videbat. Alijs tamen eiuſdem temperaturæ gradibus non per hoc ſua denegatur excellentia, qua homines variè præſtare poſſunt, alij prudentia magis, & eloquentia minùs, alij magis ſapientia, & eloquentia, minùs autem prudentia, alij magis eloquentia, parciùs verò cæteris, vel è contrà, iuxtà varias qualitatum elementarium miſcellas, & naturæ impetum in fętubus colludentis.

Interdùm eò peruenit vis abdita caloris in mixto, vt hominem donet, facilitate, ac habilitate loquendi, qua loquax verè euadat, ac tamẽ, & pru-

& prudens, & ſapiens verè ſit contrà id, quod ſuprà diximus de hominibus immoderata hac facilitate dotatis. Talis autem fuit Ariſtoteles humanæ regula ſapientiæ ex Auer. ſententia, fuit inquam loquax A lia-no teſte. Talis etiam fuit Ludouicus XI. Galliæ Rex, vt aſſerit Argentonus rerum ſuarum ſcriptor illuſtris; ait enim, de ſe ipſo conqueri ſæpius ſolitum fuiſſe, quòd linguam neſciret cohibere, ac tamen ſolertiſſimo fuit ad imperandum ingenio, cæteriſque omnibus eius æui principibus venerabilis. Ità ſupradictum Mazzonium verboſiorem fuiſſe referunt: Ita hoc æuo Senatorem Venetum, ac D. Marci Procuratorem ingenti verborum prolixitate in Senatu ſæpius differere ſolitum audio, cum tamen ingenio perſpicaci, politiciſque negotijs maximè habili eniteſcat. Hæc tamen cum ſint de raro admodùm contingentibus, non ſunt à nobis diutiùs expendenda. *Loquaces interdum docti, & prudentes.*

Supereſt ad exactam temperamentorum ingenijs accommodatorum notitiam de Grammaticis etiam, & ludimagiſtris aliquid ſubiungere: de quibus illud planum eſt, quòd memoria præſtant, qua tot verborum, nominum, conſtructionum, declinationum, elegantiarum, quas vocant ex varijs auctoribus decerptarum pœnum ſeruant; imaginationis autem vigore propè nullo ſunt prædìti, quippe non alio animaduertimus eos ſe dedere ſtudio, quàm compilandi, & multa ſparſim diſſita colligendi, abſque vlla præceptorum innouatione, vel inuentione, in qua præſertim phantaſiæ conſiſtit prærogatiua; inde illæ Priſciani cornucopiæ, inde vocabularia, inde Aldi elegantiæ, in quibus tamen illud notabile, quod plerunque tàm obſcuro ſingula digerunt ordine, vix vt intelligantur, fortè quia Grammaticæ nil eſt aliud, quàm ſcire confuſionem de viginti quatuor literis, vt ait Simpl. lib. 1. Phyſ. Ac tamen ſi vel Tullium, vel Salluſtium, vel Virgilium, vel Terentium interpretandum ſuſcipiant, ſtatim germanos ſe putant ipſorum arbitros, & ſcrutatores, quo inſano doctrinæ tumore, cęteros omnes ſcientiarum temnunt cultores, vel vt inſcios, vel tetricos, vel ineptos: ſic Palæmonem Vicentinum Grammaticum, Plinius literis tradit adeò fuiſſe arrogantem, vt ſecum natas, & morituras literas prædicaret: ſic Eraſmus Roterodamus (licet ingenioſus) tanta fuit petulantia, vt à grammaticis præceptionibus, ſcriptiſque ad Theologiæ, ac D. Pauli epiſtolarum interpretationem tranſiret, quorum etiam ſe primarium, ac fidum interpretem profitebatur. Nec latet adagium, quod Grammaticus ipſa arrogantia eſt, omnium ſermonibus, paginiſque iactatum. *Grammaticorum arrogantia.* *lib. de illuſtr. Grãma.*

Ex his igitur liquet quænam ſit ipſorum temperatura; ſiquidem cum memoria ſicco terreo perficiatur ex Galeni ſententia, vt impreſſas conſeruet ſpecies; nec tamen huiuſmodi ſiccum debeat eſſe multum, quia ipſarum fieri non poſſet impreſſio, neceſſe eſt multam cum eo miſceri *lib. 2. Ar. parua.*

humi-

humiditatem magis aqueam, quàm aeream, ex qua miſcella reſultat pinguis, ſeu groſſa cerebri, cordis, ſpirituumque ſubſtantia, quæ cum imbecillum contineat calorem haud ipſam ſubtiliare aptum, fit vt imbecilla huiuſmodi homines polleant phantaſia reſpectu aliorum ingeniorum, proindèque rerum ſubtilium captui euadant inhabiles. Et quia talis calor materiam commouet, nec reſoluit, gignuntur etiam flatus, vnde tumor, & faſtus; & quia ob inſtrumentorum craſſitiem minimè ſe in rerum arcana poſſunt inſinuare, ſed ſolam ipſarum ſuperficiem vix colluſtrant, ideò fiunt arrogantes, falſo errore ducti, quòd intimior earum rerum non detur intellectio, vt quam ipſi naturæ imbecillitate non attingunt; propterea ſapientes ſe, ac magnos viros temerè æſtimant, perfectam ſcilicet ſingulorum habere notitiam perperam opinantes.

## *De melancoliæ viribus.* *Cap. VIII.*

HActenùs ingeniorum cauſas efficientes, atque materiales internas, & proximas, quantùm noſtræ licuit mētis imbecillitati in humana ſpecie ſcrutati ſumus, normamque veluti quandam in re tàm difficili præſcripſimus, qua etiam penitiores aliæ quædam in indiuiduis, ſin exprimi, ſaltem concipi animo poſſint. Nunc ſupereſt aliqua de humore melancolico inquirere, quē ceù principalem, & communem cuicumque ingenij ſpeciei cauſam aſſignauimus; vndenam ſcilicet hæc ipſius emanet prærogatiua, quæ in alijs non aduertitur corporis humoribus, qui ad ingenij productionem, vt inferiores dumtaxat cauſæ videntur concurrere, nec adeò neceſſariæ. Sciendum igitur ex Gal. 2. de natural. facul. cap. 9. duplicem huiuſmodi eſſe humoris ſpeciem, alius enim ſuccus melancolicus, vel ater humor, vel proprio nomine melancoliæ ab eodem Gal. pluries nuncupatur, eſtque ille, qui ceù fex ſanguinis in maſſa ſanguinea ab alijs humoribus contradiſtinctus ſubſidet, terreſtri correſpondens elemento, quo qui abundant obtuſo, craſſoque ingenio ſordeſcunt, ad aſini naturam accedentes, qui inter bruta huiuſmodi temperie dotatus eſt: alius porrò eſt, quem atrā bilem appellant, & eſt ille idem ſuccus melancolicus, vel alius humor vt ſanguis, & flaua bilis, qui aliquam acquiſiuerit aduſtionem, ob quam, & ſiccior fit, & partibus quibuſdam ſubtilioribus afficitur, ſicuti rebus omnibus contingit aduſtis, ex Ariſtotele 4. Meteor. cap. 2. qui inæqualem, & variam ſortitur naturam, frigiditatis nimirùm ob innatam craſſitiem, & caliditatis ob aduſtionē, ſiue ob igneam actionem, & impreſſionem. Ac talis humor debita quantitate, & qualitate in maſſam inuectus ſanguineam, is eſt, qui mirè in corpore influit ad ingenij conſtitu-

*Humor melācolicus eſt duplex.*

tio-

tionem. Vtriuſque autem humoris ſigna paſſim recenſet Galenus, ac nos inferiùs opportunè proponemus,

Idem Galenus vtrumque diſtinguens, vnum ait eſſe naturalem, ſiue melancoliam, alium non naturalem, ſiue atram bilem, quod Ariſtoteles non facit aſſerens 1. probl. 3. ſect. in noſtris corporibus actione calidi, & frigidi atram bilem neceſſariò intermiſceri, nec aliam talis humoris diſtinctionem adducit; quare videtur à Galeni ſententia diſcrepare. Sed Galenus conſiderat ſtatum corporis ſimmetrum: Philoſophus autem cauſas naturales: ſecundum illum atra bilis non eſt corpori conueniens; quia fit ob exceſſum caloris bonam corporis temperiem ſuperantis: quare ob id non naturalis eſſe videtur: ſecundum alium neceſſe eſt atram bilem, ſiue multam, ſiue paucam, ſiue calentiorem, ſiue temperatiorem in corpore generari; propterea natura inſita rectè dicitur; neceſſariò enim aduſtiones, vel magnæ, vel paruæ, cùm in gignendo corpore, tùm in eodem poſtgenito fiunt ab innato calore in humidum agente: at ex aduſtionibus, vel multam, vel paruam gigni atram bilem neceſſe eſt.

*Melancolicus humor alius eſt naturalis, alius non naturalis.*

Cur igitur talis humor tantam hominibus conferat excellentiam, ex his facilè poteſt intelligi, necnon ex aliorum humorum examine, & collatione percipitur: pituita enim impuros, & ſegnes progignit ſpiritus, ex quibus mens veluti friget, ac torpet; ſanguis autem celeriores quidem, ſed humiditatis lentore præpeditos, ob quam retuſa caloris acutie, fiunt homines potiùs moribus amabiles, quàm ingenio excellentes; bilis flaua ſiccitate ſua ingenio maximè confert, ſed ſubtilitate nimia, cum ſuperque ſit mobilis, non ſinit ingenia in contemplationibus immorari, ſed inſtabilia reddit, & inconſtantia, immò & corpora ipſorum imbecilla, quia facilè ob ſpirituum, & ſanguinis ſubtilitatem reſolubilia, quæ ſingula ex allatis in primo libro, ac proximè in ſuperioribus adeò innoteſcunt, vt euidentiori non egeant explanatione.

*Pituitæ vis in ingenium itemq; ſanguinis, & flauæ bilis.*

At verò atra bilis, quia ſua natura eſt calida, & frigida, craſſa, & ſubtilis, miramque obtinet naturæ varietatem æquè ac acetum, quod à Galeno inæqualis admodùm temperamenti conſtituitur, longè pluribus inſeruire animæ functionibus eſt apta, quàm cæteri humores: idcircò optimè ab Ariſtotele probl. ſæpius citato dicitur ea, in diuerſis hominibus ingeniorum producere differentias, quas in vno duntaxat vinum ſubinde parere conſpicimus, videlicet timoris, audaciæ, loquacitatis, ſtuporis, & aliorum, quæ ſuperiùs abundè conſiderauimus. Et ſubinde cõparat eam etiam aquæ, ac ferro, quæ licet frigida ſint, tamen accenſa variè incaleſcunt. Nam verè atra bilis, quia magnam habet temperamenti latitudinem, multa poteſt efficere ingenia bona, vel mala, itemq; mores bonos, vel malos; quia ſi exempli gratia nimis craſſa fuerit, & accenſa, fiet præceps, furorique obnoxium ingenium: quibus fuerit craſſa

*Atra bilis cur mirabiliter ingenio conferat.*

& fri-

& frigida ideſt paruam ſuſceperit aduſtionem, ita vt ſuccus melancolicus ei prædominetur, fient homines ingenio ſubtrilti, ac timido, & ſuſpicioſo vecordique. Sed ſi moderata fuerit, egregias influit ingenijs hominum dotes, quia & prudentes in actionibus, & in rerum ſtudijs acuti diuerſimodè, perſpicaceſque redduntur: tot enim ſunt mediocritatis huius humoris, vel ipſis exceſſuum, caliditatis nimirùm, & frigiditatis gradus, vt ipſos ne dum innuere, ſed nec mente concipere impoſſibile ſit: nunc generatim duntaxàt intellexiſſe ſufficiat, quod is à cęteris humoribus debitè contemperatus mirabiliter ingenio confert, quod etiam oſtenditur primò, quia (vti diximus) idem humor ancipitis exiſtit naturæ, quare pluribus animæ operationibus inſeruire natus eſt, quàm alij humores, qui ſtatutis quibuſdam qualitatibus gaudent: quãtùm autem vnum inſtrumentum ad plura ſe extendit, eò etiam perfectius eſt. Secundò quia ſpiritus ex tali exhalantes humore ſunt denſiores, ſed tamen conuenienter ſubtiles, ac mobiles, cùm ex groſſa materia ob meatuum denſitatem ſubtiliores omninò ſpiritus eliciantur, & huic ipſorum ſubtilitati coniungitur ſplendor, cuius bono anima optimè rerum ſpecies intuetur: eſt enim talis humor ſiccus, ac ſiccitas eſt ſua natura luminoſa. Tertiò atrabilares ſunt cogitabundi, ac res inquirunt; inquiſitio autem longam requirit applicationem: & hic humor huic operi aptiſſimus eſt, quia tenax, nec facilè reſolubilis, ſicuti flaua bilis, vel ſanguis. Quartò magnis, ac longis ſtudendi laboribus corpora colliquantur, quare humor in ipſis requiritur ſanitati conducens, qualis eſt atra bilis, quæ cùm ſua denſitate non facilè reſolubilis, tùm ſiccitate putredini, morbiſque reſiſtit, quæ ab humido creantur, & fouentur.

*Atra bilis innumeros habet ſui tẽperamenti gradus.*

*Quatuor atrę bilis excellentiæ ex Cõcil. cõm. probl. 1. ſectio. 30.*

Ab Ariſt. huic eidem humori ſupereminens quædam alia aſſignatur virtus futura prædicendi, qualem ſibyllis competere, ac bacchis tradit. quod etiam confirmat Rhaſis primo continentis ſic inquiens: & ego quidem vidi Germanum meum in quadam ſua ægritudine phreneticũ factum prædicere plura futura, ſicut euenerunt in breui. Idem aſſerit
,, Areteus lib. 3. acut. morb. cap. 4. Animus conſtans, & ſtabilis eſt: ſenſus
,, omnis purus, & integer, ſubtile ingenium, mens vaticinando idonea,
,, primùm quidem ſeipſos de vita migraturos præſentiunt, deinde præ-
,, ſentibus futura prædicunt. Qua ratione Achilli moribundus Hector, & Patroclus Hectori apud Homerum plurima præmonuit euentu poſtmodùm comprobata. Ità nec recentes, & quotidianæ propè huius veritatis deſunt hiſtoriæ. Ac ne longiùs abeam, teſtor Deum me olim ante plures menſes melancoliã quadam ex aduerſo caſu conceptam, Domini patris mei præſenſiſſe, ac prænunciaſſe mortem, cum tamen ipſo valdè incolumi, nulla eius mihi ratio probabilis afferretur: & ſic ipſe poſtea momentum ſui obitus, ſeptem circiter horas antea pronunciauit.

*An ab humore melãcolico pendeat prędictio futurorum.*

*Auctoris præſagium.*

Aui-

Auicenna 4.natural.6.tantum humori melancolico tribuit, vt imaginationem ipſo affectam, nedùm in imaginante, ſed in externis etiam mirabilia interdùm efficere poſſe ſcribat, pluuias ſcilicet, tonitrua, terremotuſque ad libitum excitando, ægritudines inducendo (ſicuti baſiliſcus oculis inficit, & lupus affert vocis impedimentum,) ac ſanando, (ſicut Reges Galliæ ſanant ſtrumoſos:) quæ ſingula ea animi firmitate profert, vt negantes in phyſicis parùm verſatos, & ignaros appellet. Cui etiam ex recentioribus Petrus Pomponatius lib. de incantationibus, & Ioannes Baptiſta Montanus Comm. in 2. Fen. 1 canon. eiuſdem Auic. ſubſcribunt. Alij vt Huarthes aiunt, huius humoris viribus, homines, vel illiteratos Latino, vel Græco idiomate poſſe loqui, cuiuſce rei affert exẽpla; Ac eſt illud Conciliat. in Comm. 1. probl. ſect. 3. qui ſic ſcribit: Ego audiui à fideli medico, quòd mulier, quę illiterata erat, dùm eſſet melancolica, latinum loquebatur congruum, qua ſanata, euanuit. Porrò fieri etiam aſſerunt doctos ex indoctis. Ita Areteus lib. 1. diutur. aff. cap. 5. Furoris (inquit) ſpecies vtique infinitæ ſunt. Ingenioſi namque ac dociles Aſtronomiam callent ſine doctore; philoſophiamque poſſident à nemine traditam: poeticam quoque velut à Muſis infuſam norunt: aliquid enim & in morbis emolumenti præbet docilitas.

*Imaginatio vi ſua poteſt producere effect⁹ ad extrà ex Auicenna.*

*Humoris melancolici vi homo illiteratus vario poteſt loqui ſermone*

Ceterùm quod attinet ad Auicennæ placitum, ſatis cuilibet ſanæ mentis negatorium videbitur ex eo, quòd phantaſiæ actio eſt immanens, non autem tranſiens, quia ſi talis eſſet, ſequeretur quòd opus ex ea externum relinqueretur, & ideò imaginans inimici mei mortem, vel aurum multum in meo ſacculo, hæc ſingula eius virtute darentur actu, quod eſt abſurdum. Ampliùs cum prædicta velit phantaſiam efficere per ſpecies emiſſas, & ſpiritus extrà corpus imaginantis fuſos in rem externam, non eſt probabile, vt huiuſmodi ſpecies per tales delatæ ſpiritus in rem maximè diſiunctam deferri poſſint, abſque eo, quod ab ambiente aere diſſipentur & corrumpantur, cùm ſint res exiguæ admodùm entitatis. Prætereà phantaſia eſt motus ab externo ſenſu factus ex Ariſtotele 2. de anima tex. 181. non emittit ergo ſpecies, ac ſpiritus, ſed recipit eos à ſenſibilibus medio ſenſuum externorum; ac licet per eos ſic receptos imaginantis alterari corpus ſæpiùs aduertamus, puta ex ſpecie iucundi, vel triſtis palleſcere, vel rubeſcere; tamen id virtute phantaſiæ, ac ipſarum ſpecierum, vel ſpirituum non fit, ſed ex qualitate obiecti ſub vna conuenientis, vel diſconuenientis ſpecie mouentis ſenſum, qui poſteà mouet phantaſiam, hæc mota excitat appetitum ad proſecutionem, vel fugam, ex hoc mouetur cor, vnde etiam aliæ corporis partes afficiuntur. Quare ſi nullam hi per ſe ſpiritus alterandi proprium imaginantis corpus vim obtinent, multò minùs poterunt alienum. Inſuper refellit hanc ſententiam experientia, qua nullum huiuſmodi opera per

*Auicenna refellitur.*

imaginationem facere intuemur; nam Regibus Galliæ vis ſanandi ſtrumas eſt gratis data (quia nullus ipſorum adhuc hæreſim eſt profeſſus,) non connaturalis, quia ſic eſſet etiam in fratribus, & agnatis, quod non videmus. A baſilici verò adſpectu infectio, vel eſt fabuloſa, vel per immiſſos in aërem ſpiritus veneficos, & intuentibus communicatos contingit; ſicuti ex lupi viſione raucedinem quoque fieri patet, concepto ex improuiſo feræ occurſu timore, indèque retractis ad cor ſpiritibus, inductaque ſubita corpori alteratione vox ſurripitur: ſic alios huiuſmodi effectus mirabiles, qui de Marſis, ac Pſyllijs à Galeno produntur, quòd ſerpentes tractarent innoxiè, non phantaſiæ præſtitiſſe viribus ex Plutarcho, & Plinio coniectamur, ſed vel pharmaci, vel dæmonis adiumento, iuxtà illud:

*Cur ex baſilici viſione mors, lupi verò raucedo contingat.*

*Hinc eſt laudato, quòd poſſunt carmine Marſi*
*Cum tacita ſæuos producunt arte dracones*
*Abſentes, & ſæpè iubent confligere ſecum.*

Alia plurima contrà huiuſmodi Auicennæ commentum affert præ cæteris Philippus Faber lib. contra Atheos diſp. 1. c. 8. quæ nos ab inſtituto non debent auertere.

Quòd igitur ad prædicendi virtutem ab Ariſt. melancolicis aſſignatam attinet, necnon ad repentinam doctrinæ, ac varij ſermonis acquiſitionem, nonnulli inficiantur prædicere homines poſſe futura, niſi vel caſu, vel dæmonum vi, ex quibus idem Faber eo nixus fundamento præcipuo, quòd cum ſenſibilia futura nondum exiſtant, in ſenſu externo ſpecies nequeunt gignere, ac proinde neq; ad imaginationem tranſmittere, quæ ipſam ſemper in ſenſu ſpecici receptionem factam ſupponit.

Sed fallitur, quippe aliud eſt veram, perfectamque in phantaſia ineſſe rei externæ ſpeciem ſenſu perceptam, aliud ſpeciem ei ſimilem: illa in prænoſcente futura non adeſt, quia nunquam ſenſui nota: hæc adeſt, quia rei eſt, quæ aliàs ſenſu percepta fuit. Sicut igitur phantaſia nunquã rem poteſt imaginari, quæ ſub ſenſu non fuerit, vt non poteſt cæcus à natiuitate imaginari colores, vel ſurdus ſonos, ita eius ſimilem, aliàs ſenſu cognitam poteſt, vt cum quis imaginatur amici mortem, quam nunquam vidit, agit hoc ex vtriuſque ſimili imagine, quam pluries vidit. Modò ex hiſce ſimilitudinibus, quæ ſunt veluti præparationes quædam ſpecierum imaginabilium nõdum exiſtentium, quales futurorum, mouetur phantaſia ad illorum prænotionem, quaſi ex præuijs quibuſdam ſignificationibus excita, vt futurorum tempeſtatem ex antecedentibus indicijs prænoſcit Aſtronomus. Vis autem ex vna ad aliam, atque aliam imaginem per ſimilia procedendi, vnius eſt humoris melancolici, ſeu phantaſiæ ipſo affectæ, vt ait Ariſt. lib. de diuin. per ſomnium, eoq; magis hic humor hunc ei confert proceſſum, ac motum, quò maiorem imago

*Andreas Ceſalpinus c. vlt q. peri pat.*

*Explicatur modus quo naturaliter futura poſſimus prædicere.*

imago habet in anima ſui præparationem; ſed hanc habent imagines amicorum affiniumque noſtrorum, qui nobis ſunt cariſſimi, ideò ipſas etiam magna apprehendimus vehementia, qua nedum mouetur animus, ſed corpus etiam, adeo vt imminente re quadam noua circa ipſos, ſibilus quidam in auribus, aut calor, & frigus quoddam membra permeet mirandum in modum. Aliorum imagines, quia tales in anima præparationes non reperiunt, ipſam æquè non mouent, ideò nec etiam circa extranea contingit à nobis fieri prædictiones.

Non eſt igitur cur quempiam eas promentem putemus id caſu, vel per dæmonem facere; licet ex Theologorum ſententia non repugnemus, id interdùm contingere: tàm inquam vi dæmonis mali mouentis hominum phantaſiam per futurorum ſpecies, quas ipſi dæmones coniecturaliter, non certò præuiſas immittunt, quàm angeli tutelaris, Dei nutu noſtros quaſi tangentis animos, & futurorum vel bonorum, vel malorum nuntio commonentis. *V. Zimarã Theorem. 83.*

Eſt illa difficilis fateor in natura prædictionum cauſæ explicatio, quã etiam Buccaferreus vir doctiſſimus ingenuè ſe non ſatis percipere profitetur in Comm. dicti libri Ariſt. de diuin. per ſomnium. Sed alia profectò in ſanis hominibus non poteſt afferri; nam in infirmis morti proximis, quòd futura præſentiant, id vnius animæ puriore luce, quæ ſe à corporis vinculis eximens diuinitatis vigorem incipit aſſequi, euenire arbitror: ſicuti ſemper eadem quò magis ſe abducit à ſenſibus, vt in ſomnijs & ecſtaſi, futurorũ præuiſioni fit aptior ex D. Th. in ſum. q. 13. art. 2. De ſibyllarum autem, vel Oraculorum vaticinijs hoc tenendum, quod fidei Catholicæ euidentia omnibus Philoſophorum nugis certior firmat: illas nempe diuino afflatas ſpiritu, non melancolico furore vaticinatas eſſe: hæc verò per cacodæmonem ænigmaticas protuliſſe voces. Illud vel ipſe ſubodoratus eſt Cicero lib. 2. de diuinitate de Sibylla Erythrea verba faciens ibi. Atque in ſibyllinis expoſitio verſu cuiuſque ſententiæ carmen omne prætexitur. hoc ſcriptoris eſt non furentis, adhibentis diligentiam, non inſani. hoc verò vel illa tantùm conuincit ratio, quòd oracula ipſo Ciceronis tempore ceſſarunt ex eius teſtimonio ibidem, & Plutarchi etiam in lib. de Oraculorum defectu. Sed humor melancolicus adhuc in complexionibus durat, nec ſpecie mutatus, ergo ab huius non prodijſſe viribus dicendum eſt. Effectrix igitur ipſorum abſq; dubio ſuperior alia extitit cauſa, ſcilicet dæmones, qui aduentu Chriſti Domini obmutuerunt iuxta Prophetiam Iſaiæ cap. 19. & Hieremiæ cap. 2. nec ab inde ampliùs in æternum garribunt. *lect. 26.* *Oracula fiebant à Dæmone.*

De repentina demùm eruditi, extraneique ſermonis locutione in ruſtico, & idiota homine, verè neſcio percipere, qui melancoliæ viribus poſſit hæc fieri; cum enim ſit in Ariſtotelis doctrina certiſſimum, quòd *Ruſticus qua vi de ĩprouiſo doctè lequat.*

nihil eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu, & ſic nihil attingat phãtaſiam, quin priùs per ſenſus externos, ceù ianitores pertranſeat, ſanè idiota ruſticus, nunquam vocabula illa, vel latina, vel græca abſtruſiſſima, vel audijt, vel intellexit; quare eſt impoſſibile, vt illa virtute melancolici humoris promatur locutio, qui poteſt quidem introducta phantaſmata commouere, ſed quæ illic priùs non erant introducere haudquaquam poteſt, vel alijs detegere, ſicuti cæcus natus, qui nunquam vidit colores, nec etiam illos imaginari vlla ratione aptus eſt. Idem aſſero de doctrina in ruſtico ſubitò acquiſita, quòd à vi naturali nullatenus prodeat, ſed à ſupernaturali. Nam quòd Areteus ingenioſos dicat ſcientias ſine doctore capeſſere, vt de ſe ipſo D. Auguſtinus tradit inquiens in lib. ſuarum Confeſſ. ſola Dialectica me fecit diſcipulum, haud herculè inficior, qui ex doctrina in ſuperioribus tradita non ignoro, temperamenti excellentiam ſenſus in illis omnes, tàm externos, quàm intimos perfectiſſimos reddere, vndè mira etiam in eorum intellectu emergit docilitatis, & apprehenſionis facultas.

## *De cauſis ingeniorum externis, ac primùm de Climate, Aere, atque Solo. Cap. VIII.*

*Ingenij cauſæ externæ ſunt tertij ordinis.*

POſt internas ingenij cauſas, remanet iuxtà propoſitum à nobis ordinem externas etiam examinare, quæ triplicis ſunt ordinis. Primùm naturæ, vt aer, clima, ſolum, ſitus, parentes, cibus, & potus, animi affectus. Secundò fortunæ vt nobilitas, diuitiæ, dignitates, morbi. Tertiò electionis, vt educatio, religio, lex, ſocietas, ſtudia, & huiuſmodi alia. De quibus vniuersè tenendum eſt, quòd in tantùm exiſtunt ingenij cauſæ, in quantum temperamentum gignunt, vel alterant in partibus tàm ſimilaribus, quàm diſſimilaribus, quas ingenij functionibus dicatas eſſe ſuprà docuimus. Nam quòd primò attinet ad aerem, ſatis dictum libro 1. cap. de ſpiritu, quàm ille poſſit animam, ſeù ingenium afficere ſuis qualitatibus, ſcilicet ſpiritum ipſum variè immutando, qui ceù caloris vehiculum, maximum eſt ingenij operum inſtrumentum. Aere ſiquidem inſpirato gignuntur in ſiniſtro cordis ventriculo vitales ſpiritus, qui propterea illius conditiones, vel bonas, vel malas omninò ſequuntur, inde habilitas, vel inhabilitas in operibus animæ obeundis. Diximus aerem calidum ingeniũ iuuare, frigidum nocere: diximus etiam ſiccum, purum, & euentatum laudari, craſſum, nubiloſum, coinquinatum improbari. Ità eſt profectò, quippe calore ſubtiliatus aer ſpiritus gignit,

qui

qui acutie ſua ſunt rerum penetrationi apti, caloris autem motu inuentioni, ſicut in regionibus illis, quæ ſunt calidæ ob ſolis, & planetarum radios ipſas quaſi perpendiculariter ferientes, vnde magna vi à terra in aerem reflectuntur & calefaciunt ipſum, quod non euenit in alijs regionibus, in quibus radij per angulos obtuſos, & acutos reflectuntur, ſicut in regionibus propè polum. Illæ autem regiones ſunt in climate primo ſub Æquinoctiali, vt India, vbi Philoſophi, & Mathematici, & Magi floruerunt inſignes, non autem ſub ſecundo climate, quod eſt ſub Cancro, vt Æthiopes, qui littora Guineæ habitant; quoniam hi propter caloris exceſſum ſunt quidem leues corpore, ſed fatui mente propter defectum, & euaporationem ſpiritus animalis. Aer autem frigidus eſt ingenio inimicus, quia cum adſtringat corporis poros, vapores ex digeſtione geniti euaporare non poſſunt, vndè ad ſtomachum reflectuntur in humorem aqueum conuerſi, ſicut ex olla feruenti fumus ad operculum eleuatus conuertitur in aquam, quæ in eandem poſteà ollam inſtillat; itaque ob huius internæ humiditatis abundantiam, ſpiritus impuri, & nubiloſi redduntur, operibuſque animalibus ineptiores, ſicut in Scithis, & Gottis, & Dacis, alijſque frigidiorem aerem depaſcentibus. *Ab Mag. lib. de nat. loc. diſtinct. 2. c. 3.*

Sed præter alterationem, quam aer à climate ſuſcipit, adnotanda eſt etiam illa, quam ſuſcipit à temporum mutatione, & à ſolo, quia ſicut illa eſt remotior, ità hæc multò proximior exiſtit. Mitto eam, quæ fit in ipſo propter varios ſyderum aſpectus, quia pertinet ad Aſtrologos, & à Tolomeo lib. 2. de iudicijs conſideratur. Qua etiam de cauſa conſultò prætereà cauſam illam cæleſtem, quam Ficinus ingenijs aſſignat, Mercurium ſcilicet ac Saturnum, quorum ille animos ad inquirendum, & inueſtigandum, & addiſcendum impellit, hic ad perſeuerandum, nec à ſtudio deſiſtendum inducit; ac propterea tutelaria quædam ſtudiorũ numina eſſe arbitratur: enimuerò quia nulla hæ planetarum virtutes rationum, ac demonſtrationum fide conſtare poſſunt, quippe abſtruſiſſimæ, multùmque à ſenſibus alienæ, ideò in calcatis adhuc phyſicorum veſtigijs inſiſtimus, quæ planiùs multò, ac certiùs nos in ſacroſanctos Muſarum aditus manuducunt. *lib. 1. de ſanit. ſtudioſ. tue. cap. 3.*

Ergo mutationem temporum multùm valere ad hominis mentem excitandam, aſſerit Hippoc. lib. de aere, aq. & loc. quia vbi tempus ſimile, & ęquale eſt, veriſimile etiam eſt, corpus, & animam quaſi torpeſcere, proprijſque operationibus ineptum eſſe, nam vbi non datur rerum nouitas deficit admiratio, quæ philoſophandi ſtimulus eſt. Hanc ob cauſam ibidem Europæos inter ſe quàm maximè differre ait, aliter ac Aſiatici, quibus raro admodùm tempora permutantur. At ob ventos potiſſimùm iſta contingit mutatio, qui vel ſunt vnius regionis proprij, vel communes pluribus oris: illi quidem pro varietate materiæ, ac loci, *Mutatio tẽporũ multũ valet ad alterandũ ingenium.* *Venti ſunt proprij, & communes.*

vnde

vnde ortum ducunt, diuerſimmodè afficiunt aerem, hi verò pro varietate punctorum cæli, Orientalis nimirùm, Occidentalis &c. à quibus varias in eundem inuehunt qualitates corpora mox iuuantes, vel lædentes. Ex his Boreas à Septentrione, Auſter à Meridie, Eurus ab Oriẽte, Zephirus ab Occidente perflat. Auſter peſſimè omnium aerem afficit, quia calidus, & humidus, proindèque ſenſui obeſt, ac menti, vndè caligans, & hebetans ab Hippocrate appellatur. Boreas miram ſenſibus præſtat acutiem, ac membris firmitatem, vt idem inquit Hipp. Aph. 17. ſect. 3. quia nimirùm frigidus, & ſiccus, qua ratione aerem ab humiditate depurat; quantùm autem frigiditas nocet ingenio, tantùm ſiccitas iuuat. Ac licet Septentrionales populi, quibus ſpirat Boreas ingenioſiores per hoc eſſe videantur, Auſtrales verò, quibus ſpirat Auſter obtuſiores, (cum tamen his contrarium omninò adnotemus,) tamen dicitur de ſententia Ariſtotelis probl. vlt. 26. ſect. Boream in Septentrione eſſe magis frigidum ratione climatis, & aeris, minùs autem ſiccum, quia talis fit, dùm per ſuperficiem terræ multæ maribus vacuæ pertranſit, qualis eſt ſeptentrionalis, quare ad nos in temperata plaga degentes peruenit admodum ſiccus. Auſter autem ratione climatis in meridionalibus eſt magis calidus, quàm humidus, quia talis fit in tranſitu marium, quorum vaporibus mixtus nobis afflat. Boreas itaque ratione præualentis, & adſtringentis frigiditatis ſubiectos populos potiùs humectat, vti diximus, quàm exſiccat: auſter è contra potiùs ſiccat, quàm humectat: hinc illi fortiores, & audaciores, hi acutiores, ſed timidiores exiſtunt: Vel potiùs illi ingenio ad mechanica, & alia phantaſiæ opera aptiore, cuius organa interno calore gaudent, hi verò ad ſpeculatiua, ſeu intellectiua munera promptiore, cum intellectus ſicco, & frigido, ſeu remiſſiore (vti diximus) calore perficiatur.

*Venti ſunt quatuor iuxta varia cæli puncta.*

Zephirum (ait Ariſtoteles in probl. 51. ſect. 26.) eſſe ventum leniſſimum, ac reſpectu aliorum temperatum, quia frigidior Auſtro, & Euro, ſed calidior Borea: eſt quidem frigidus, quia ex mari ad nos venit, & ex climate frigido; eſt verò leuis, ac ſuauis, quia non flat vt Boreas ex regione montibus altiſſimis referta, in quibus exhalatio fumoſa coanguſtetur, & admodum violenta fiat, ſed ex ſufflat ex litoribus Athlantici maris campeſtribus, & ſpatioſis: quare temperatior perſentitur. Eius proptereà vis eſt in noſtra corpora temperiem quandam humorum ſeruare, ideò in veris initio flare incipit, & etiam in autumno, quæ ſunt media tempora: & quia nonnihil ad frigiditatem deflectit, participat etiam Boreæ virtutem, vndè corpora reddit vegeta interno calore, non imbecilla, vt Auſter. Hinc haud ſcio quomodo Hippocrates ventos occidentales conſtituat inſalubres, niſi fortè reſpectu Orientalium id aſſerat, quos laudabiliores omnino cenſet eſſe. Hinc etiam huius venti influxus in in-

*Zephiri natura.*

*Concil. cõm. probl. 51. ſect. 26.*

in ingenium ex dictorum extremorum examine æſtimari poteſt.

De Euro illud planum eſt ex Ariſtotele probl. 26. ſect. 26. quod calidior aliquantò, & ſiccior exiſtit, quippe à loco ſereno, & calefacto diutiùs à Sole ſpirat, ſed quia in itinere refrigeratur, ac manè ſpirat, ſicut veſpere Zephirus, ideò vt ait Hipp. eſt non ſolùm corporibus, ſed etiam vrbibus ad eum conuerſis ſaluberrimus; efflatu namque ſuo, quem Sol oriens per aeris rarefactionem excitat, vt noctis impreſſas humiditates expurgat, ita etiam corpora blandè aperit; & quia huiuſmodi temperie calida, & ſicca ſplendorem infert, ideò aquas, ſpirituſque puriſſimos, ac pellucidos gignit, vndè non obtuſam, & raucam vocem, qualis Septentrionalibus, ac etiam Occidentalibus, ſed claram, & nitidam efficit, homineſque ad iram, & intelligentiam præſtantiores. Id videtur obſtare, quod Ariſt. cit. probl. appellat Eurum admodùm pluuioſum, & magis etiam Auſtro, quare Auſtro humidior, ingenioque infenſior videtur eſſe: dicimus tamen quòd per acccidens ſit pluuioſus, quâ ſcilicet calens aer per ipſum à calida Orientali plaga in occidentalem frigidam delatus congelatur, & in pluuiam factis vaporibus vertitur, ſicuti etiam Auſtro contingit, minùs tamen, quàm Euro, quia hic eſt calidior, cum ſtet magis ſub Sole, quàm Auſter, quare occurrens parti frigidæ, magis etiam condenſatur in vapores, & pluuiam.

*V. Conci. in Comm.*

*Eurus eſt pluuioſus p accidens.*

Diximus inter ea, quæ aerem alterant præter ventos conſiderandum etiam eſſe ſolum. Sed hoc duobus modis ſpectari poteſt, vel ſcilicet prout hæc, vel illa gignit alimenta ad varios humores gignendos accommodata, ex quibus etiam varij ſpiritus ingenio apti reſurgant, (de quibus alimentis poſteà ſermo erit,) vel prout vaporem, aut exhalationem emittit, propter quæ propriè aerem dicitur afficere. Vapor fit ex ſolo humidiore, exhalatio ex ſicciore. Varias igitur ſoli conditiones variæ ſequentur exhalationes, atque euaporationes in aere: quatuor autem ſoli exiſtunt differentiæ, pinguedo, macredo, raritas, denſitas. Pinguedini reſpondet aeris, proindèque ſpirituum craſſities, immò, & totius corporis habitudo, quod carnoſum (vt ait Hipp.) ſit, proindèque ignauum, & in operando pigrum, quare neque in artibus, neque in literis multùm excellunt reſpectu aliorum, qui macra inſideant humo, ex qua cum exhalationes effluant ſubtiles, ac puræ, corpus ipſorum vt leuius, ita ſingulis obeundis animæ functionibus ſit aptius, vt patet in Bergomenſibus, Genuenſibus, & Lemouicibus apud Gallos, Norimbergenſibus apud Germanos, qui in ære augendo, rebuſq; tractandis ſingulari præſtant ſolertia: tales etiam ſunt homines in montanis degentes, in quibus terra eſt macra, ac etiam denſa, proindèque ſpirituum puriorum ac tenuiorum ferax, vnde mores ad iracundiam proni, & ad ingenium habilitas oritur. Verum tamen eſt, quòd interdum ob nimiam

*Soli differẽtię quatuor.*

*Populi ſolertes.*

miam huiuſmodi locorum macritiem, ac denſitatem ſpirituum inopia laborant incolæ, ideòque imperfectiores euadunt animo, ſed corpore firmo, & effero: propterea montes, vt homines efficiant animi operibus inſignes, debẽt eſſe contrarijs quibuſdam qualitatibus temperati, quod erit ſi macredo, & denſitas, quæ nimiam ipſorum arguunt ſiccitatem manantibus aquarum riuulis humectetur; ex hoc enim humore ſpiritus copioſior, ex cõtemperamento perfectior prodibit, quod nedùm in monte, ſed in campeſtri etiam, & macro, & iniquo ſolo contingit: talis eſt mons aquoſus vbi ſita Perugia, & ager vbi Mutina, quæ propterea ingenijs fęcundiſſimæ extiterunt. Aduertendum tamen, quod (vt ait Albertus) aquæ montanæ nonnullas retinent terreſtres, ſaxeas, & craſſas partes, ob quas epotæ ſegniùs digeruntur, quare vel tumores in liene, vel ſtrumas in collo, vel botium in gutture, vt in Brixianis progignunt, & in ijs, qui Valedocam agri Taurini vallem incolunt, (vt ait Bodinus.) quod etiam aſſerit Arduinus lib. 2. de venenis cap. 24. At hæ licet hoc nomine ſpiritibus etiam officere videantur; tamen tot ſunt vtilitates, quas in montibus ſeù collibus bene conſtitutis ſpiritus ipſi percipiunt, vt vnius aquæ incõmodis longè debeant præponderare.

*lib. de nat. locorum diſtinct. 2. c. 4*

## *De ſiluarum, fluuiorum, marium, lacuum, paludum influxu in ingenium.* Cap. IX.

*cap. 2. de ſubiectis Medicinæ.*

CÆterùm ſicut aeris conſiderationi adnectitur clima, venti, & ſolum, vt ait Auic. in 1. Fen. 1. Canon. ità ſoli examini iunguntur omnia in ſolo exiſtentia, eaq; varia, ex quibus exeunt vapores aerem alterantes, vel gignuntur humores ipſum immediatè ſpiritum alentes; quales enim ſunt ſoli, ſeù locorum naturæ, talia etiam ſunt corpora, mores, & ingenia illis reſpondentia, vt ait Hipp. lib. citato, & Albertus lib. de natura locorum diſtinctione prima per totam, vbi locum, & locatum connaturalitatem habere aſſerit multam.

*Ingenia ſequũtur locorũ naturã.*

Siluæ multas inducunt in aerem nebulas, ac turbines, quem ideò ſuffocatum, ac ſpiſſum reddunt, quia cum fundus ipſarum ſit vaporoſus, remanet vapor ille ſub tactu arborum concluſus, & inſpiſſatus; ac ex arboribus quercus, & nux, & cæteræ arbores, quæ proceritate ſua prohibent aerem euentari, & purificari potiſſimùm improbantur.

Ità de paludibus & lacubus dicendum, ijs preſertim, qui influentibus non purgantur aquis; fundus enim ipſarum neceſſariò eſt corruptus, & groſſam efflat humiditatem, & aliquandò peſtilentem, prout vel lacus,

cus,

cus, vel paludes corrumpuntur, vndè aer groſſus, pluuiæ multæ, nebulæ frequentes; corpora verò habitantium procera, craſſa, torpida, pallida, qualia Phaſianis attribuit Hippocrates; qui ſtagnantibus vndique concluſi aquis intemperie corporis teterrima laborabant: Bataui licet in lacubus, & paludibus degant, quia tamen hæ ſunt propè mare, cuius fluxu, ac refluxu purgantur, non ſunt adeò aeri noxiæ, vt ait Vitruuius lib. 1. cap. 4. *lib. de aer. aq. & loc.*

De fluuijs hoc habendum, quòd alueo lapidoſo præditi ſunt cæteris laudabiliores, & ſi rapidè fluunt optimum fouent aerem, vt atheſis, ſi lentè humidum ferè, ac lacus, vt Padus propè Ferrariam, ex quo etiam Phaſem omnium fluuiorum lentiſſimum eius accolis pernicioſiſſimum eſſe Hippocrates ait. Ex his verò ſingulis, qui gignantur vapores in aere, indèque ſpiritus, & ingenium ex ſuperioribus ſatis liquet. *lib. de aer. aq. loc.*

Maris accolæ, vel in littoribus eius optima omnium videntur conditione gaudere: propterea quia cum mare ſit calidum, & ſiccum propter terreſtre combuſtum ſibi immixtum, & propter radiorum diffuſionem ſuper ipſum, ſpirat ex eo ſicca exhalatio multùm ſpiritibus conferens, vndè populi fiunt ſolertes, & acuti mente, non tàm motione morali, propter diuerſarum gentium commercium, quàm phyſica ob perpurgati, & ſicci aeris ſucceſſiuam euētationem: hinc etiam callidiſſimi euadunt, vt Pœni, Siri, Cretenſes, Calabres, Genuenſes, Siculi, ex quo dictū, omnes inſulanos eſſe malos, Siculos autem peſſimos. Veneti hac etiam dote aeris fruuntur, ſed temperatiori, quia vrbs eſt poſita in lacunis, ex quibus efflans vapor corrigit exhalationis maritimæ combuſtionem; quare ſpiritus non ità acres, ſed humiditate ſalſedini permixta correctiores; ex quo plurimos ipſorum balbutire animaduertimus, quod eſt euidens ſuperflui humoris indicium, cui etiam conſonant mores ſedati, lentumque rerum iudicium, indoleſque ab armis penitùs aliena. *Populi in littorib. habitantes callidiſſimi.*

## *De cibo & potu ad ingenium conferente. Cap. X.*

PRæter has ſoli circumſtantias aerem alterare valentes, ſuccedit cibus & potus, qui prout in vario adnaſcitur ſolo, varias etiam ſortitur naturas, à quibus corporis mox organa variè afficiuntur, indeque varium ingenium. Primùm de cibo dicendum eſt, poſteà de potu.

Cibi ſpectanda eſt vel qualitas, vel quantitas: illa vel eſt manifeſta, vel occulta. Prima eſt in primis qualitatibus calida, frigida, humida, ſicca: in ſecundis craſſities, tenuitas, groſſities, vel ſubtilitas, & huiuſmodi aliæ. At ingenio ea dicetur conuenire, quæ humores in ſiccitate, ac tenui-

nuitate ſeruabit moderata, qualis erit in alimentis facilis concoctionis, & minimi excrementi, & auiculæ omnes montanæ, phaſiani, perdices, pulli, palumbi turriti &c.; cætera autem durioris ſubſtantiæ, vt veruecũ, boum, leporum, vel humidioris, vt ſuum, caſtratorum, piſcium lacuſtrium, & paluſtrium, leguminum, olerum, lacticiniorum, paſtarum, vel calidioris, vt aromatum, & ſalitorum, haud multùm conuenient, præſertim ſi copioſè, ac longiùs aſſumantur; quia hiſce qualitatibus ventriculi calorem obruere, hepatis augere, cerebri nimium humorem fouere ſunt apta; licet enim cibi mali, quandoque ad hominem boni, & vtiles cenſeantur, aſſerente Hippocrate deteriorem cibum, & potum, ſuauiorem autem melioribus, ſed inſuauioribus eſſe præferendum; tamen nos loquimur de natura ciborum ſpeciei tantùm, non indiuiduis comparata: in illis enim ſtat regula firma, quòd cibus ingenio conferens debet ad prædictum vergere temperamentum: in his autem, quia accidit maior, aut minor totius habitus caliditas, ac tenuitas, & ſiccitas, magis etiã vel minùs de prædictis bonis cibis conueniet, ſed quandoque aliquid etiam de prauioribus ad temperamenti ingenio neceſſarij correctionẽ.

*Cibi optimi pro ingenio quales.*

Præ cæteris mel & butirum, longè pueris vtile propheta teſtatur eſſe, quò ſciant reprobare malum, & eligere bonum: hoc etiam erat græcis pueris alimentum, quippe mira partium tenuitate præditum. Sed ipſis præſertim, dùm adhuc ſunt infantes conuenit lac optimum, quod ſupplet vicem aliorum omnium ciborum; ac eò videtur maiorem illis habere vim, quòd talis videtur remanere in homine temperatura, qualis fuit eius prima ex lacte nutritio, quod in tenello adhuc corpore ſuas magis dotes imprimit, quàm alij cibi faciant in adulto, vnde à quibuſdam dictum: homines cum lacte mores ac ingenium ſugere; vt enim illud nihil eſt aliud, quàm ſanguis dealbatus in mammis ex Alex. 2. probl. 80. & Ariſtot. 3. de hiſt. animal. 20.; ità epotum à puero, in eius vertitur ſanguinem, ex cuius congruis qualitatibus ſummæ ingenio vtilitates, vt oſtendimus lib. 1. cap. 17. Tres autem lactis optimi conditiones à medicis ſtatuuntur. Prima vt ſit dulce, vel ſubdulce. Secunda vt ſit album, vel candidum. Tertia vt ſit rectè compactum, neque nimis fluidum, quod cognoſcitur, ſi poſitum ſuprà immotum vnguem, non fluat, ſed conſiſtat; ipſo autem moto fluat, quia ſicut primum eſt craſſius, quàm conueniat, ita ſecundum eſt laudabile. Has lac habebit conditiones, ſi nutrix boni ſit habitus, & floridi, neque pinguis, neque macra, non molli carne, ſed ſolida, colore fuſco, quia ſic eſt candidis calidior, & meliùs coquit, mammis mediæ inter laxum, ac durũ conſiſtentiæ, moribus caſta, ſobria, alacris, non fatua, non veneri prona, ne infanti hæ noxæ cõmunicentur; ideò enim Vulcanũ, qui deriſor, ac mimus erat, ſimiarum lacte nutritum poetæ confinxerunt, quia inter bruta admodum deridentes haben-

*Lactis facultas in alterando corpore, & ingenio.*

*Boni lactis condiciones.*

habentur. Et canes lupa, aut leæna lactati ferociores euadunt; leunculi autem alti bubulo, vel caprillo lacte, mirum in modum māſueſcunt. At de his ijdem medici vberiùs.

*Ambroſ. Faraus de homin. generat. cap. 21.*

Cæterùm inter cibos meliſſam, ac naſturtium occulta qualitate ſpeciatim acuere phantaſiæ vim teſtatur Cardanus, vt à quibus grata etiā ſomnia inducuntur quod etiam de gallinæ cerebro perhibet: phaſeolos autem, allia, cæpas, porros, raphanos, fabas Pythagoræ infenſas eidem facultati obeſſe, vel ex eo coniectatur, quòd ſomnia, multa, mala, terrificaque inferunt, quod eſt ipſam afficere phantaſiam ſomniorum effectricem, nimirum groſſa, turbidaque fumoſitate ad caput elata.

*lib. de ſubtil.*

*Cur fabæ eſſent infenſæ Pythag docet Raguſeus de numer. virtut. diſput. 12. cap. vlt.*

Memoriam verò album thus vel vino, vel aqua decoctionis paſſularum ſæpiùs aſſumptum iuuat ex Rhaſi: Acorus melle conditus ex Iacobo de Partibus: à proprietate verò Anacardus, ex quo fit confectio, quæ Anacardina, & ſapientum dicitur, ſcilicet quaſi excitans mentem, ac memoriam ſapientum. Stiptici etiam fructus omnes eidem proſunt à cibo aſſumpti, quia ſic fumoſum ad caput aſcenſum prohibent, vt citonia, pira, ficus ſicci, paſſulæ, mirobalani conditi; nocent autem cæpæ, alijq; prædicti omnes, ſicut à proprietate carnem arietis non caſtrati, vel medullam mutonis reddere obliuioſos ait Arnald. lib. de bonitate memoriæ. Idem facit potus vberior: propterea malè rememorantes interdùm ſolemus ebrios nuncupare.

Quòd attinet ad cibi quantitatem, illud in confeſſo eſt, quòd ſicuti parca iuuat corporis ſanitati, ità iuuat etiam menti, quia puriores, nitidioreſque efficit ſpiritus, ac proindè in intellectiuis vegetiores: hinc beatus Petrus præcipiebat fratribus ſuis, vt ſobrij manerent, ac vigilarent, vt dæmonum fraudes præcauere poſſent: Patres quoque in Ægypti heremo, parco, ac tenui contenti victu, ſe rerum diuinarum examini iucundiſſimè deuouebant: Et quiſque ſatis experitur, ſe ieiuno corpore mentis officijs aptiorem, quàm pleno. In moralibus verò ſobrietatis vtilitatem eximiam, moraliſſimus Socrates comprobet, quem victu ſimpliciſſimo, ac parciſſimo vſum tradit Xenophon, vt licet Athenis peſtilentia ſæpiùs exorta, ipſe tamen perpetuò fuerit immunis, vt ait in eius vita Laertius. Idem Sanctorum teſtantur exempla, quos abſtinentiæ cultus à ſenſuum omnium illecebris inuictos reddidit; vt enim ſine Cerere, & Baccho friget venus, ità efferi omnes animi motus ſobrietatis virtute torpeſcunt: hinc populi vtentes ea, vt Chinenſes, Afri multi, atq; Itali ſunt in affectibus leniores, quàm cęteri gulæ obnoxij: ità ſenes prudentia magis valent, quia frugaliores viris, ac pueris. Edaciora etiam animalia, vt ſues, apri ac tauri prorsùs ineptiora cernuntur, parciora verò, vt canis, & elephas multò præſtantiora.

*1. Petr. 5.*

*Abſtinētia miræ dotes.*

*li. 1 de dict. & fac. Socr.*

Ciborum naturæ proportione reſpondet potus, qui multùm intereſt

ſitne largus, an parcus, bonus an malus, quia vt ait Ariſtoteles ſect. 1. probl 15. eatenùs cibus nutrit, in quantùm fit dilutus, & quaſi potus euadit: multùm igitur hic poteſt ad humores noſtri corporis alterandos; nec ſolùm de vino, ſed de ipſa etiam intelligitur aqua, vt qua ex eodem Ariſtotele ibid. probl. 14. vtimur in pane, in carnibus cæteriſque obſonijs omnibus decoquendis, cuius propterea varias qualitates magnifacit, vt etiam Hipp lib de aquis &c. bonis igitur vtendum, à malis abſtinendum: bonas ait Hipp. eſſe in locis ad orientem poſitis, quia ſol ipſas veluti caſtigat, & coquit, porrò quæ ex ſublimibus locis, ac terrenis collibus emergunt, præſertim ſi ex profundioribus fontibus; malas autē in locis concauis, paluſtribus, pinguibus, non perſpiratis, & ad auſtrum verſis; porrò ſi ex ſolo Thermali, vel ex petris fluant, quippè illæ caloris exceſſum, hæ paucitatem ſequuntur, quare vtræque indigeſtibiles, ac ventri duræ.

*Aqua male quales.*

Hoc etiam de vino dicendum, quòd ſcilicet illud eſt optimum, quod in Orientalibus locis prominentibus, non paluſtribus, non ſaxoſis prouenit, & ſpiritibus ingenioque conducet, ſi mediocriter dilutum, & in mediocri quantitate ſumatur; generoſum enim, & copioſum, functionibus animæ noxium nimis eſſe videtur, quia vaporoſum, & caliditate confundens, humiditateque ſpirituum obtenebrans lucem.

At verò licet cauta cibi, & potus ratio vt plurimùm ingenio apprimè conferat, tamen contingit interdùm, vt ingenioſi, nedùm voraces, ſed bibaces etiam exiſtant, & vtraque hac intemperie iuuari mens ipſorū videatur. Voraces fiunt homines ex vegeto calore ſtomachi, optimè ingeſta omnia elaborantis, & validè reſoluentis; quãobrem ſubindè ſtomachus fit aliorum appetens, vt in Germanis, in opificibus, in athletis, & ruſticis: fiunt etiam ex eiuſdem ſtomachi frigiditate, quæ denſando, & corrugãdo ſupernum os ipſius, exprimit, ac exſugit humores, ex quo deſiderium ciborum, & fames ſubſequitur, qualis accidit ſæpiùs ſtudioſis, ac doctis, qui ex vmbratili, ac ſedentaria vita contrahunt in viſceribus obſtructiones, à quibus calor natiuus obruitur, extraneus augetur: ex hoc verò, aduſtiores, ac ſicciores aliquantò euaporationes ad cerebrum excitę fantaſticas acuunt, ac intellectiuas virtutes. Sed ſicuti hoc habet cauſam accidentalem, nempe obſtructionem, ità ingenium ipſorum inæquale, diſſonum, varium, non connatum, ſed veluti adſcititium eſt, proindè non eſt bonum, æquè ac in corporibus ſimpliciter ſanis, ac ſimmetris, vt ſupra diximus lib. 1. cap vbi de cerebri temperatura.

*Ingeniū interdū iuuatur multo potu, & cibo.*

Idem etiam de bibacibus eſt aſſerendum, licet verè ingenio magis aliquantò vinum conducat, ratione forſan partium quarundã ſubtiliorum, ac ſicciorum in ipſo exiſtentium, ob quas cū ſpirituum natura plurimùm conſonat; quare vini citiſſimas in ſpiritibus, & in animo alteratio-

*Vinū magis conducit ingenio, quã cibus.*

tiones animaduertimus, ac interdùm excellentes, vt in Poetis. Horatius de Homero lib. 1. Epiſtol.

*Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.* Et alibi de Ennio.

*Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma*
*Proſiluit dicenda:*

Ouid. lib. 3. de ar. de Anacreonte Poeta Theio.

*Sit quoque vinoſi Theia Muſa ſenis.*

Oratores etiam quandoque largioribus poculis excitantur, vt de Catone minore lib. 2. carmin. idem Horatius.

*Narratur & priſci Catonis*
*Sæpè mero caluiſſe virtus.*

Idem alibi.

*Fecundi calices quem non fecere diſertum.*

Hæc non omninò improbās Seneca lib. de tranquillitate vitæ, ebrietatem non omni carere dicit vtilitate, quia poſt ipſam aquæ præſertim potus expurgat ſenſuum excrementa, vt cenſet Dioſcorides lib. 5. ac etiam Cōciliator Comm. in 1. probl. ſect. 28. vbi vnam, vel duas in menſe ebrietates commendat. Ex quo forſan Mithridates bibacitati, argenti talentum in præmium aſſignauit, ſi credimus Atheneo lib. 2. *Ebrietatis vtilitates.*

Alij etiam Philoſophi, & magni viri vino indulgentes clariſſimi euaſerunt; nam Ariſtippus ob vini, ac ventris voluptatem menſas principum ſequebatur; quam ob rem à Diogene canis regius vocabatur. Xenocrates Dionyſij nutu, vini choam dicitur hauſiſſe. Herculem, & Vlyſſem temulentiores fuiſſe perhibet Cælius; ſic etiam Alexandrum Magnum, ac Tiberium, qui Biberius propterea vocitatus: quin Ariſtotelem ipſum ebrioſum D. Hyeronimus in epiſtola quadam tradit; edacē autem, ac in cibis luxurioſum aſſerit Suidas: atque iccircò inæqualioris indolis, patrimonij ſcilicet deglutitorem militiæ ſe dediſſe, author eſt Atheneus lib. 8. ingratum, faſtoſum, cauillatorem, irriſorem prædicat Ælianus Var. hiſt. lib. 5. Auaritiæ nota ex Lici, & Ariſtoclis nobilium peripateticorum auctoritate damnat Theodoretus lib. 12. paſſ. græcarum: libidinoſum Laertius in eius vita: inſidiatorem Plutarchus in Alexandro, vbi Antipatro aquæ Stygiæ venenum ſubminiſtraſſe ad perimendum Alexandrum tradit. *Ariſtotelis mores ex varijs ſcriptoribus.*

In ſumma talia quandoque miranda in intemperantibus adnotantur, ſed vti diximus rara, quia ingenium magis conſiſtit in temperato; quinimmò etiam in intemperatis eatenùs magnum cadit ingenium, quatenùs ex tali, vel tali cibi, & potus quantitate, & qualitate inſitum alicuius partis ingenio ſeruientis temperamentum ad moderationis, & harmoniæ gradū quendam deducitur, putà iecoris, cordis, cerebri ſpiritus, humorū, quo gradu poſteà ſingularis ingenio adiungitur efficacia. *Intemperati cur ingenioſi.*

De

*De ſitu locorum, ac de populorum ingenijs.* *Cap. XI.*

INter naturales ingenij cauſas, adnumerauimus etiam locorum ſitum, qui duplex eſt, vel genericus, quomodo climata, ventos, aerem, ſolum, & cætera complectitur, vel particularis, quomodo nihil eſt aliud, quàm loci reſpectus quidam ad cęli puncta, quæ ſunt quatuor, Orientalis, Occidentalis, Auſtralis, Septentrionalis. De generico cum ſatis dixerimus, remanet hìc aliquid ſubiungere de particulari. Illud autem prænotandum eſt, quòd in tantùm hic poteſt corpus, & ingenium afficere, in quantum eſt calidus, vel frigidus, vel temperatus: Auſtralis, & Orientalis ſitus eſt calidus: Occidentalis, & Septentrionalis eſt frigidus ob cauſas ſuperiùs memoratas: horum igitur qualitatibus variæ in hominibus ingeniorum naturæ inſinuantur. Et quod attinet ad Auſtralē, palàm eſt quòd ſubiecti Auſtro populi cum ingenti premantur externo calore, contingit internum in ipſis diſſolui, & partes humidi ſubtiliores abſumi craſſis relictis; quare corpora naturali temperie frigida, & ſicca; adſcititia verò calida, & ſicca, ſeù melancolica per aduſtionem remanere neceſſe eſt, proindè parua, debilia, fuſca, nigro capillo, & criſpo, & acuta voce, ob ſiccitatem inſtrumentorum, ex quibus poſteà conditionibus, pariter ingeniorum qualitas deprehenditur: vegeta enim arguta, ſubtilia, contemplatiua ob aduſti humoris prædominium oriuntur: mores autem ſubſequntur inæquali atræ bilis naturæ conſoni, nempè verſutia, alacritas, timor, zelotypia, triſtitia, crudelitas ex malitia, & odio: porrò & religio, ſuperſtitio, ſobrietas, parſimonia, quare ſicuti ſcientiarum, tùm moralium, tùm naturalium, ac diuinarum dogmata; ita varia tormentorum inuenta ex iſtorum mentibus perpetuò dimanarunt: Et ſunt citeriores Hiſpani, Cretenſes, Arabes, Perſæ, Ægyptij, Pœni, Numidæ, Mauri, & alij, quos hìc referre non eſt opus.

*Situs locorum quomodo afficiat ingenium.*

*Auſtraliũ mores.*

*Orietalium mores.*

Ab his autem parùm deflectit Orientalium natura, quia ipſorum ſitus eſt calidus, temperatior tamen Auſtro, qualis eſt Aſiaticorum, qui contemplatiuis quidem ſtudijs floruerunt, ſed rebus gerendis aptiores, manſuetiores, & cultiores eſſe Hippocrates ait, meminitque Libicorum & Ægyptiorum, quibus etiam licet addere, Chaldęos, Hebręos, & alios; ſicut enim multi apud Ægyptios Phyſici, ità plurimi apud Chaldeos magi, apud Hebręos ſacerdotes recenſentur. Ac ſanè cum orientis Solis lumine afficiantur, ſpirituum nitor, & lætitia ex atræ bilis temperie ipſis innaſcitur, propterea non triſtitiæ vt Auſtrales, verùm delitijs, ac voluptatibus proniores exiſtunt, quibus etiam fit, vt feræ multiformes inibi

edant

edant partus: & hanc etiam ob cauſam inualido corpore, laboriq; inepto, nec virilitate audaciaque præditi, regna, & imperia potiùs dominādi artibus tuentur, quàm viribus, quod Alexander edocuit Macedo, qui tot Aſiaticorum gaza, & auro fulgentia agmina fudit, ac domuit, fæliciori prorsùs fato, quàm ipſe forſan contra Occidentales, ſeu Romanos dimicans eſſet expertus.

Contrarium igitur Orientalibus, & Auſtralibus temperamentū obtinent Regiones Septentrionales, & Occidentales, quorum populi, vt externi frigoris obrigent occurſu, ità interno calore, atque humore per antiperiſtaſim adaucto affluunt, vndè corpora magna, robuſta, candida, molli capillo, & carne gignuntur: voraces enimverò ſunt, & bibaces, calore aſſumpta omnia fortiter decoquente. Hinc (vt ait Albertus) vulnera non metuunt, febrem autem maximè, quòd natura quaſi conſcia ſanguinis, quo abundat, ipſius contemnit profuſionem, febrem autem timet conſcia humoris, quo febris alitur, ac fouetur, quod contrà euenit Auſtralibus, qui pauco referti ſanguine horrent vulnera, febrem minimè, quia ex interna ſiccitate, natura quaſi ſentit deeſſe putredinis, & febris fomitem, qui humiditas eſt. Horum verò temperiem corporum, ingenia inſequuntur haud in contemplatione acuta, quæ ſicca lætatur temperie, ſed in effectione, ſeù quod idem eſt, haud in intellectus virtutibus, ſed in phantaſiæ operibus vegeta, vt ſuprà diximus. Mechanicæ namque omnes, vt metallicæ diſciplinæ, typographiæ, Chimicæ, ſuppellectilium, fabrilium operum artes, agricultura, venatio, ars militaris, opificiorum omnium inuenta ex Belgio, & Germania prodierunt: roborata enim ipſorum phantaſia interno calore, quo ipſam gaudere docuimus, redditur ad hæc ſingula maximè habilis: ac licet multus etiam in illis affluat humor, & ſanguis, qui eidem videtur officere poſſe, tamē in cerebro, quod eſt phantaſiæ organum, caloris vehementia exſiccari veriſimile eſt, vt etiam in præcordijs, quia ſunt audaces, bellatores, crudeles ex impetu, (quod ipſorum terribiles olim in Italiam teſtantur irruptiones,) quæ aprorum, ac taurorum eſt indoles, in quibus multus calor craſſum ſanguinem accendit, & ſiccat.

*Lib. de nat. loc.*

*Septentrionales valēt phantaſia.*

Demùm Occidentales, vt ab iſtorum frigiditate recedunt, ita mitiorem ſortiuntur temperiem; ſunt enim minùs calidi, & humidi Septentrionalibus interno calore, quia externo frigore nō tanto ipſorum corpora obſidentur, quare neque antiperiſtaſis fit tanta, vt in illis, magis tamen ſunt calidi Orientalibus, & Auſtralibus: quare corporis viribus ſunt etiam ipſis præſtantiores, at non ingenio, quales Hiſpani, quibus Hannibal in acie plurimùm vtebatur: ex his ſtrenuiores Galli, quorum bellica indoles, vel noſtratium poetarum fabulis eſt conſpicua, Rolandum, Rainaldum, & cæteros omnes inclitos bello heroes in Gallia floruiſſe

*Occidentaliū mores.*

ruiſſe fingentibus. Sed his ferociores ſunt cæteri ad Septentrionem conuerſi, vt Britanni, à quibus plurimæ Gallis illatæ clades: Britannos perdomuere Scoti, quorum adhuc Rex in Britãnia dominatur. Itaque cum horum occidentalium legiones ſub Gottifredi Bullionei vexillis in oriẽtem enauigarunt, memorandis conflictibus, ſacros omnes Paleſtinæ receſſus ab Æthnicorum manibus vindicarunt.

*Regionum temperatarum mores.* Inter hos omnes ſunt mediæ quædam regiones ad temperatum accedentes, quarum accolæ nec ità calidi, robuſti, feroces, ac mechanici, vt ſeptentrionales, nec ità imbecilli, philoſophi, ac ſuperſtitioſi, vt Auſtrales, ſed medio quodammodo ad vtroſque ſe habent: (intelligo autem medium per latitudinem noſtri hemiſperij, quæ ab Auſtro ad Boream extenditur, ſicut longitudo ab Oriente ad Occidens), atque in moralibus potiſſimùm præſtant: Hinc virtutum, legum, Reip. capeſſendæ, mercaturæ, gymnaſticæ optima, nedùm reliquere dogmata, ſed exempla, vt Hiſpani vlteriores, Galli, Itali, Germani ſuperiores, Pannones, Illirici, Græci, Spartani, Thraces, & Aſiatici plurimi, ex quibus ſingulis tot Oratorum, Poetarum, Philoſophorum, Iuriſconſultorum, & Politicorum copia emerſit, vt cæteri populi reſpectu illorum barbari omnino eſſe videantur.

Sed hi etiam Orientales & Occidentales plurimos complectuntur, qui inter Auſtrum, & Boream interiacent; quare magna indolis, ac dotium affinitas inter ſingulos adnotatur.

*Hiſpani q. bus in ſcientijs excellant.* Et loquendo de Occidentalibus, quorum vt nobis proximiorum naturæ atque hiſtoriæ ſunt notiores, clareſcunt Hiſpani, Dialectica, Philoſophia, Theologia, Iuris, & ciuilis, & canonici ſcientia, ac etiam Medicina; earum enim ſcientiarum rationem iam indè ab Arabum temporibus tenuerunt, qui ex Tuneti, Marochi, & Feſſæ euerſis gymnaſijs ad Cordubenſe in Hiſpaniam tranſierunt, in quo præ cæteris floruit Auicennas, ac poſt ipſum magnus Auerroes, vt ipſemet in fine Comm. lib. 5. de Generat. animal. teſtatur. *Fr. Patritius diſcuſſ. perip. Tom. lib. 10.* Sed licet Hiſpani ſubtiles in doctrinarum examine videantur, verè tamen non inuentores, ſed iudices inſigniores habentur, nam plurima ex aliorum ſcriptis fæliciùs congerere, quàm innouare ſunt apti: humaniorum iccircò artium oſores, grauiorum ſectatores exiſtunt, non poetica, non oratoria, non lingua vel latina, vel græca, non mathematicis, vel mechanicis florent; quod nonniſi fit ab aſſata, & craſſa melancolia vi caloris ambientis, propter auſtri proximitatem prognata; reſoluit enim hic partes ſubtiliores craſſis relictis, & ideò grauitas quædam ipſorum corporibus obuenit, nec non cultus, & nitor, & ſunt parua, arida, & fuſca propter aduſtionem, quæ ipſorum mentibus ẽt ſagacitatem, ſuperſtitionem, ſimulationem influit, ſicut flatus, qui melancoliæ iungitur, quæ flatuoſiſſima eſt, vt ait Ariſt. probl. 1. 30.

ſect.

ſect. faſtum in ipſis inſignem excitat, ac tumorem, & in debiliores inſultum, & in veſtitu profuſionem: & quia huiuſmodi humor eſt acris, reddit voraces ad ſtomachum relapſus, ſed tamen famis mirabiliter tolerantes, quippe idem viſcoſis quibuſdam partibus conſtat connutrire valentibus, nec facilè diſſolubilibus: quamobrem ipſorum corpora etiã ad bellicam diſciplinam apta cenſentur, vt laboris, inediæ, ærumnarum omnium patientiſſima, regioni autem congruunt, quæ infæcunda, plerunque, montana, & aſpera, non irrigua in vniuerſum, non herbida, ſed aduſto quodam vapore macreſcit.

Galli è contra ingenio pollent celerrimo, & acuto, ſcientiarum ſubindè omnium captui accommodato, ſed contemplatiuarum minùs: irrequieti enim meditationis patientiam odere. Valent Iuriſprudentia, Oratoria, politioribus literis; hinc optimi ſunt cauſidici: Cæſar commẽdat eos ob apprehenſionis facilitatem, docilitatemque mirabilem: varijs delectari ſtudijs pro confeſſo habetur: hinc in vna ſcientia non videas Galli cuiuſpiam illam voluminum immenſitatem, quam apud Hiſpanos, ac Germanos, vel etiam Italos auctores inuenias: Fernelius in medicina: Budeus in iuris ſcientia ſint exemplo, qui eius nationis immortalia cum ſint lumina, vtrique tamen compendioſè rerum pulcherrimarum dogmata reliquerunt: Textus auctorum amant: quæſtiones contemnunt: in quo conſonant Græcis, differunt ab Italis, & Hiſpanis: argumento ſint plures Galli, præ cæteris Cuiacius, Duarenus, Iulius Pacius, origine Vicentinus, educatione Gallus. Hæc verò ipſorum indoles à flaua oritur bile, quæ igneus eſt humor, proindèque tenuis, mobilis, ac rerum penetrationi, & executioni maximè conferens: eſt enim Gallia regio admodùm perſpirata, plurimiſque ventis expoſita, præſertim Narbonenſis, qui ſubtiliare, atque exſiccare ſunt apti ex Philoſopho ſect. 26 probl. 30. hinc irrigua, fœcunda, non æſtuoſa: neque corporum diſpar conditio: nitent ſiquidem venuſtate oris, & elegantia: præſtant firmitate, atq; agilitate membrorum, color ipſis viuax, ac roſeus, capilli flaui, pellucidi oculi, caro non arida, non tenuis, ſed media, quam pares iccircò intellectus, ac morum dotes inſequantur: ſunt enim inconſtantes, turbulenti, ex momento irritabiles, ob humoris ignei prædominium mobilis, ac leuiſſimi: ſunt in initijs ardentes, in progreſſibus torpidi ob ſubtiliorum reſolutionem partium craſſis relictis; ſunt porrò tractabiles, eloquentes, hoſpitales, in victu lauti, in veſtitu curioſi ob ſanguinis cum bile miſcellam, eiuſque amarorem, & acrimoniam temperantis; vndè copioſa, ſed benigna ebullitio ſpiritus vegetos, ac ſubindè hilares creat. Vno verbo Gallorum mores, & ingenia ſunt ſicut iuuenum, Italorum ſicut virorum, Hiſpanorum quaſi ſenum; harum enim ætatum temperaturis ſinguli conſonant. Gallis eſt citatum, præcox, viuidum,

*Galli quib. in ſcientijs excellant.*

*Corporis Gallorũ dotes.*

docile, ſubtile, ſibi fidens. Hiſpanis eſt tardum, ſolers, cautum, meditabundum, in ſubtilitatibus hærens, plerunque dubium. Italis eſt mediũ, acumine Gallis, maturitate cedunt Hiſpanis: ijs tamen grauius iudicium, his acutius obtinent ingenium, ſuprà vtroſque autem tractabile, ac verſatile, quia temperamento magis accedunt.

*Britannorũ & Batauorum mores.*

De cæteris occidentalibus, qui ad temperatum videntur inclinare, licet in tractu Septentrionis poſiti, vt Bataui, & Britanni hoc vnum ſufficiat, quod illi armis, & opificijs non literis æquè clareſcunt, alij verò etiam literis, quippe Britanniæ magna pars Occidente Sole incaleſcit, licet Septentrionem ſpectans, quare ſolum tepore fœlix, pecora vel in ipſa hyeme extrà ſtabula ſub dio alit, fouetque: hinc ſubtiles, purique in accolis ſpiritus profundiſſimarum quarumque rerum indagationi apti: vt communes idcircò in ſcientijs opiniones forſitan abnuant: ex quo litigioſi, & controuerſijs forenſibus dediti, ſuis etiam nimiùm placitis indulgentes, varios de religione ſenſus tuentur, in quibus, ſic anxij, & contumaces, vt conceptam ſemel opinionem, vel euidentiſſima offuſi ratione non deponant. In cæteris ſeptentrionis ſapiunt indolem, quia voraces, vinoſi, feroces, impetu magis, quàm iudicio ruentes, ob caloris interni robur plurimos in corde ſpiritus decoquentis.

*Scotorũ mores.*

Eadem propè temperie Scotorum gens fortiſſima gaudens, rixis, odijs, factionibus ſuprà modum vexatur; at ingenio ad ſcientias quaſq; ac rerum vſui gerendarum apprimè habili dotata eſt, quòd ſuperiorum temporum lumina comprobant Ioannes Duns Scotus ſubtilis nomen adeptus, & Ioannes Suiſſet Calculator vocatus, & nuper Ioannes Critonius tanto Italorum ſtudio celebratus, vt Phœnix ingeniorum haberetur: hęc tamen apud ipſos ingenia cultu deficiente marceſcunt, vt etiam artes aliæ præter venaticam, quam ſingulari colunt induſtria.

## *Diuerſa Vrbium ingenia æſtimandi ratio. Cap. XII.*

CÆterùm quæ de prouincijs dicuntur, eadem ſingulis aptari poſſunt Vrbibus, quæ prout vel occidentales ſunt magis, vel orientales, vel ſeptentrionales, vel auſtrales, itâ hoc, vel illo magis eminent ingenio, moribus, indole. Contingit autem aliquam vrbem licet in occidua ſit prouincia orientalem eſſe, vel ſeptentrionalem, ratione inæqualitatis loci, quia nimirùm eadem ad occidẽs, & auſtrum montibus operiatur; quamobrem eiuſdem vrbis genius à totius prouinciæ genio quodammodo differt. Itâ licet Vicentia patria mea ſit in prouincia magis occidentali, tamen ſeptentrionalis, & orientalis eſt, quia ad Auſtrum ei collis Bericus, ad occidens

alij,

alij, ſed longinquiores eminent colles: idem eſt Florentiæ ſitus, (vt ait Fallopius), propterea gens vtraque ſeptentrionis, & orientis communicat viribus, occidentis & auſtri non item; factioſa nimirùm, irrequieta, rixoſa, voluptatibus etiam, ac delicijs indulgentior, ac viuaci magis ingenio, quàm conſtanti prædita: hinc artificijs habilis; conſtant enim vel opificum noſtrorum hiſtoriæ, vel Florentinorum in ſtatuaria arte celebritas, quas Septentrionalibus dotes adſcripſimus; porrò qui vel veſtium curioſitatem, ac mulierum ornatus in hac vrbe, vel magnum Florentiæ nitoris ſtudium animaduerterit, facilè orientis in vtriſque agnoſcet influxum.

*Com. in Hippoc. de vulner. cap. c. 25.*

*Vicentinorum & Florentinorum mores.*

Verona è contra Occidenti, & Auſtro magis expoſita, à Septentrione verò collibus obſita, ac etiam ab oriente, ſtudijs, ac literis eſt procliuior, qualem ab Auſtro manare diximus genium: armorum in eá viget ſtudium, non tamen ferocitas, quippe Septentrionis propèmodum declinat aſpectum: voluptatibus eſt obnoxia, Muſicæ, Poeſi, Aulicæ, verbiſque imaginariȩ ſeruitutis inter vrbanos congreſſus adblandientibus, quæ orientis ſapiunt indolem. Et quia cum hoc ſitu concurrit ſoli partim campeſtris, partim montani ratio ſterilis admodùm, & ſicci, ideò ſubtiliſſimus ex eo exhalans ſpiritus, atque in corpora inſinuatus, reddit homines ſubtiles ingenio, ſed iudicio leuiores, vt eſt in noſtratium adagio, quia ob nimiam ſubtilitatem circumacti, ſtabilitatem iudicio neceſſariam non acquirunt: nam ſi acquirant interdùm, ingenia euadunt excellentia, quorum exempla in eadem vrbe non deſunt. Ità igitur de alijs omnibus eſt aſtruendum locis, & vrbibus, quòd licet ratione ſitus prouinciæ, in qua conſiſtuut communi cum ea gaudeant genio; tamen ratione particularis ſitus, quem vnaquæque ſortitur ciuitas, & ratione ſoli, & aeris, & ventorum, alimentorumque & aliorum huiuſmodi, quæ ad huiuſmodi ſitum concurrunt, contingit idem ingenium plurimùm variari.

*Veronenſes ingenio valent non iudicio.*

## *A parentibus ingenia produci varia. Cap. XIII.*

VT diuerſarum familiarum homines peculiares quoſdã gerunt in corporibus caracteres, ità ſingulares quaſdam in animis gerunt dotes, ob quas vna familia moribus, & ingenijs præſtantior, & excellentior eſt altera. Hippocrates lib. de aer. aq. & loc. ait, nonnullas eſſe familias caluorum, alias cæſiorum, vel claudorum, ex quibus porrò, & alij ſimiles plerumque gignuntur. Plinius in Scythia quaſdam fœminas Bithìas dictas aſſerit inueniri binas in oculis pupillas habentes: porrò in monte, cui nomen eſt Milo virorum genus, qui

*Lib 7. c. 2.*

*Familia Romanorum*

præterquàm quod auerſis plantis oriuntur, octonos etiam in ſingulis pedibus digitos habent. Inſuper illi de familia Brutorum & Caſſiorum erant habitu gracili, & melancolico, vt auctor eſt Plutarchus. Paulli erant puſillo corpore. Scauri talos pedum tumentes habebant: ſic Horatius Sat. 3.

*Scaurum prauis fultum malè talis.*

*lib. 2. c. 37.*

Strabones, & Pœtos à deprauatis oculis nuncupatos, Coclites, quòd altero lumine orbi naſcerentur, idem aſſerit Plinius: Plautus in Gurgulione: De Coclitum familia te eſſe arbitror, nam hi ſunt vnoculi. Alias plures in familijs corporum notas inuenias. Varios autem animorum inſtinctus aduertas, ſi acriùs in ſingulas intuearis. In Mediceorum Æturiæ Ducum familia genius grauis & magnificus, quem arguas ab reſtitutis eorum opera collabentibus propè literis, vt ait Iouius. In Eſtenſibus olim Ferrariæ Dominis ingenia viuida, blandaque, quibus propterea ſe tot Poetarum cętus vouerunt. In Piccollominea Senenſi ingenia ſcientijs idonea, vt Pius II. Pontif. Max. & Alexander Archiepiſcopus operibus euulgatis illuſtris; ac nuper Franciſcus Philoſophorum ſui temporis princeps. In Dominis Venetis gens Cornelia per amplis, & magnis animis præſtans, Contarena indole Senatoria, Barbara viris effœta perdoctis, Barbadica bellicis ſpectata ſtudijs, vt de innumerabilibus aliorum pręrogatiuis taceam diuinitùs verè ad orbis ornatum communicatis. Apud Romanos Catonum ſapientia, Fabiorum prudentia, Cæſarum acumen, Lucullorum ſplendor, Marcellorum audacia Curionum eloquentia, quorum tres continua ſerie geniti percelebres Oratores, & cæterorum quaſi propriæ dotes, auitam edocent ingeniorum varietatem. Ita apud Gręcos Alcibiadis, ac Dioniſij familia, (vt ait Ariſtoteles) ingenioſorum primò, dehinc furioſorum genitrix extitit; Cimonis autē, Periclis, ac Socratis genus anteà prudentum, & pacatorum hominum, poſteà ſegnium, & ſtolidorum euaſit fœrax. Quod in brutorum etiam genere animaduertimus, in quibus quàm variæ reſultent indoles, quotidiana docet equorum experientia, qui in Neapolitano regno, & in Hiſpania, nec non apud magnos Italiæ principes aluntur.

*Italarũ familiarũ genius.*

*Plin. lib 7. c. 41.*

*lib. 2. Rhethor. cap 5.*

*Genij familiarum cauſa est formatrix facultas.*

Cauſa inſitarum in ſtirpibus huiuſmodi propenſionum, ac dotium, vna eſt formatrix facultas, quæ ſi Auicennæ attendamus eſt intelligentia quædam, quam nuncupat Colcodeam omne genitum generanti quantum poteſt aſſimilans: ſi Galeno, palàm in libro de formatione fœtus profitetur, ſe quid ipſa ſit ignorare, ac potiùs in Deum, quàm in naturalem potentiam tantum operum artificium refert: ſi Ariſtoteli lib. 4. de Generat. animal cap 3. in vno ipſam reponit patris ſemine, quod varios in ſe habeat motus, partim potentia, partim actu; & hos quidem vel particulares, vel vniuerſales, ratione quorum formatricem facul-

*V. cenſuram huius Ariſt. ſententiæ apud Argen-*

*terium in Cõm. 1. Ar. Med Gal. vbi de temperaturis teſtium.*

facultatem aſſerit filium reddere patri ſimilem, non tàm corporis, quã animi qualitatibus. Motus, qui potentia inſunt, ait efficere ſimilem auis, & abauis; qui vero actu inſunt vniuerſales inducunt formam ſpeciei, vt bruti, hominis, maris: at particulares inducunt formam indiuidui, vt Socratis. Si impediantur hi motus particulares ab aliqua cauſa, vt à morbo, ab vteri intemperie &c. fit tranſitus huius motus in alium aui, vt abaui, qui potentia erat in ſemine, vndè fiunt filij ſimiles illis; at ſi hic etiam impediatur, fit tranſitus in alium contrarium, nempè matris, (qui contrarius ab Ariſtotele dicitur, quia natura primò maris intendit generationi), & generatur fœmina matri ſimilis, aut auiæ, aut abauiæ, quarum imagines in ipſo etiam ſemine continentur, quod licet videatur homogeneum, tamen alias alijs craſſiores obtinet partes, in quibus alij, vel alij inſunt motus: huiuſmodi ſententia clariùs inibi explicata legi poteſt. Sed concludit formatricem, ſi non impediatur ab aliquo, ſemper ſimilem fœtum parentibus generare, matri inquam, vel patri, vel auis, & ſic ab ea prouenire in eiuſdem familiæ hominibus corporis partium ſimilitudinem.

*Formatricis natura explicatur.*

Quid verò iſta ſit formatrix in ſemine, explicat idem Ariſtoteles lib. de vita, & morte cap. 14. dum ait, generatio eſt prima participatio animæ nutritiuæ cum calore naturali, ergo generans, ſeu pater communicat aliquid de ſua anima nutritiua, quæ cum ſit forma, nec poſſit ſtare ſine materia, ideò communicat etiam aliquid de ſua materia, quod eſt ſemen, in quo ipſa ineſt animæ pars, quæ per facultatem formatricem in teſtibus acquiſitam, principium alterius corporis formatiuum exiſtit, ſibiq; ſimilis ob huiuſmodi participationem; ſicut enim ſemen gignitur ex patris ſanguine, ita ex ſemine per formatricem ſimilis in filio gignitur ſanguis, hunc verò, & ſimilis membrorum conformatio, & ingenium ſimile comitatur.

*Opinio D. Thomæ 1. par ſummæ q 78 art. 2. ad 2.*

*Fernel. lib. 7. Phyſic.*

Sunt qui ſimilitudinis cauſam, minimè in formatricem, ſed in phantaſiam referant, adducti Ariſt. probl. 12. ſect. 10. in quo ex cogitationũ diuerſitate varios progigni partus pronunciat, cui ſententiæ adſtipulatur ratio, quia phantaſia eſt potentia ſuperior animæ ſenſitiuæ, formatrix eſt potentia inferioris animæ, ſcilicet vegetatiuæ, immò vt Franciſcus Valleſius ſuſtinet, facultas nutriens vegetatiuæ propria à formatrice non differt; in brutis autem, & in homine facultates inferiores à ſuperioribus gubernantur ex doctrina tex. 31. de anima, vbi vegetatiuum in ſenſitiuo potentia contineri aſſerit, ſicuti triangulum in quadrangulo: igitur ſola imaginatio eſt ſimilitudinis cauſa: rationi fauet experientia illarum, quę ex imaginatione, ſatiri hominem piloſum conceperunt, & illius Æthiopis, quæ ex intuitu depictæ imaginis albæ fętum peperit album, quod lib. de Ther. ad Piſ. affert Galenus. Cæterùm verum quidem

*Controuerſ. Med lib. 2. cap. 19.*

dem eſt, phantaſiam ceu nobiliorem potentiam diuertere ab intentione ſua formatricem poſſe, ita vt diſſimilem gignat fœtum, ſed probabile non eſt, vt phantaſia poſſit effigiem facere ſola, quia puer nonnunquàm refert imaginem rei, quæ numquam oculis fuit ſubiecta, quare non hæc à phantaſia, quæ motus eſt ab externo ſenſu factus ex tex. 160. lib. 2. de anima, ſed ab alia facultate, formatrice ſcilicet inita eſt. Veriùs igitur dicendum, quòd vtraque facultas ad huiuſmodi ſimilitudinem inducendam concurrit, formatrix vt cauſa interna, & proxima, phantaſia vt externa, & remota; cum hac tamen differentia, quòd illa ſemper concurrit, hæc non ſemper: illa niſi impediatur ſemper ſimilitudinem exequitur, hæc interdum impedit in alias formas diſtracta, rariùs tamen, quia in coitu ipſius actio ſummopere interturbatur, ob ſpitituum motum, ideò rariùs filios parentibus diſſimiles fieri animaduertimus. Nec repugnat hoc Ariſtoteli loc. cit. quia ibi conſiderat phantaſiam vt diſſimilitudinis cauſam, non autem ſimilitudinis; quia ſicut hanc efficit quandoque tantùm, ità illius cauſa eſt perpetua, non formatrix, quę è contrà ſemper affectat ſimilitudinem. Ad rationem mox allatam dicimus, quòd phantaſia vti facultas ſuperior, per ſe quidem regeret actionem formatricis, ſed per accidens, nec ſemper poteſt, vel quia eius impeditur actio, vt à coitus feruenti, ac propè furioſo motu; vel quia ab alio fortiori obiecto diſtrahitur, ſecumque vim formatricis in ſemine exiſtentis rapit, ex quo fętus patri diſſimilis efformatur. Et in hoc ſenſu, ſatiri, ac Æthiopis, & aliorum à Plinio 7. natural. hiſtoriæ relatorum exempla debent intelligi, quòd nimirùm contigerint ex rara quadam phantaſiæ applicatione.

*Vera ſentẽtia de filiorum ſimilitudine.*

*Phantaſia eſt cauſa diſſimilitudinis filiorum ad patres.*

Contra dicta notabilis quædam emergit difficultas, quippe ſi filij parentibus fierent ſimiles, ſequeretur ex magnis viris magnos, ac præſtantes gigni filios, & ex fatuis fatuos, quod tamen communi doctorum ſententiæ aduerſatur aſſerentium, ineptos plerumque filios ex viris virtute dignis enaſci, ex ineptis autem inſignes, & excellentes, cuiuſce rei Alexander Aphrod. in problem. rationem quoque aſſignat, quòd ſcilicet magni viri etiam in coitu intenſiùs imaginantes, multos à ſemine ſpiritus rapiant ad cerebrum, quibus ſemen exinanitum imperfectiorẽ fœtum producit, contrà fatui cum nulli cuipiam rei præter quam coitus delectationi ſint intenti, ſemen multis refertum ſpiritibus emittunt, vnde perfectiores etiam filij. Hinc tritum illud adagium: Heroum filij noxæ. Quod Ælius Spartianus in vita Seueri tot comprobat exemplis, vt nullus dubitandi locus ſupereſſe videatur.

*An ex fatuis gignãtur fatui, vel è contra ex prꝗſtantibus prꝗſtantes.*

*ſect. 4. prob. 27.*

Hanc difficultatem ſoluere videtur Ariſt. lib. 2. Rhetor. cap. 15. vbi ſimilium in familijs propagationem non admittit continuatam, ſed interpollatam, ità vt magni homines ſucceſſiuè ad progenies quattuor

gene-

generentur vltrà quas poſtea filij incipiant degenerare, quod oſtendit exemplis Alcibiadis,& Socratis ſuperius allatis; contingere namque ait hominibus idem, quod plantis, quæ poſtqam multos peperere fructus, ſuauiſſimosque pariunt exindè paucos,& inſipidos, & ità cum Philoſopho communem debemus interpretari ſententiam de filiorum ad parentes diſſimilitudine. Sed quia huiuſmodi doctrina potiùs explicat rationem diſſimilitudinis variarum eiuſdem familiæ progenierum, quàm vnius indiuidui ab altero, filij nimirùm à patre, ideò ſolutioni allatæ difficultatis inſufficiens eſt, quæ pro indiuiduorum tantùm diuerſitate aſtruenda proponitur.

Quidam aliter diſtinguendo qualitates naturales à moralibus reſpondent, illas tàm in patre, quàm in filio ſimiles remanere; has non item; propterea temperamentum, ac proindè filij ingenium ijs quæ à natura pater obtinet aſſimilari iuxtà iactam à nobis ſententiam; virtutes autem nobileſque operationes vt plurimùm in filio non apparere, ſed vitia potiùs ipſi contraria, ratione prauæ inſtitutionis, qua vt plurimùm filij imbuuntur, de qua etiam diſſimilitudine intelligenda ſit Alexandri, ac cæterorum opinio. *Caimus libro 1. de ingenio cap. 8*

Cæterùm explodenda pariter hæc eſt reſponſio duplici ratione, primò, quia ſi dotes naturales eſſent ſimiles, deberent etiam plerumq; tales eſſe morales, quia mores animi ſequuntur naturalem corporis temperaturam; & ſi dicatur à prauo educationis habitu poſſe illas immutari, probabile ſanè non eſt, id in magnorum, & nobilium hominum filijs ſæpè contingere, quos omni opera parentes conantur optimis, & moribus & ſtudijs erudire, quod ſanę mentis quilibet animaduertat. Igitur viget adhuc Alexandri, & communis ſententiæ robur, neutram in filijs qualitatum ſimilitudinem admittentis; eòque magis, (quæ ſecunda eſt abſurditas) quod non quærunt hi de morali diſſimilitudine, at de naturali, quod ex allata de ſpiritibus paucis in ſemine relictis ratione percipitur, quæ naturalis eſt ratio, non moralis: oportet igitur nos diſcutere de hac naturali diſſimilitudine, quam aſſerunt vt plurimùm adnotari.

Ego cenſeo dicendum, filios plerùmq; gigni parentibus ſimiles corporis forma, ingenio, moribus, quæ ſententia eſt Hippocrates loco citato aſſerentis, claudos ex claudis, cæſios ex cæſijs procreari, & eſt Ariſtotelis vbique probantis ſimilitudinem genitorum ad generantem, quæ perpetua eſt naturæ intentio, quæ dici nullo pacto poteſt maiori ex parte irrita eſſe, ſed compleri, ac perfici, rarius autem eſſe irrita; alioquin naturaliſſima eius potentia ſimilem generandi, vt ait Ariſt. lib. 2. de anima tex. 34. quaſi fruſtrà daretur. Hoc idem Ariſt. lib. Rhetor. citato planiſſimè innuit; dum enim prudentum, & ingenioſorum familias inquit *Opinio propria.*

ad

ad quaſdam ætates in alias peiores mutari, patet ipſum ſupponere per multas ætates ingenioſos ab ingenioſis, & prudentes à prudentibus in eadem familia genitos eſſe. Et hoc verè non ſolùm conſonat auctoritati, & naturæ formantis (vt dixi) viribus, ſed etiam experientiæ, quæ oſtendit in familijs vnum alteri virtute præſtantem ſuccedere, vndè nobiles appellantur & nobilitas oritur, quæ ideò virtus generis ab Ariſtotele definitur. Verùmtamen, quia contingit interdum, hanc naturæ intentionem eludi, cum non ſolùm filij moribus ſimiles parentibus ob prauã inſtitutionem, ſed nec ingenio ob diſſonantiam temperamenti oriantur; ideò res hæc ceu monſtroſa & rara, naturæque legibus repugnans, præbuit anſam curioſitati doctorum hominum, ipſius cauſam inquirẽdi, quam propterea in imaginationem retulerunt, prout in actu coitus ſecundum magis vel minus diſtrahitur, vt Alexander, & alij; ſed non eſt, quòd euentus hic rarò contingens debeat facere inductionem ad infirmandam veriorem ſententiam de filiorum ad parentes ſimilitudine, quæ frequentiùs multò accidit, vt in præſtantium hominum conſtat familijs, licet poſt aliquot æuorum ſpacium verè intercidatur. Quòd verò diſſimilitudo rariùs contingat, præterquàm docemur ex imaginationis actione, quæ feruido coitus motu etiam in magnis viris impeditur, ità vt rapere ad ſe calorem, & ſpiritus à ſemine vix poſſit, fœtumque idcircò reddere imperfectiorẽ, ac diſſimilẽ; illud præſertim poteſt oſtendere, quòd quicunque parentes filios plurimùm diſſimiles procrearunt, fuere viri vel in ſenectute poſiti, quomodo ſeminis ipſorum debilis, & imperfecta eſt actio, vel vxore adultera ſunt vſi, quomodo filij magis amantum referunt imaginem, quàm patris, vel demùm fuere viri non tàm ingenioſi, quàm literati, ac docti, qui perennibus vigilijs, & applicationibus ad ſcientiarum ſtudia, melancolici plerunque, ac hippocondriaci, (vt aiunt medici) euaſerunt; quamobrem natiua, & laudabilis ipſorum temperies cum fuerit effracta & ſubpallidi, excarnes, ac imbecilliores facti, ſemen etiam ipſorum ægrè coctum, & robuſtum filijs præſtantia ſimilibus gignendis fuit ineptum, vt euenit Ciceroni. At quàm rari in ſingulis familijs huiuſmodi emergant viri, qui ex pertinaci doctrinarum cultu excellenti gloria niteſcant, vel infantiſſimis perſpicuum eſt, iuxtà illud.

*Filij plerũque gignuntur parentibus ſimiles*

*Virg lib. 6. Æneid.*

*Pauci quos æquus amauit*
*Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.*

non. n. ſufficit ingenio donatum eſſe quemquam, niſi induſtria, ſollicitaque applicatione ipſum nitatur excolere, vt ſolidam attingat laudem; pauci verò id exequuntur, vel voluptatum illecebris, vel impatientia laboris deterriti. Ergò filij etiam plerunq; patribus ſimiles ingenio gignuntur, quia natura generãs perrarò huiuſmodi ſortitur impedimẽta.

Animi

## *Animi affectus ad ingenia quid poßint alteranda. Cap. XIV.*

REcenſuimus inter externas ingenij cauſas etiam animi motus, quos ideò vocamus externos, licet in arcanis hominum genitos, quoniam nonniſi ab obiecto cientur externo: poſſunt verò hi conſiderari, vel vt ſunt moderati, vel immoderati: ac vel actu apparentes, vel potentia in ſuis latentes cauſis: de immoderatis hìc nullus à nobis ſermo, quia ingenio potiùs officiunt perturbantes calorem ac ſpiritus, quàm conferant, vt moderati faciunt, quod inferiùs oſtendemus: porrò affectus in potentia cum nihil ſint aliud, quàm materiales diſpoſitiones ad ipſos, quæ varias ſequuntur cordis temperies, non eſt cur de his rursùs agamus, quia eſſet agere de temperaturis vnumquodq; ingenium conſtituentibus, de quibus in primo, & ſuprà in hoc libro ſatis.

De affectibus igitur hìc diſſerendum, prout moderatè exciti quibuſdam conferunt ingenij differentijs, vt remotiores ipſorum cauſæ; ità tamen, vt ſimul eas eſſe ſigna intelligatur variarum diſpoſitionum, ſeù temperierum cordis, ſpiritus, & ſanguinis, à quibus non tam ipſi prodeũt, quã fouẽtur in cerebro ingenia præſertim per ipſos manifeſtata.

*Affectus moderati pſũt ingenio, immoderati obſunt.*

Ira in primis reddit ingenia Poeticæ apta, vndè Iuuenalis:

*Si natura negat facit indignatio verſum.*

ſunt etiam irati eloquentes; quia tunc verborum fluxu exuberant, cum incaleſcunt, ſed ira eſt calidus cordis affectus: ſic de Pericle dictum à Tullio, quòd ardens in dicendo tonabat, fulgurabat, omnia permiſcebat; naturaliter autem ad huiuſmodi affectum diſpoſiti, quàm varijs præcellant dotibus anteà pluribus inculcatum à nobis eſt.

*Iracundorũ ingenium.*

Manſuetudo reddit homines ingenio dociles, tractabileſque potiſſimùm in moralibus; at in ſcientiarum apicibus minùs valent, quàm iracundi, quia prædominatur in ipſis phlegma, & ſanguis, vt in 2. lib. cap. 8. docuimus.

Amor ingenium diſponit Poeticæ, ac Magiæ, adaucto nimirùm cordis & phantaſiæ calore; conſtat hoc ex Poetarum omnium carminibus amaſias præſertim ſuas celebrantibus, vt Lesbiam Tibullus, Argentariam Lucanus, Cinthiam Propertius, Lycorim Cornelius Gallus, Corynnam Ouidius, Beatricem Danthes, Lauram Petrarcha. Amantes porrò præſtigijs, alijſque magicis deliramentis obnoxios, quotidiana confirmat experiẽtia; dùm vel earum, quas depereunt, imaginem molli effingunt materia ad amorem ſibi conciliandum, vt ait Virgil. in Pharmaceutria.

*Amantum ingenium.*

*Limus vt hìc dureſcit, & hæc vt cera liqueſcit*
*Vno eodemque igni, ſic noſtro Daphnis amore.*

Vel interdùm ad eadem vota ligant amati ſimulachrum, vt idem Virgil. in Æglog.

*Necte tribus nodis ternos Amarilli colores*
*Necte Amarilli modo, & Veneris dic vincula necto.*

De naturali autem magia, quam per amuletha, cibos, & pocula, quæ vocant amatoria quidam exercent, vt inflectant ad Venerem animos, non eſt huius loci verba facere, olent enim veneni naturã. Caligula ex huiuſmodi poculo à Cæſonia ei porrecto peremptus eſt. Lucretius Poeta in inſaniam furoremque actus. Gellius Vallenſis illuſtris in hac patria Medicus, ex potu menſtrui ſibi à Patauina muliere dùm Medicinæ ſtuderet exhibito leproſus (vt ipſe narrabat) effectus, ægerrimè ad priſtinam valetudinem eſt redactus: ſic aliorum plurimæ conſtant hiſtoriæ.

*Sueton. in Caligula.*
*Euſebius in Chronica.*

Odium è contra ingenia videtur in inferendis malis acuta reddere; nam excitat ad inſidias; at inſidiatores ſunt cogitabundi, & cogitatio exſiccat valdè, vndè acuties. Sic Hannibal iuramenti religione, teterrimo in Romanos obſtrictus odio, perpetuas eis texere non deſtitit inſidias ad Orbis ſtuporem, ac propè ad inuictæ gentis excidium. Florentini verò vſque adeò furenti in Henricum Lucembergenſem Imperatorem odio exarſerunt, vt Monachi præmijs allecti miniſterio, venenum eidem in venerabili Euchariſtiæ Sacramento propinarint. Tantum potuit inuentum effera odij rabies ſuggerere.

*Platina in vita Clemẽtis V.*

*Timidorũ ingenium.*

Metum porrò, atque ingenium ſe plurimùm comitari ſuprà diximus cap. 15. primi lib. Sunt igitur timentes ingenio perſpicaci, ac inuentionibus apto, quâ enim futurum malum imaginantur, multa præponderant, atque inueniunt ſubſidia, quæ inopinantis, & audacis effugiunt intellectum; hinc idonei conſultores exiſtunt, vt ait Philoſophus 2. Rhetor. cap. 5. quia præcipites non aguntur ob atræ bilis refrigerationem. Iis autem ſunt inhabiles artibus, in quibus plurimorum ſubire oportet iudicia, vt Oratoriæ, tùm prophanæ, tùm ſacræ, in quo totius populi ora, & vultus in ſe conuerſa non reformidare neceſſe eſt, quo nomine notatus eſt à Seneca Portius Latro, qui aliàs in vmbratili ſcholæ puluere declamator egregius, ad forenſem porrò traductus ſtrepitum, in ipſo dicendi exordio metu concuſſus obmutuit. Idem Franciſco Robortello Bononiæ contigiſſe ferunt in funere Caroli V. Imperatoris Hiſpanorum nomine peroranti. Marianus etiam Socinus percelebris Iuriſconſultus, dùm fortè patriæ ſuæ nomine Legationem apud Romanũ Pontificem obiret, conſeſſus maieſtate deterritus inter orandum defecit animo. Hi tamen ſinguli libris condendis, peracuto ſcientiarum examine aptiſſimi extiterunt. In moralibus timentes rerum conſeruationi,

*Sigonius in Apologia.*

auda-

audaces magis acquiſitioni ſunt habiles: hoc verò Galli comprobant: illud Hiſpani.

Dolentes, ac mærentes videntur fieri ſapientiores, quia etiam melancolici, quem affectum ex humore prædominante ortum, inter omnes ingenio maximè conferre ſuprà docuimus; nam iuxta illud Eccleſiaſt. vexatio dat intellectum, hoc verò contingit, quippe ipſorum exſiccantur corpora, vt habetur ibidem: ſpiritus triſtis exſiccat oſſa: ſiccitas autem omninò roborat ſapientiam, iuxtà dictum Heracliti ex Galeno ſuperiùs adductum. Ergò ſic affectorum ingenia ſunt in religionis dogmatibus vegeta, & moralis philoſophiæ legibus audientia; propterea faciliùs, quàm hilares ad monachorum regulas tranſeunt; eſt enim huiuſmodi tranſitus liberioris commutatio vitæ ad ſeueriorem, quæ propterea indui haudquaquam poteſt ſine dolore prioris Porrò eſſe moraliores, vel ipſa naturæ edocet ratio, quæ infenſiſſima dolori perquirere nititur medicinam; hæc verò nuſquam fæliciùs hauritur, quàm ex vberrimis Philoſophiæ fontibus, quæ moderationum eſt magiſtra, & in proſperis ornatum, in aduerſis ſolatium parare dicitur. Ita Cicero ſe ipſum in Tulliolæ morte ſapientiſſimè conſolatus eſt, libello de ſui conſolatione conſcripto. Petrarcha in obitu Lauræ carminibus vnam Academiæ doctrinam ſpirantibus, adſciuit ſuo dolori medelam. Si porrò dolori, ac mœrori nectatur ira, eodem ferè ſunt huiuſmodi homines ingenio, ac iracundi; ſunt enim vt plurimùm loquaces, ob inæqualem ſpirituum accenſionem excitam ab iracundia, quod exprimit appoſitè Didonis affectus apud Virgilium, varia ſubindè interſerentis eloquia cum gemitu, & clamore, cuiuſmodi epiſodium ſub Armidæ nomine ab amatore Rainaldo deſertæ, inſigniter æmulatur eſt italus Maro.

*Marentes facilè fiunt monachi.*

*Æneid. li. 4*

Lætitia influit hominibus ingenium Muſicæ obnoxium, ac mitioribus artibus, hiſtoriæ, oratoriæ, comicæ, vrbanitati, ſaltatoriæ, venatrici, vt enim melancolia erigit animos ad ſublimia, & cæleſtia, ſanguinem & ſpiritum per exſiccationem depurando, ità gaudium promouet ad humana; quia mollis eſt affectus cordis inſequens dilatationem, ex quo benigni ſanguinis, & ſpiritus per corpus expanſio: propterea non ſunt hilares efferi, ſed humani, proindèque in ijs præſtantes artibus, quæ humaniores dicuntur, vt quæ etiam mitibus congruunt ingenijs, quod ait Ouidius.

*Scilicet ingenuas didiciſſe fideliter artes*
*Emollit animos, nec ſinit eſſe feros.*

Ariſtoteles lib. x. Æthicorum cap. 1. dicit gaudium, ac dolorem eſſe omnium vitiorum, ac virtutum fundamentum, cum ex gaudio dependeat iucundi electio, ac ex dolore fuga triſtis; illud verò in moralibus

*Gaudiũ eſt virtutũ fũdamẽtũ, dolor vitiorũ.*

R 2 eſt

eſt virtus, hoc autem eſt vitiũ. Vt igitur per hoc innuit præduros quoſdã, ac ſtoicos homines vix lætantes, ac dolentes ingenio carere morum actibus habili, vt qui virtutem amplecti, ac vitiũ fugere ægrè ſunt apti, ita gaudentes virtuti erunt habiliores, ſi præſertim ijs, quibus oportet gaudeant, ſicut etiam tales erunt mẹrentes, ſi quibus oportet, ac debent mæreant. At in ſingulis morum actibus hilares, clementia præſertim, & liberalitare præcellunt; quid enim non concedat, qui fœlici, vel nuntio, vel ortu filij, vel adepta dignitate, vel victoria collætetur? Hoc intellexit Ouid. lib. 1. de arte.

*Mens erit apta capi tùm cùm lætiſſima rerum*
*Vt ſeges in pingui luxuriabit humo.*
*Pectora dùm gaudent, nec ſunt adſtricta dolore*
*Ipſa patent.*

Spes conſtituit ingeniorum differentiam, per acrium, ſolertium, & accuratorum in ſingulis ſcientijs, in quibus homines vel vtilitatis, vel honoris aliquid ſperant? trahitur enim quiſque ſpe iſtorum, qua ſublata prorsùs exoleſcerent artes, ac ſtudia, & laudabiles ſingulorum impetus refrangerentur. Propria igitur ſperantibus aſſignari videtur induſtria, quæ diligens eſt ingenij applicatio circa vnumquodque. Non enim Columbus tantùm operæ in emetiendo Oceano contuliſſet, niſi ſpe opulentiſſimi orbis conſequendi abreptus. Neque milites ad audaciſſima compellerentur facinora, niſi prædẹ allecti libidine. Neque docti ſe ipſos in ſtudijs abſumerent, niſi ſpe lucri, vel nominis, quæ tantam vim habet, vt Martialis dixerit

*Spes, & induſtria ſe inuicem comitantur.*

*Da Mæcenates, non deerunt Flacce, Marones.*
*Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.*

Videntur enim ingenia, bona ſpe reddi quodammodò præſtantiora, ſicuti ſpe orbata propemodùm euileſcunt: hinc peritos ab imperitis bona ſpe differre aſſerit Chilo apud Laertium, ac ſperare non ignaui eſſe hominis, Euripides ait, ſicuti deſperare ignauiſſimi, quia ſe impotentes, & ignorantes oſtendunt, cum ſibi diffidant, & hominibus, atq; etiam Deo, à quibus tamen malorum omnium ſubſidium expectat ſapiens, qui aſſerit prouidentiam. Hinc ſperantes communi videntur cum lætis temperie gaudere, niſi quòd illi abundantiores requirunt ſpiritus, firmioremque calorem, quo ſperantium expectatio fulciatur, quare ſanguine abundant craſſiore, ac magis melancolico; læti autem humidiore, ac reſolubiliore, quia hi tantùm præſentibus gaudent, ſperantes autem ſunt hilares futuro, atque imminenti bono: ſic Tibullus lib. 2.

*in Hercule furente.*

*Credula vitam*
*Spes facit, & meliùs cras fore ſemper ait.*

Et alibi.

Spes.

*Spes etiam valida ſolatur compede vinctum:*
*Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.*

Pindarus ait ſpes eſſe vigilantium ſomnia; quia nimirùm ſicuti dormientibus rerum quaſi præſentium pulcherrimæ ſpecies adblandiuntur, itá ſperantibus gratiſſimæ, ſpecies futurorum, quæ tamen eludunt vtrumque, dormientem ſemper, ſperantem ſæpè, ideò propè dicitur ſomniare.

Verecundia ex Ariſt. 4. Æthic. cum ſit metus quidam dedecoris, & infamiæ, videtur etiam conſtituere ingenium haud omninò à timentibus diuerſum. Sunt enim verecundi admodùm ingenioſi, quia plurimùm ſenſitiui, & ab obiecto infamiæ facilè alterantur, quod oſtendit mollem cordis, ac cerebri ſubſtantiam, ſanguinemque ſubtilem, ac bilioſum, ob quæ ſuprà diximus ingenioſos externas facilè ſuſcipere impreſſiones: hanc autem ſuprà diximus eſſe ingenij conditionem, exterternas nimirùm facilè ſuſcipere impreſſiones. Inuerecundi verò, cum nec ab honore, nec ab ignominia afficiantur, ſtupidi ſunt vt plurimùm, & ignorantes; hæc enim ipſorum impaſſibilitas ſubſtantiam denotat craſſam, & duram cordis, & cerebri, quam ſuperiùs ingenij muneribus ineptiſſimam conſtituimus. Porrò verecundi valent etiam iudicio, ob partes aliquas ſanguinis frigidas, quia timent, vndè ſunt maximè rationales, & oculati, in diſtinguendis temporibus, locis, perſonis, & huiuſmodi alijs, à quibus ſibi inferri verentur infamiam; hoc autem eſt ſeparare bonum à malo, quæ iudicij facultas eſt, qua impudentes carere perſpicuum eſt: hinc pudibundum, ac erubeſcentem Diogenes virtutibus longè aptiorem cenſebat, quia pudorem proprium aiebat eſſe virtutis colorem: at ſicut in adoleſcentibus huiuſmodi affectus laudabilis eſt, itá in ſenibus (vt ait Philoſophus lib. Æthic. citato.) vituperatur, quia nihil ſenes exiſtimamus facere debere illorum, ob quæ debeant erubeſcere. Sunt igitur verecundorum ingenia illis omnibus apta vel ſcientijs, vel actibus, quæ honorabiliores habentur; quantò enim acriùs infamiam fugiunt, tantò auidiùs honorem proſequuntur: huiuſmodi autē ſunt ſcientiæ illæ, quæ de rebus nobiliſſimis tractant, vt Metaphyſica, Mathematica, Phyſica, & præſertim, quæ circa animæ verſatur notitiam, quod Ariſtot. 1. tex. lib. 1. de anima docet. In hoc etiam genere ſunt illæ, quæ magno in honore habentur à populo, vt olim apud Romanos ars militaris, & eloquentia, nunc apud noſtrates, Theologia, Iuriſprudentia, Medicina: cæteræ, quæ ſeruile quid redolent, vt ars notaria, mercatura, & mechanicæ minùs quadrant verecundorum ingenijs, quia vt inquit in Andria Terentius: Verecundia eſt liberi, ſerui verò timor.

*Inuerecundi ſunt ferè ſtupidi.*

*Verecundia in ſenibus improbatur.*

Miſericordes cum ſint medij inter puſillanimos, & temerarios viden-

tur

tur optimam ſortiri ſpeciem ingenij, cum ſuperiùs ingenium, horum affectuum mediocritatem inſequi dixerimus. Eſt autem iuxta Tullium miſericordia, ægritudo ex miſeria alterius iniuria laborantis. Ariſtot. in Rhetoricis præter hæc addidit, ſi hanc miſeriam, vel nobis, vel noſtrorum alicui contingere opinemur ampliùs gigni miſericordiam. Puſillanimi non miſerentur aliorum, quoniam de ſua ſolliciti de aliorum ſalute non curant. Temerarij, quia inſita quadam ferocia nihil mali ſe perpeti poſſe putant, aliorum miſericordia non mouentur: oportet igitur miſericordes eſſe inter vtrumque medios, vt ſcilicet futurum timeant malum, illudque arroganter omninò ſubterfugere poſſe non præſumāt. Sunt igitur optima humorum, ac proinde ingenij ſpecie temperati. Sed quia, vt idem aſſerit Philoſophus ibid. lib. 2. cap. 8. Eruditi viri ſunt miſericordię proni, quia recta ratione vtuntur in æſtimanda rerum humanarum varietate, quæ plurima ſolet inferre mala, ſequitur è conuerſo miſerantium ingenia, eſſe doctrinis apta, vt quæ cognoſcitiua plurimū, & diſcurſiua exiſtunt. Sic illa conſtituit Ariſtoteles in Phyſiogn. dum inquit: Miſericordes amatores ſunt mulierum, & genitores fœminarum, & circa mores in amorem propenſi, & ſemper memores, & ingenioſi, & calidi; horum autem ſigna dicta ſunt. Miſericors eſt ſapiens, & timidus & modeſtus. Immiſericors inſipiens, & inuerecundus. Sed præſtant præſertim in praxi medicinæ, quia huiuſmodi affectu ipſorum incitantur ingenia ad infirmos pia quadam ſolicitudine curandos: porrò, & in praxi (vt aiunt) criminali, quà reorum pœnas geſtiunt moderari. Ità principes hac dote populis in pace regundis plurimùm valent, dummodò ipſam à iuſtitia non ſeiungant, quia pauperum, viduarum, pupillorum iura tuentur, haud inulta ſceleſtorum iniquitate, quorum pluries miſereri nefas ducunt.

*4. Tuſcul. lib. 2. cap. 8.*

*Miſericordes valent ingenio.*

## *Fortunæ conditiones, Nobilitas, Diuitiæ, Dignitates, Morbi, quomodo ingenia variè poſsint afficere.* Cap. XV.

POſt expenſas naturales externas ingenij cauſas, ſupereſt eas, quæ ſunt fortunæ conſiderare. Nobilitas quid ingenio conferat ſuperiùs ſatis dictum, nimirūm, quia eſt externa quædam virtutis conditio plurium eiuſdem familiæ hominum propria, optimum oſtendit temperamentum generantium, ac genitorum, ex quo habilitas ad virtutes, ac ſcientias proficiſcitur: conſentaneum eſt enim (vt ait Ariſt. 3. politic. cap. 8.) ex melioribus oriri meliores, ſiquidem eſt generis virtus nobilitas, cui etiam ſen-

tentiæ

tentiæ Plato in Alcibiade adſtipulatur. ità Horat.

*Fortes creantur fortibus, & bonis*
*Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum*
*Virtus, nec imbellem feroces*
*Progenerant aquilæ columbam.*

Sed humanitate nobiles præſertim videntur excellere, vt Ouid. 3. Triſt. eleg. 5.

*Quò quiſque eſt maior, magis eſt placabilis ira,*
*Et faciles motus mens generoſa capit.*

Hac de cauſa ignobilibus (ait auctor quidam) plagæ, verbera, catenæ, cruces ſunt pro fræno à flagitijs proponendæ, cùm nobilia ingenia manſuetudine potiùs, & honoris ſtimulo ad honorifica quæque impellantur.

Diuitiæ porrò vt afficiant ingenia, docet optimè Philoſophus lib. 2. Rhetor. cap. 16. vbi arrogantes, contumelioſos, ſuperbos ait diuites eſſe, quia medio pecuniarum cuncta ſibi ſubiecta eſſe arbitrantur: addit etiã eſſe inſipientes, cuiuſce rei verè duplex poteſt afferri cauſa, vna moralis, quia diuites diſciplinarum, & ſcientiarum negligunt captum, vt qui poſſideant illud, quod ex illarum cultu homines quærunt, exiſtimationem ſcilicet atque commoda, alia naturalis, quia diuites plurimis ſe cibis onerare conſueuerunt, ſomnoque ac delicijs indulgere, quæ cum corpus totum, organaq; mentis impenſiùs humectent intellectus etiam functionibus euadunt ineptiores, vnde inconſultos plerumque, ac fatuos ſtatuit Horatius.

*Diuites plerunque ſunt mali, ac fatui.*

*Stultitiam patiuntur opes.*

Et Ariſt lib. 2. Magn. Moral. cap. 9. fortunam proſperam inquit eſſe rationis expertem: meritò igitur fortunati ſunt etiam tales, immò & praui ex eodem probl. 4. ſect 29. vbi quærit, cur apud homines bonos paupertas potiùs eſſe, quàm apud prauos ſoleat. Et cap. 1. lib. 4. Æthic. indignis opes, dignis ærumnas euenire teſtatur. At de his modernus quidam poeta non illepidè.

*Sint tibi diuitiæ, ſit larga, & munda ſuppellex*
*Eſse tamen vel ſic beſtia magna potes*
*Nam quidquid fueris, niſi ſit prudentia tecum,*
*Magna quidem dico beſtia ſemper eris.*

Mordicùs enim diuites vult perſtringere, vt qui ſæpiùs vecordiæ, & imprudentiæ crimine laborent.

At verò licet hanc ex diuitijs pernitiem ingenia ſortiantur; tamen illud etiam eſt aſſerendum, quòd ex paupertate ingeniorum vigor obruitur, quo nihil poſſunt excellens moliri iuxtà illud Horat.

*Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat*

*Res anguſta domi.*

Et alibi.

*O ciues, ò ciues quærenda pecunia primùm,*
*Virtus poſt nummos.*

lib.2.ſerm. ſat.5. Et alibi.

*Et genus, & virtus, niſi cum re vilior alga eſt.*

Quod etiam Ariſt.lib.4.politic.cap.4. confirmat inquiens, vt in otio ,, viuatur, fieri non poteſt, niſi facultates ſuppetant: quod præſertim de otio literario debet intelligi. Hinc appoſitè ſtructum ab Alciato emblēma illud, quo humanam figuram alata manu ad cælum ferri oſtendit, alia verò manu ingenti præpedita lapide ad humum trahi; elatum ſcilicet ingenium inopia plurimùm opprimi ſignificans.

Ergo diuitiæ moderatæ ingenio ſuperque conducent, tùm quia ipſum ad maiorum conſecutionem excitabunt, qua ſæpè (vti diximus) hominum fouetur induſtria, tùm quia laudabiliori modeſtia vētris, & gulæ deuitabunt noxas, ideoque puriori ſanguine, ac ſpiritu præditi, virtutum, ac doctrinarum actibus magis erunt idonei. Verè enim paupertate homines ſummoperè acuuntur. Claudianus 3.rapt.

*Prouocet vt ſegnes animos, rerumque remotas*
*Ingenioſa vias paullatim deplorat egeſtas.*

Quia miſeriarum cogitatione melancolici fiunt, quibus propterea nituntur ingenij bonis occurrere, vt innumera clariſſimorum hominū edocet ſeries, qui plerumque humili loco nati, inſignique rei familiaris anguſtia præpediti, ſummā lucri, & nominis gloriam attigerunt, ſed tamen iſtorum paupertas, vel non fuit tanta, vt otium, quod ad ingenij cultum requiritur, impediret, vel fortunam comitem habuit, cuius beneficio emergere quilibet è tenebris ad cæli ſpacia tutus poteſt.

Poſtremò de dignitatibus, ac de morbis loquendo, tritum illud eſt adagium, quod, honores mutant mores, ergo etiam ingenia multùm afficiunt, nam vt ait Ariſtoteles lib.8. Moral.cap.14. honor eſt præmiū virtutis, & ingenij, quare vt ipſum conſequatur multùm acuitur, conſecutum tueri gaudet, & gaudio excitatur, quia eſt cum annexa ſpe ſemper maiora conſequendi: hinc à Tullio dictum, quod, Honos alit artes; quia non honoratæ langueſcunt, deficiente præmio, vnde Ariſtophanes in Pluto exprobrans, quod Athenis boni non inueniantur medici, ait id fieri ex præmiorum defectu.

Honos alit artes.

*οὔτε γὰρ ὁ μισθὸς οὐδὲν ἐστ᾽ οὔτ᾽ ἡ τέχνη. i.*
*neque præmium vllum eſt, ars nec item viget.*

,, Et Ariſt.lib.2.Politic.cap.9.inquit. Qua in ciuitate non maximus vir-
,, tuti honos tribuitur, in ea optimus ciuitatis ſtatus ſtabilis, & firmus eſſe
,, nullo modo poteſt: verè enim magni fiunt animi magnis honoribus, vt

aſſerit Liuius: & natura videtur honoris ſtimulos inſeruiſſe mortalibus, hinc Perſius Sat. 1.

*An erit qui velle recuſet*
*Os populi meruiſſe?*

*Decad. 1. lib. 4.*

Propterea ambitio in iuuenibus, tāquam nobile quoddam vitium, & ad pulchra mentes alliciens laudatur. In ſumma dignitates reddunt ingenia vegeta, quia phantaſia eas ſub ſpecie ſingularis boni concipit, quod natura ſinguli ſummopere concupiſcunt, quare ſicut mali ſpecies eam facultatem perturbat, ſpirituſque minuit conſtringendo cor, ità bonum erigit, & auget, ipſum dilatando, ità vt intenſiori, firmiori, & ordinatiori ſpiritu phantaſia illud adipiſci nitatur.

Accidit inſuper ingenia à morbis plurimùm alterari, in quo non eſt cur inſiſtamus, quia hæ ſunt cauſæ tantùm lædentes, non autem conferentes. Ac licet nonnulli morbo affecti ad illum quandoque temperamenti gradum peruenire dicantur, vt de rebus pulcherrimis eloquantur, vel in ſanitate rudes, & inſcij; tamen cùm id vel non eueniat, vel rariſſimè eueniat, tùm in tranſeunti, (vt aiunt) non in permanenti gradum illum attingunt; quamobrem nullum ex illo iuuamentum acquirit ingenium. Verum eſt quòd melancolici, vt ait Ariſt. ſunt acutiores, & ingenioſiores, ſed loquitur de diſpoſitione ad melancoliam, minimè de affectu ipſo, à quo potiùs ingenia perturbantur, quia ſi nimis calidus in ipſis melancolicus humor furioſi, ſi nimis frigidus ſtupidi euadunt: moderatus optimè ingenio deſeruit: hic verò à morbo longè recedit. Ac licet nonnulli adſint melancolici, qui actu in hypocondrijs morbo premantur melancolia notato, ac tamen plurimis excellant ingenij dotibus, tamen illa non eſt vera melancolia, ſed ſpuria, & imperfecta, quia cerebro non eſt eſſentialis, ſed per euaporationem dumtaxat ab infernis partibus communicatur, nec perpetuò, ſed per vices tantùm. Ac porrò licet illa euaporatio iuuet interdùm ratione ſiccitatis, tamen quia ſubindè ceſſat, gignitur ingenium inæquale, diſſonum, varium, plurimiſque plerumque notis damnandum.

## *Educatio, religio, lex, ſocietas, ſtudia, quid ingenio proſint.* Cap. XVI.

SIcut educatio multùm confert ad mores, ita etiam ad ingenium; quia cũ vtraque à communi pendeant materiali principio, nempe à corporis temperatura, poteſt educatio plurimùm eam corrigere, ſuperare, alterare conſuetudinis vi, quæ tanta eſt, vt ceù altera natura polleat in homine ex Ariſt. probl. 1. ſect. 28. Conſueſcere enim nihil eſt aliud, quàm materiam magis diſponere, & agentis materialis robur ex habitu augere, quod in homine præſertim non difficulter fit, qui cum maximè ad temperamẽtum ad pondus accedat; & hoc ſit in æquilibrio, facilè ad vtrumlibet extremorum conuerti poteſt. Hippocrates lib. de aere aquis &c. ait Macrocephalos Aſiæ populos, cum ex conſuetudine quadam infantum capita comprimerent, adeo vt oblonga, & acuta remanerent, mox ſucceſſiuo temporis tractu ſingulos eius formæ capitibus natos eſſe, natura conſuetudini obtemperante, quod etiam hoc tempore in Genuenſibus adnotatur. Quidam etiam (ait Commentator) aſſueti comedere venenum, eo tamquam ſalutari eſca veſcuntur, ex quo Auicenna exemplum affert puellæ napello diutius connutritæ. Ad quod idem reſpiciens Hippocrates aſſerit conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſunt, inſuetis minùs moleſta eſſe ſolere. Habet hoc conſuetudo, vt paulatim naturæ quaſi vires inuertens reddat proprias, & facilè poſt ipſam fiant, quæ anteà difficulter. Hinc eſt, quòd Ariſtoteles cap. vltimo Æthic. cum homines natura, doctrina, conſuetudine bonos, vel malos fieri dicat, conſuetudinẽ cæteris præpollère affirmarit. Quòd ſi hoc in virtutibus & vitijs euenit, rationi conſonat in bono etiam, vel malo contingere ingenio, vt nimirùm educatione, vel conſuetudine deprauetur, aut perficiatur; euadit hæc enim ceù cultrix eius vel malà, vel bona; ac ſicut ſocordia ruſtici fœcundà ſterileſcunt arua; induſtria verò infœcunda pingueſcunt, ità de humano contingit ingenio; vt enim (ait Plinius) arbor per ſe infrugifera, tamen inſitione dicitur ferre fructus, ità prauum ingeniũ inſtitutione ad bonam frugem poteſt demutari, & alibi. Vrſus informes gignit catulos; & lambendo format, ita rudem ingenij fœtum diuturna cura conuenit expoliri: ſic Horatius in odis. Doctrina vim promouet inſitam, Rectique cultus pectora roborant. Plato propterea vt bonum ingenium bona educatione melius, ità malum praua longè peſſimum fieri tradit. Docet experientia, quantùm indoles educatione

*Conſuetudo quid.* — *3. phyſ.* — *2. Aphor. 8.* — *Plutarc. in moral.* — *lib. 17. c. 14* — *lib 8. c. 26.* — *li. 4. de Rep.*

mutentur: Lycurgus ex Plutarcho eam ſic probauit. Duos catulos ex eodem patre, ac matre genitos aluit, quorum alterum lautioribus cibis, alterum venationibus aſſueuit. Semel in forum productis, cum hinc eſcas nobiles, illinc emitteret leporem, ſua quiſque conſueta ſecutus, hic leporem, alter eſcas inuaſit. Ita ciuibus ſuis rectam filiorum educationem prædicabat, vt qua vel natura ipſorum arbitrio regi, tranſmutarique poſſet. *lib. de educ. liber.*

Ariſtoteles loco Æthic. cit. leges idem conferre ait hominibus emolumentum, quippe bonæ his conſuetudines, & inſtitutiones ſeruantur, quarum leges publicæ ſunt cauſæ quodammodo remotiores, priuatæ ideſt parentum, & præceptorum monita proximiores. Has ingenia hominum multùm afficere teſtatur Hippocrates Aſiaticorum exemplo, quos ex Regum ſubiectione tunc ignauos eſſe redditos ait. Nunc etiam cum à Maumetho leges Turcis impoſitæ ſint bellandi, non autem diſputandi, vel ſtudendi, nullum videas apud ſubditas eis gentes præclarum literis ingenium inueniri. Sed hoc verè magis ex diſciplinę defectu, quàm ex vi legis dependet, cum enim idem ingenijs adſit climatis, aeris, ſoli, ciborum, corporis temperamentum, quod anteà fuit, nulli dubium, quòd ſi ſtudijs aſſueſcerent, exornarentur. Romani etiam cum ſemel medicinæ ſtudium legibus repudiarint, mediciſque exilium indixerint, tantam exinde ingenia rubiginem contraxerunt, vt nullus ab eo tempore medicinæ ſcriptor illuſtris Romæ prodierit. *lib. de aer. aq. &c.*

Eaſdem obtinet vires religio, quæ ſacra lex eſt, aſſuefactione ſiquidem mirè diſponit ad eam doctrinam ingenium, quam ipſa probat: ſic Hebręorum, vel puerorum præclaram aduertimus in veteris teſtamenti cognitione ſolertiam: ſic in prauis hæreticis acutorum ſophiſmatum inuentionem, quam iniquus ſuggerit genius: ſed habet religio neſcio quid magis ipſa lege ad immutandos animos, ſicut vehementiùs corripiunt diuina, quàm humana: propria hæc eius vis, intellectum à ſenſibilibus abſtrahere, ac vnico ſupremoque numini amoris vinculo copulare: ad vnam igitur Dei cõtemplationem ingenium reddit aptiſſimum. Ideò religioſiſſimi homines, optimi plerunque fuere Theologi, quibus diuinæ incumbit ſcrutatio veritatis: optimi etiam fuere concionatores, quibus incumbit eam populo communicare: fulſerunt etiam omnium virtutum ornatu, prout animus Dei veneratione plenus, omnes à ſe detergit maculas, vt ei pro viribus aſſimiletur. Hoc vna in primis Chriſtiana confert religio, quæ patres doctrina clariſſimos, heroes, ac duces actionibus admirandos, genios auri, amplitudinis, deliciarum omnium contemptores cumulatiſſimè genuit, vt ſi reuiuiſcerent antiqui illi ſapientes, iam ſibi nihil ſapere, magni illi Duces nihil poſſe reſpectu Chriſtianæ cultorum religionis faterentur. *Religio eſt fortior lege.*

Ad conſuetudinem vel educationem refertur ſocietas, ſeu ſodalitas, quæ multùm poteſt ad mores, & ingenium; vt enim eſt in adagio, quòd pares cum paribus facillimè ſociantur, ita qui ſimiles non ſunt, ex ſocietate tales fiunt. In hunc finem præcipit Cato morum cenſor.

*Cum bonis ambula, cum malis pacem habeto.*

,, Et conſentit Seneca ad Lucil. epiſt. 6. inquiens: Nulla re magis animos ,, inhoneſtos, & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quàm bono- ,, rum virorum conuerſatio: paullatim enim deſcendit in pectora, & vim *lib. 2. ſoli-* præceptorum obtinet, frequenter aſpici, frequenter audiri. Verè enim vt ait D. Iſidorus: ante ignem conſiſtens etiamſi ferreus ſis, aliquando diſſolueris: hinc ſi inter doctos etiam verſeris, afflatur neſcio quis ingenio doctrinarum amor, qui ſuauiter exinde illud excitat, & acuit: veluti , (inquit idem Seneca) qui in vnguentaria taberna reſederunt, & paullò ,, diutius commorati ſunt odorem loci ſecum ferunt, ità fit ex conſuetu- ,, dine ſapientis.

Conſimili ratione videas, quòd qualis eſt preceptor, talis ſæpiùs euadit diſcipulus, ex inſtitutione quidem præcipuè, ſed multùm etiam ex aſſuefactione ſocietatis: habet hoc enim præter conſuetudinem diuturna ſocietas, quòd ſimilitudinem gignit, ac ſimpathiam animorum, & cum iuxtà regulam phyſicam, inter ſimilia, & ſimbola facilior detur tranſitus, euenit vt alter ſocius ad alterius facilè naturam deflectat, cùm morum, tùm ingenij, ad quod illud vulgi dictum arridet, quòd ſi quis cum lupis agat ediſcit vlulare.

Studia demùm huius, vel illius artis, ac ſcientiæ duplici de cauſa proſunt ingenio. Prior eſt, quia crebra mentis agitatione, ac motu cerebrũ exſiccatur, quare natiuus ipſius humor minuitur, ac proinde calor, & ſic melancolica ipſius euadit temperies. Eòque magis, quòd cum ſpiritus animales in contemplationis opere atterantur, ac reſoluantur, ſanguinem qui ſupereſt neceſſariò denſum, frigidum, ſiccum, & atrabilarem relinqui neceſſe eſt, qui ingenij muneribus eſt aptiſſimus. Altera quòd ex frequenti applicatione ſtudendi contrahitur in ingenio habitus, ex quo maior ipſi accedit ad apprehendendum facilitas. Vtrumque verò ne dum in doctrinis contingit, ſed etiam in ſingulis artibus, in quibus applicatio tantùm poteſt, vt ingenium, quod aliàs rude, tardum, ac ſegne videbatur, ſollicitudine, ac ſtudio reddatur promptum, ac viuidum, & quandoque etiam ex obtuſo reddatur acutum, vt frequenter nonnullis accidere, vel ipſa docemur experientia, adeò vt illud ſummi poetæ verificetur, quòd, labor improbus omnia vincit, quia ſtudium ſcilicet ac ſedula cura ſupplere quodammodo poteſt naturæ defectus, ,, ſcientemq; propemodum reddere inſipientem. Germani (ait quidam( ,, hoc teſtentur, qui cum à feritate belluarum, vt ipſi confitentur non pro-

cul

cul abeſſent, cum in paludibus, ac ſiluis ferarum more vagarentur, cum ,,
inueterato ſemper odio à literis aborruiſſent, nunc tantùm ſtudio pro- ,,
fecerunt, vt humanitate Aſiaticis, militari diſciplina Romanis, religio- ,,
ne Hebræis, Philoſophia Græcis, Geometria Ægyptijs, arithmetica ,,
Phœnicibus, aſtrologia Chaldeis, opificiorum varietate populis omni- ,,
bus ſuperiores eſſe videantur; naturæ tamen veſtigia in ipſis non omni- ,,
nò tolluntur, quippe licet magnarum artium ſcientiam infinito labore ,,
adepti fuerint, in illis tamen ornatus, venuſtas, ordo, ratio, quam in ,,
Græcorum, & Italorum ſcriptis elucere videmus multorum iudicio de- ,,
ſideratur; ſed vt corporum, ità librorum magnitudinem complectun- ,,
tur, nam plura ſcripſere nonnulli, quàm quis longiſſimo vitæ decurſu ,,
legere poſſit. Hinc propterea tot ſapientum encomijs ſtudia commen-
dantur. Studia (inquit Seneca) te clarum, & nobilem efficient: ſine ſtu- *21. epiſ.*
dio æger eſt animus. Et alibi: otium ſine literis mors eſt, & viui hominis ,,
ſepultura. Alit lectio ingenium, & ſtudio fatigatum non ſine ſtudio ta- ,,
men reficit. Hac de cauſa ingenium, quod fructum in ſe redundans ex
ſtudijs perſentit, ad illa ſua ſponte trahitur, ijſque depaſcitur; nam (vt *5. de fin.*
ait Cicero) nec valetudinis, nec rei familiaris habent rationem, qui in- ,,
genuis ſtudijs, & artibus delectantur, omniaque perpetiuntur ipſa co- ,,
gnitione, & ſcientia capti, & cum maximis curis, & cum laboribus com- ,,
penſant eam, quam ex diſcendo capiunt voluptatem. Ad hæc igitur ,,
egregium quemque Claudiani carminibus cohortemur. *In panegyr. 4. conſul. Honorij.*

*Intereà Muſis animum dum mollior inſtes,*
*Et quæ mox imitere legas, nec deſinat vnquam*
*Tecum Graia loqui, tecum Romana vetuſtas.*

*Secundi Libri Finis.*

DE

# DE QVALITATIBVS, SEV SIGNIS INGENIORVM.

## LIBER TERTIVS.

### *PROEMIVM.*

EXſaturata nondùm ingenioſorũ curioſitas, ſuo quaſi iure abſolutiorem humani ingenij perſcrutationem depoſcit; in ſuperioribus enim libris, cum ipſius natura, differentiæ, cauſæque perindè ac in tabula exactiſſimè depictę fuerint, id vnum tandem videtur negotium faceſſere, ſi eius etiam ſigna referamus, quæ vmbrarum inſtar varios ingeniorum, ceù colores, ac formas in humano corpore interſtinguunt. Hoc excellens, maximèque intentum nobis debet eſſe bonum, ſingulorum ingenia, & indoles nauiter æſtimare, quò vel cælati puerorum impetus dirigi ad ſuos quoſque diſciplinarum fontes poſſint, vel adultorum neglectæ interdùm propẽſiones ad varia cùm publica, tùm priuata munera excitari. Friget herculè ſpeculatio, niſi ei ſit ſcopus, quò potiſſimùm dirigatur actio: ſordeſcunt ſcientiæ nullum ad hominis emolumentum conuerſæ: neque cælum, neque mare, neque terras dignouiſſe conducat, niſi vel ſummi opificis veluti per ænigmata eminentior ſpecies depromatur, vel ad humani generis commodum, ac ſalutem referatur. Sic inanis tota propè foret medicina, ſi theoricis inſiſtens morborum traditionibus, ad praxis porrò vſum non tranſiret: ſic Aſtrologia, ſi vnis aſtrorum cauſis, motibus, influxibuſque contenta, particulari etiam non aptaretur hominũ vſui. Vtraque verò id præſtare per ſigna nititur, quorum ſe medio ad executionem accommodat: illa quidem ex accidentibus, & humano-

rum

rum corporum mutationibus, hæc ex varijs aſtrorum obſeruationibus ſigna deducens. Nos igitur, vt periucundam hanc, extremamque ſuſcepti operis partem compleamus, ex ipſa quoque medicina mutuabimur ſignorum deſumendorum methodum, quia ſicut illa in venando totiús, & partium noſtri corporis temperamento, vel intemperamento deſudat, vt illud ſeruet, hoc autem corrigat; ita & noſtra hæc ars inter alia præſertim idem inquirere temperamentum conatur, ex quo deinceps ſingulorum ad ſingulas vel artes, vel ſcientias percipiat habilitatem. Porrò quia ad idem venandum temperamentum etiam ars phyſiognomiæ plurimùm confert, vt quæ circa ſingularia, & apparentia ſigna, quę ab illo, vt effectus à cauſa pendent occupatur, ex quibus poſteà mores animi conijciat; iccircò eadem nos vtemur phyſiognomia duce ad coniecturam ingeniorum, quæ hoc vel illud temperamentum ſpiritus, humorum, totius & partium principum conſequuntur. Erit autem hic nobis ordo propoſitus, vt ipſam ſequamur ſenſus operationem, qui ſicut primo cognoſcit hominem eſſe ingenioſum, poſteà particulari hoc, vel illo præditum eſſe ingenio, ita nos primò trademus communia ingenij ſigna, mox & particularia exactiſſimè proſequemur.

## *De communibus ingenij ſignis ex cauſarum expenſione deſumptis. Cap. I.*

PRo cognoſcẽdo in homine ingenio duplex eſſe poteſt via, quarum alia ex cauſis, alia ex effectibus deducatur. Cauſæ pro tali cognitione apprimè conferunt, quia licet in ordine ad effectus ſuos cauſæ ſint, attamen reſpectu noſtri euadunt ſigna eos effectus indicantia, ſicut ignis reſpectu noſtri, euadit fumus ſignum, ad quem tamen ſe habet vt cauſa. Ingenij cauſas ſuperius, alias internas ſtatuimus, alias externas. Ex internis præcipuè conſiderauimus efficientes, & materiales: illas diximus eſſe intellectum, & phantaſiam, has temperamenta primarum qualitatum, caloris, frigoris, humoris, ſiccitatis, vel ſecundarum ex his pendentium, duritiei, mollitiei, raritatis, denſitatis &c. Et hæc ſingula ſcrutati ſumus in partibus cùm ſimilaribus, ſpiritibus nempe, humoribus, venis, & carne totiùs corporis, & partium, tùm diſſimilaribus, corde nimirùm, cerebro, ventriculo, hepate. Diximus porrò externas ingenij cauſas eſſe aerem, clima, ſolum, cibum, & potum, ſitum, parentes, animi affectus, nobilitatem, diuitias, dignitates, morbos, educationem, religionem, legem, ſocietatem, ſtudia varia, ex quibus ſingulis variæ poſſunt ingeniorum deſumi notæ.

*in 1. lib. à c. 14. vſq; ad cap. vltim.*

Secun-

Secundò loco proceditur ab effectuum via, qui vel ſpectantur in corpore, vel extra corpus: in corpore vel ſunt interni, vel externi. Illi fiunt vel in parte intellectiua, vt diſcernere, & iudicare; vel in ſenſitiua, vt imaginari, ac externa ſentire obiecta, per viſum, odoratum, auditum, guſtum, tactum, ad quam etiam pertinent effectus iraſcibilis, & concupiſcibilis: & pertinent ad hanc etiam effectus memoriæ, quæ immediatè imaginationi deſeruit. Vel tandem fiunt in vegetatiua, vt appetere; & concoquere. Externi affectus ſunt in corpore apparentes, ſenſibuſque inſpicientium obuij, circa quos tota ars phyſiognomizandi verſatur: & ad nonem capita ex Ariſtotele in Phyſiogn. cap. 3. rediguntur, nempe, ad motum, figuras, colores, faciem, cutim, carnem, vocem, partes, totiuſque corporis conformationem. Effectus demùm extra corpus ſunt opera vel ingenioſè, vel prauè facta in ſingulis artibus. Ex his omnibus tùm cauſis, tùm effectibus varias licet notas deſumere, non ſolùm ingenium in communi, ſed etiam in particulari detegentes. Sed primò cauſarum ſignificationem per allatam methodum examinemus, poſteà ad ipſos etiam effectus expendendos deueniamus.

*Signa boni intellectus, & phantaſiæ.*

Ergò primo in hominem occurſu, ſi animaduertamus ipſum benè argumentari, ac ſubtiliter de rebus diſſerere, inueniendo rationes plurimas, & idoneas ad concluſionum probationem, ſignum erit ipſum bono præditum eſſe intellectu, proindeque ingenio, & erit ſignum ab ipſius cauſa efficiente ſumptum Pariter ſi nedum facilem, promptamque habeat phantaſmatum apprehenſionem, captumque rerum habilem, non tàm in ſpeculatiuis, quàm in practicis, verùm etiam noua, & inuſitata in ſcientijs comprehendere, atque in artibus formare ſit aptus, ſignum erit (vt ità dicam) phantaſiæ ingenioſæ, idemque ab alia cauſa efficiente, quam ſuperiùs duplicem ingenio aſſignauimus, intellectum, & phantaſiam. Inſpicienda inſuper cauſa materialis ingenij, ſeu temperamentum partium ingenio ſeruientium, ſi ſit calidum, & ſiccum moderatum, ſiue bilioſum, vel melancolicum per aduſtionem, cuiuſmodi tẽperamentum in 1. libro aptiſſimum ingenio conſtituimus. Et cognoſcetur hoc primùm in habitu corporis ex Galeni doctrina, ſi hirſutum ſit corpus, & pili aliquantulum criſpi, qui etiam citò naſcantur, & citò decidant: ſi careat pinguedine, ac tenue ſit ad tactum, & calidius: ſi venæ parùm ſint latiores, ac tenſiores: ſi pulſus aliquantò veloces, ac frequentes: ſi colore ſit aduſtiore, ſeu fuſciore: ſi offendatur à calidis, & ſiccis, iuuetur verò à frigidis, & humidis: ſi à calidis, & ſiccis parentibus ſit genitus: ſub aſtris calidis, & ſiccis: ex his omnibus calidum, & ſiccum in ipſo temperamentum, proindeque bonum ingenium conjectari debemus, quia prædominium bilis, vel melancoliæ aduſtioris indicatur, qui ſunt humores ingenio maximè conferentes.

*Signa temperamẽti calidi, & ſicci moderati. ar. par. c. 56*

Hæc

Hæc etiam ſigna faciunt ad noſcenda cordis, vel hepatis temperamenta, vtpotè à quibus totius habitus corporis pendet. Sed prætereà cordis caliditas, & ſiccitas dijudicatur ex pectore pilis referto craſſis, & duris, & ex eius macie iuxta Auer. & ex reſpiratione magna, veloci, & frequenti, & ex carnis macredine, & ex promptitudine ad iracundiam, moribus tyrranicis, & impudentia. verùm quià in primo lib. cor ingenioſi ad calidum, & ſiccum temperatum deflectere comprobauimus, ideò hæc etiam ſigna ſi excedant, cor ingenio minùs deſeruiens teſtabuntur, ſed ſolùm ſi moderata eſſe cognoſcantur. Porrò & ab hepate ingenij ſigna petentur, ſi calidum, & ſiccum, quod etiam ex eadem Galeni doctrina noſcetur, quia hypocondria ſint hyſpida, ſanguis craſſus, & ſiccus ob euaporationem, quam facit calor, flaua bilis multa ob aduſtionem calidioris partis ſanguinis, & progreſſu ætatis multa etiam atra bilis ob eandem rationem, itemque venarum latitudo, & durities, quia calor dilatat, & exſiccando indurat. Inſuper à cerebri temperamento deſumentur ingenij ſigna, quod ſuprà oſtendimus cerebrum quoque requirere temperatum in caliditate, & frigiditate, cum mediocri ſiccitate, humiditati ſcilicet non aqueæ, ſed aereæ copulata. Huius autem temperiei ſigna ducentur ex duobus fontibus ad Galeni mentē, nimirum vel ex extrinſecis, vel ex intrinſecis: illa ſunt quæ exteriùs caput afficiunt, & alterant, à quibus facilè aut iuuatur, aut offenditur, vt ſi iuuetur à frigidis, lædatur à calidis, ſignum eſt calidi illud eſſe temperamenti: ſi verò iuuabitur ab humidis, lædetur autem à ſiccis, ſignum erit illud eſſe ſiccum: ſi verò neque à calidis, neque à frigidis, neque ab humidis, vel ſiccis lædatur, ſignum erit, (vt Galenus ait) illud eſſe temperatum, & quò magis ab hac menſura recedet, eò maius percipiet à contrarijs iuuamentum, à ſimilibus læſionem; ac proinde maius, vel minus erit ſignum præualentis alterius in ipſo qualitatis. Intrinſeca ſunt duo: primum totius corporis diſpoſitio, quæ ex magnitudine, figura & pilis percipitur: ſecundum continet actiones motiuas, ſenſitiuas, principes, & naturales.

*Signa cordis calidi ſicci.*

*lib. 4. collig. cap. 2.*

*ar. par. c. 45.*

*ar. par. c. 10.*

*ar. par. c. 13.*

Signa ex capitis diſpoſitione deſumpta, non eſt vt hìc rurſus repetamus, quia & magnitudinem, & figuram quà bonam, vel malam cerebri temperaturam indicant ingenio vtilem, vel noxiam ſuperiùs in 1. libro cap. 20. fuſiùs examinauimus, quare inde ſingula transferri aptè poſſunt, & huic parti accommodari. Intactam ibi dumtaxat reliquimus pilorum ſignificationem, ſed hæc ex eodem Galeno ſuppleatur dicente, pilos in cerebro temperato, primùm in infantili ætate ſubruſos, in puerili ſubflauos, in adulta flauos innaſci; ſed intelligantur hæ notæ ſolùm in regione temperata verificari, quia intemperata illas immutat: porrò ſunt veræ, dummodò temperies humorum non differat à temperie cerebri,

*Capillorum ſignificatio.*

rebri, aliàs quia pili ab iiſdem humoribus gignuntur, euaderent ſignum fallax in oſtendenda cerebri temperatura, quia potiùs oſtenderẽt temperamentum humorum. Ceterùm quò magis capilli ab hoc colore, qui temperatorum eſt vergent ad nigredinem, & criſpedinem, eò magis caliditatem, & ſiccitatem cerebri indicabunt, quæ ob aduſtionem eos nigros, & criſpos reddere ſunt aptæ.

Signa ſecundi fontis petuntur ex actionibus à cerebro prodeuntibus, quæ ſi bonæ fuerint, cerebrum benè conſtitutum, ſin contrà malum oſtendunt. Motiuæ primùm virtus (quæ à cerebello pendet, quod eſt cerebri portio in poſtera inſidens capitis parte), dignoſcetur ex eiuſdem partis inſpectione, quæ dicitur occipitium, atque etiam neruorum, ceruicis, & oſſium ab ipſa exortorum, per quas partes ipſa motio exercetur. Si ergo pars imminutam habeat eminentiam illam, qua naturaliter debet eſſe prædita, ait Galenus tex. 3. primi Comm. in lib. 6. de morb. vulgar. malum perpetuò eſſe caput, ac proindè cerebrum; quapropter vt plurimùm huiuſmodi homines, nedum gaudent imbecilla motrice, verùm etiam ſunt admodùm obliuioſi, cum memoria præſertim in poſtera capitis vigeat parte, quod de ſe ipſo aſſerit Argenterius, qui cum nullam in ſuo cerebro agnoſceret intemperiem, minima tamen in tota vita valuit memoria, ob eius eminentiæ in occipite defectum. Ac licet nerui, ceruix, & oſſa inde orta optimam ſeruent figuram, nihil refert, quia parte illa exiſtente parua, orta ab ea iuſtam nequeunt magnitudinem obtinere; vnde neceſſariò principis, ſeu cerebri arguitur imbecillitas, in quo propterea optimum haud ineſſe poteſt ingenium, quo etiamſi dici poſſit Argenterium præſtitiſſe, tamen vti res perrarò contingens ſollicitam non meretur obſeruationem. Si verò ea occipitis eminentià ſit auctior, & grandior, ait Galenus loco cit. non tàm eſſe aduertendam huius partis conditionem, quàm ortorum ab ea: ſi enim, inquit, eminentia, neque indecora fuerit, nec vltrà modum grandis, & robuſta, & boni habitus, huiuſmodi capitis acumẽ probato, quoniam huiuſmodi homines aliorum membrorum, præcipuè neruorum, & oſſium viribus pollent, & inſigni præſertim valent memoria, ſi latius habeant occiput, & ampliorem illam cauitatem, quæ ceruici coniungitur: contrà verò iudicandum erit, ſi corruptam, & diſtortam obtinebit figuram, & ea, quæ naſcuntur ab ea parte, vt ceruix, nerui, oſſa, tendines debilia fuerint, malique habitus, quia ſui principij, ſeu cerebri imperfectam indicant conſtitutionem, ſiue caloris inopiam, quo propterea ingeniũ læditur, cuius vigorẽ viuido ſemper calore perfici ſatis docuimus.

*Signa motricis facultatis.*

*Prauæ memoriæ ſigna.*

*Comm. c. 12 ar. par. Gal.*

*Occipitis ſignificatio.*

Cæterùm præter ſignificationem ex occipitio erutam pro venanda cerebri temperatura, à qua motiua prodit actio, debet eadem ex parte capitis anteriori, quæ ſinciput apellatur hauriri, à quo ſentiendi promitur

tur actio. Et ſicut in occipitio conſideratur magnitudo, paruitas, & figura, ita etiam in ſincipite; ac ſicuti non ſolùm ex parte, ſed ex ortis ab ea ſumuntur indicia, ita etiam eſt in ſincipite obſeruandum. Paruitas eſt omninò mala ob rationes de occipite proximè adductas; magnitudo verò eſt bona, ſi ſit cum decenti figura, & ſi orta ab ea pariter benè ſe habeant, vt nerui, ceruix, oſſa, tendines; vnde qui frontem, & ſinciput amplum habent, fælici cenſentur præditi imaginatione, ac apprehenſione, quæ in anteriori cerebri parte inſunt, ſicuti qui mediam, & ſupremam capitis partem obtinent, amplam, & benè figuratam, bono valere cenſentur iudicio, ac intellectu. Porrò & ſenſus viſus, guſtus, & odoratus in illa parte inſiti, bonam, vel malam oſtendunt cerebri, à quo gignuntur, diſpoſitionem, cum viſus per neruos opticos ab anterioribus cerebri ventriculis genitos feratur: guſtus per tertium par neruorum à cerebro linguæ communicetur: odoratus per proceſſus mamillares cerebro adnatos exerceatur: à tactu, vel auditu non ſumit Galenus huius partis anterioris ſigna, quia ille tàm neruis anterioribus, quàm poſterioribus eſt communis: hic verò fit per neruos ad poſteram magis partem deflectentes. *Sincipitis ſignificatio.* *Inſtrumēta ſenſuum externorum.*

Idem Galenus vt inueniat cerebri temperamentum præter motiuas, & ſenſitiuas actiones, quarum eſt auctor, conſiderat etiam principes, quas ait eſſe, quæ à ſolo prodeunt cerebro, vt ingenium, intellectus, imaginatio, memoria: hæ ſiquidem euadunt ſigna variorum cerebri temperamentorum, à quibus pendent. Verùm quia Galenus per eas intendit venari ſolius cognitionem temperamenti, in eaque ſiſtit, nos vlteriùs ex temperamento progredimur ad venandum ingenium, non eſt, cur ex ingenio velimus temperamenti ſigna deſumere, hoc enim eſſet (vt aiunt logici) petere principium, quia ex ingenio cognito, quæreremus idem tamquam ignotum.

Ergo ſolæ remanent operationes cerebri naturales, quæ ipſius atteſtentur temperamentum, quæ ſecundum Montanum, & alios nonniſi per excrementa indicantur, quæ ſi moderata fuerint, moderatam cerebri temperiem oſtendunt, tàm in actiuis qualitatibus, quàm paſſiuis, ſi pauca, & concocta per palatum, nares, oculos, & aures caliditatem, ac ſiccitatem ipſius, quam etiam indicat ſenſuum perſpicacitas, cui humiditas, vt ſuperiùs diximus plurimùm obeſt, quia vaporoſa; ideòque ſi multæ à cerebro exeant ſuperfluitates, ſigna ſunt humidæ ipſius temperaturæ, nec ſenſibus, nec ingenio conferentis. Verum eſt, quòd interdum ei obeſt etiam caliditas, & ſiccitas, ſi multa ſit, vt in odorantibus à longa diſtantia animaduertimus, qui cum vtriuſque qualitatis robore id præſtent, imbecillo dicuntur ingenio gaudere, reſpectu minùs odorantium, qui multò ingenioſiores habentur: at ſi moderata vtriuſque *Odorātes à longa diſtātia non valent ingenio.*

fuerit qualitatis in cerebro menſura, optima illud euadet ingenij ſedes, quia partium erit ſubtilium, tenuium, & pro eius functionibus optimè commiſtarum.

Poſtremò ſunt ſpiritus, ex quibus ſumi poſſunt ingenij ſigna, cum ſint proprium ipſius inſtrumentum, ex cuius natura, varios etiam licet ingeniorum gradus emetiri; ſed cum ſpiritus ſit benignioris ſanguinis exhalatio, talis erit ille, qualis erit ſanguis: hunc verò diximus ad bilioſum vergere, ac melancolicum, prout à ſimili hepatis, vel cordis temperamento gignitur. Ergo quæ ſigna ſuperius ſunt propoſita ſubcalidum, & ſiccum hepar, & cor iudicantia, eadem quoque facient ad conſimilis ſpiritus indicationem, proindeque ingenij, quod ſic affecti ſpiritus opera potiſſimùm vtitur.

## *De ſignis ingeniorum ex temperamento ſecundarum qualitatum. Cap. II.*

HActenus venati ſumus ingenium ex partium ipſi proximè deſeruientium temperamento, quod ex primis reſurgit qualitatibus, calore, frigore, humore, ſiccitate, modò illud etiam ex ſecundis deprehendendum eſt, quæ primarum tamen naturam conſequuntur. Inter cæteras docuimus ſubtilitatem, mollitiem, tenuitatem, diaphneitatem maximè ad ingenij conducere perfectionem, huiuſque dogmatis phyſicas rationes adduximus. Eſt igitur hic innuendum, quomodo hæ pariter in corde, cerebro, hepate, ſpiritibus dignoſcantur, vt ex his etiam ſic ſe habentibus ingenium in aliquo exiſtere pronunciare poſſimus.

Cor ex ſubtilioribus eſſe compactum partibus ex eo dumtaxat licet coniectari, ſi calidum ſit, & ſiccum moderatum, quia hæ ſunt ignis qualitates, cuius eſt (vti ſæpius diximus) ſubtiliare, ſed conſtare pariter ex tenuibus, ſiue aereis partibus, vnde mollities, quæ optima eſt pro animæ actionibus miſcella, arguemus ex pulſu, reſpiratione, corporis habitu, moribus. Pulſus ſicut in corde calido, & ſicco nimis eſt durus, ita in moderato eſt potiùs mollis, & altus ea ratione, quòd humor facit mollitiem, arteria verò mollior magis extollitur, quàm dura, quæ difficulter extendi poteſt, ſicut in chordis fidium animaduertimus. Pariter ex ſententia Haly Abbatis pulſus eſt in velocitate, ac tarditate, ac frequentia temperatus, quod forſan eſt verius, quàm Galeni placitum aſſerentis, tales pulſus velociores eſſe, ac frequentiores, nam herculè cor ſic affectum, quia eſt humidum non tàm feruet, quàm calidum, & ſiccum.

*Mollitiei cordis ſigna.*

*li. 1. Theor. cap. 12.*

Re-

Reſpiratio cùm eundem ſortiatur vſum cum pulſu, vt ait Galenus lib. de pulſ. vſu cap. 1. erit inter ſigna eiuſdem cum pulſu rationis, dummodò thorax ei ſit benè proportionatum; ſi verò minus fuerit, ac ipſa requirat, tantò velocior, & frequentior erit, quia natura cum in ſufficienti quantitate aerem non poteſt attrahere, ſupplet attrahere cum velocitate, ac frequentia. Porrò ait Galenus quòd expiratio velocior eſt inſpiratione, quia cum calor retundatur ab humiditate, non eget inſpiratione, vt refrigeretur, adeo magna, vt calor cum ſiccitate coniunctus.

Corporis habitus cor ſubtile, ac molle indicans erit mollis tactu, aſſerente Philoſopho tex. 94. lib. 2. de anima, molles carne eſſe ingenioſos, carnis autem qualitas pendet à qualitate cordis, quod per calorem influentem cum ſanguine vitali per arterias in toto ambitu fuſas, ſimilem creat carnem: pendet etiam ab iecoris qualitate ob ſanguinis alimentalis ab ipſo per venas in totum emanantis influxum: præualet interdum iecoris caliditas, & ſiccitas, cui obſtare non poteſt cordis humiditas mollitiei cauſa, vnde apparet habitus corporis non mollis, (licet cor tale exiſtat), ſed qualem caliditati, ac ſiccitati iecoris iam diximus reſpondere. Verùm huiuſce rei diſtinctio ex pulſu, reſpiratione, ac moribus, quæ cordis propinquiora ſunt indicia peti debet. Videri etiam poteſt hoc ſignum ex habitu corporis inutile ad oſtendendam cordis mollitiem ingenio accommodatam, quia pueri ac mulieres ſunt habitu carnis molli, nec tamen pollent ingenio reſpectu virorum, qui duriori ſunt carne. Porrò ſi melancoliam aduſtam, & bilem circa præcordia exiſtentem maximè ad ingenium conducere comprobauimus, omnis ratio poſcit, quòd hæ in cor inducant ſiccitatem, quæ duritiei eſt cauſa, non humiditatem, quæ cauſa eſt mollitiei, ex quo propterea corporis habitus non contingat ingenioſo mollis, ſed durus, vt pote cordis reſpondens temperiei, cuiuſmodi habitum durum, & aſperum ſentit Huarthes eſſe ingenioſi proprium.

*Habitus corporis pendet à corde & iecore.*

*Dubitatio ex Huartho.*

Cæterùm expungitur prima difficultas iuxta Philoſophos de mollitie, quarum alia eſt ſpongioſa ex præualenti aqueo elemento; alia magis conſiſtens ex præualenti aerea humiditate; prima eſt puerorum, & mulierum propria, & ingenio inimica: nos verò ſecundam in corporibus ingenioſis requirimus. Quòd porrò habitus corporis deberet eſſe durus, non mollis, dicimus verum id fore, ſi multa in ingenioſorum præcordijs daretur bilis, & melancolia, nos autem ſolùmmodo concedimus moderatam, quæ propterea non poteſt cor, & habitum corporis durum efficere, quia ex bile flaua, vel atra mixta cum ſanguine, oritur miſcella ignis, & aeris cum terræ portione, proinde mollities, non tamē ſpongioſa, & tumida, ſed potiùs flaccida cum macritie ob birioſæ prædominium ſiccitatis, ſicut altera eſt cum pinguedine quadam mucoſa,

*Reſp.*

ob

*Habitus durus interdũ inuenitur in ingenioſis.* ob phlegmatis prædominium. Verum eſt, quòd interdum adnotatur habitus corporis durus, hirſutus, aſper cum excellenti iunctus ingenio, quod noſtræ videtur doctrinæ principijs repugnare, quibus nimiam ab corpore ingenioſi caliditatem, ac ſiccitatem, quæ huiuſmodi eſt habitus cauſa, excluſimus: ſed hoc rariùs tantùm contingere non eſt inconueniens, quia verè illa eſt caloris in corpore prærogatiua, vt vel excedẽs mirabiles excitet animæ operationes, ſicut in attabilarium corporibus, quæ antea fuere cholerica euenire, in primo libro aliquot experimentis oſtendimus, quibus etiam deceptus Huarthes cẽſuit ingenioſorum carnes plerumque duras, & aſperas ex tali temperie generari, non animaduertens hanc ingenij eſſe rariorem cauſam, frequentiorem autem, & veriorem eiſe moderatum calorem, & ſiccitatem, cum aereæ humiditatis ſubdominio, cum qua optimè ſtat mollities ſenſu iam expoſito accepta.

Poſtremò ſunt mores, ex quibus ſubtilitatis ac mollitiei cordis ſigna eruantur: tanquam ex effectibus ipſius conditionem ſequentibus. Galenus ait promptitudinem in agibilibus, humanitatem, propenſionem ad iram, quæ facilè remittitur, cor calidum, & humidum indicare, quod profectò eſt illud, quod nos ſubtile, ac molle appellamus, cum calor ſubtilitatem, humiditas mollitiem gignat: ſed mihi videtur actionum promptitudo calidam, & ſiccam potiùs atteſtari temperiem, quæ ignis eſt, quàm calidam, & humidam, quæ eſt aeris, nam ignis multò promptior, & velocior eſt; aer autem lentior, & grauior; ſed ratione caloris excitantis, & ebullientis Galenus fortè ſentit, vtramq; temperiem ęquè inducere ad agendum habilitatem: ſiccam tamẽ acriori quadam actione præualere non dubito, ob maiorem caloris cum ſiccitate iuncti efficaciam, ideòque fieri homines in agendo pertinaciores, ſicut humidi, & molles parùm in negotijs durant, vel quia humidum diſſoluitur, vel quia à debili calore parùm poteſt commoueri. Porrò humanitas, pietas, miſericordia eiuſdem temperiei calidæ, atque humidæ ſunt ſigna, proinde cordis mollitiei, quippe humiditas remittit caloris acutiem, & feruorem temperat, vnde magis calor ad mediocritatem accedit, à qua huiuſmodi pendent virtutes, quæ moris quædam ſunt mediocritates. Ceterùm hinc dubitatur, quia ingenioſi non ſunt humani, miſericordes, ac pij, ſed inhumani, impij, truces, immodeſti, quod etiam aſſerit Ariſtoteles probl. 7. ſect. 29. dicens, ingenioſos ideò eſſe cæteris iniuſtiores, quia fælicitatem acriùs rimantur, ac ſectantur, quæ ſine aliorum offenſione vix poteſt attingi. Ergo ex his affectibus malis, vt potè magis proprijs, debemus potiùs ingenioſi cor dijudicare, quàm ex bonis, & per conſequens aſſerere ipſius cor eſſe potiùs durum, ex quo inhumanitas, & cæteri, quàm molle, ex quo contrarij proficiſcuntur. Reſpondetur

Marginal notes: *in ar. par. c. 34.* — *Contra Galenum.* — *Actiuitas in actionibus prouenit ab temperie calida, & ſicca.* — *Ingenioſi vitijs abũdãt.*

tur quòd ingenioſi vel fiunt à qualitatum omnium mediocritate, vel ab illarum exceſſu: illi præſtant humanitate, pietate, ac prudentia: hi ſi excedant in caliditate, ac ſiccitate, præditi plerunque ſunt iniquitate, ac immodeſtia. Nos hìc tradimus ſigna ingeniorum à mediocritate pendentium, quia cùm hæc ſit cauſa quædam communis potens omnes ingeniorum gignere differentias, vt rectè ſentit etiam Fracaſtorius, erunt huius mediocritatis ſigna ingenij communiter accepti ſigna, de quo ſuprà tractandum ſuſcepimus. Exceſſus autem qualitatum, cum ſit particularis duntaxat quorundam ingeniorum cauſa, puta Poeſis, picturæ ac ſimilium, præbet particularia tantùm ſigna, de quibus paulò inferiùs, vbi de ſignis ingeniorum particularibus, verba faciemus. *lib. de intel lec. pag. 202*

Tertium cordis ſubtilitatis, ac mollitiei ſignum eſt ad iram propenſio, ſed talem, quæ facilè remittitur, ratio eſt, quia ceſſat bilis ferueſcentis in corde ebullitio, ob eius ab humiditate contemperantiam, quæ facit mollitiem; cor autem intensè calidum, & ſiccum, quia eſt etiam durum ob ſubtiliorum partium in ipſo reſolutionē, contumaci, & immiti excandeſcit ira, quia impreſſio in duro facta remanet fortior, & perennior; ac ſicut illi ſunt placabiles, & verecundi, ita hi ad tyrranidem, furorem, imprudentiamque feruntur, quales ſunt Germani, Scythæ, barbarique alij magno calore in materia craſſa, & dura fundato inſigniti; ſicut alij ſunt Itali, & Galli.

Poſt edoctam rationem cognoſcendi ſubtilitatem, mollitiem, ac tenuitatem ſubſtantiæ cordis, afferenda ſunt earundem qualitatum in cerebro indicia: cæterùm hæc ex temperamento primarum qualitatum ſatis percipientur; cum enim dictum ſit cerebrum pro ingenio, moderatè calidum, & frigidum in actiuis eſſe debere, in paſſiuis moderatè ſiccum, & humidum, intelligendo præſertim de aerea humiditate, quis non agnoſcit ex hac temperie conſtitui mediam quandam ſecundarum qualitatum menſuram, ita vt neque nimis durum, neque nimis ſubtile, vel molle debeat eſſe, cum mediocritatem primarum inſequatur mediocritas ſecundarum? cerebrum nimis durum, vel nimis fluidum efficit, vt ait Galenus, obliuioſos, quia in illo imprimi ſpecies non poſſunt, in hoc minimè retineri: molle eſt aptum ad recipiendum, ex quo docilitas cum debilitate memoriæ: non ità durum eſt aptum ad retinendum, ex quo memoria cum imbecillitate docilitatis: ſubtile eſt cum ingenio, ſed paruo iudicio: ſubcraſſum eſt cum iudicio, ſed paruo ingenio: & hæ ſingulæ qualitates ab aliquo exceſſu vel caliditatis, vel frigiditatis, vel humiditatis, vel ſiccitatis dependent. Ergo ſi hæ primæ fuerint moderatæ, talem creabunt in ſecundis moderationem, vt neque ſubtilitatem craſſities, nec duritiem mollities excedat, proinde ingenium cum iudicio, memoria cum docilitate optimè creant. Et hoc eſt quod ait Plato fieri *signa ſubtilitatis, ac mollitiei cerebri.* *in Theeteto*

vir-

virtute illius ceræ interioris, quam vocat conceptaculum ſpecierum ſenſibilium; nimirùm cum dura fuerit, apta ad retinendum, at non ad recipiendum exiſtere, cum verò mollis, aptam eſſe ad recipiendum, quæ eſt docilitas, minimè ad retinendum, quæ eſt memoria: cum verò & mollis, & rectè ſubacta, & multa fuerit, aptiſſimam excellentibus animæ functionibus iudicari. Notandum hìc obiter quòd Galenus in afferendis temperierum cerebri ſignis ait calidum, & humidum, ſenſuum perſpicacia non valere, & hoc videtur eſſe cerebrum molle, cui hæ tantæ aſſignantur prærogatiuæ: propterea nos dicimus eſſe intelligendum de inſigni humiditate, quæ verè facultatum principum obtundit aciem, iuncta præſertim calori nimio, non de moderata, eaque aerea, quæ ad ingenium præclariſſima etiam ab Ariſtotele exiſtimatur, dum lib. de mem. & remin. inquit, (maximè autem reminiſcuntur, quibus humiditas fuerit circa locum ſenſitiui.) Eſt autem reminiſcentia præſtantium ingeniorum propria, quam ab humiditate iuuari ratio maximè perſuadet, quia cum à motu fiat non ſicca materia, quæ tarda, ſed humida, quæ mobilis eſt indigebit. Eſt igitur temperamentum primarum qualitatum in cerebro ſufficiens ſignum ſecundarum eiuſdem, ex quibus poſteà ingenium in aliquo indiuiduo ineſſe coniectari poſſumus; primarum autem ſigna ſuperiùs abundè tradidimus.

*Ar. par. cap. 19.*

*Humiditas moderata cõfert ingenio.*

Notandum inſuper, quòd nos non inſiſtimus in Galeni progreſſu, quo in libro artis paruæ venatur ſecundas cerebri qualitates ex principibus eiuſdem operationibus. Nam ex ingenio ait oſtendi cerebri ſubtilitatem, ex facili apprehenſione, ſeu docilitate mollitiem, ex memoria duritiem aliquam ob rationes proximè adductas; nos autem ab hac methodo recedentes, omittimus has operationes principes conſiderare, quia hæ ſunt illæ ipſæ, quas nos vt occultas inquirere contendimus è conuerſo per ſigna à temperamentis, ſeu ex proprijs cauſis deſumpta. Galenus ijs pro ſignis vtitur, quia ſupponit eſſe notas, & in actu ſecundo apparentes in aliquo indiuiduo, nos ſupponimus eſſe ignotas, & in ſuis latentes cauſis, ideòque noſtra hac arte inquiri debere, modò inquam per ſigna ex cauſis, poſtea ex effectibus, vt fiet infrà.

Reliquum eſſet hepatis, ac ſpirituum ſubtilitatem, tenuitatemq; inueſtigare; ſed quoniam harum qualitatum ſigna ſumuntur à temperamento primarum, caliditate ſcilicet ac ſiccitate, quam hepati attribuimus, proinde ſigna vtramque indicantia inſeruient etiam ad oſtendendam ipſius ſubtilitatem, licet verè non tàm ſubtile hepar poſſit eſſe, vt nec etiam cor, at duriuſcula, & denſa, qualia verè à natura ſunt compacta; quippe vt in hepate rectè elaboretur ſanguis & in corde ſpiritus, debent in vtroque diutiùs detineri, ad quod facit denſitas; raritas enim præberet potiùs caloris tranſpirationi aditum, ex quo illud imbecilliùs

ad

ad ſanguificandum, hoc ad ſpiritus gignendos euaderet. Verum eſt, quòd per accidens in ingenioſis hepar fit præcalidum, ac durum ratione obſtructionum, vel in eius regione, vel in venis meſeraicis collectarũ, ex quo melancolicorum ea fit ſpecies, quam medici vocant hypocondriacorum, in quibus calor viſcerum inæqualiter feruens, aliâs incraſſat, aliâs ſubtiliat, vel ſiccat, ac indurat: at cum huiuſmodi ſit morboſa potiùs, & adſcititia, quàm natiua temperies ingenio accommodata, propterea eius cognitionem in medicorum ſcriptis fusè traditam, non eſt cur hîc longiùs repetamus: ſummatim, ſi adſit in aliquo ſtipticitas, ſitis, feruor volæ manus, ac pedum, ventris cruditas, abdominis fluctuatio, ac rugitus, habitus corporis aduſtio, & macredo, hypocondriacus is à medicis appellatur, quem hepatis prædicta qualitate, ac ſubſtantia præditum eſſe poſſumus affirmare, atque vt plurimùm etiam ingenio ob cauſas in ſecundo libro ſatis excuſſas, à quibus etiam interdum gigni præſtantiſſimum, quotidiana oſtendere poteſt huiuſmodi hominum obſeruatio.

*Melancolici hypocōdriaci ſigna.*

Eadem eſt de ſpirituum ſubtilitate, puritate, ac tenuitate ratio, cum enim ſequantur hi ſanguinis, à quo exhalant conditionem, vergit (vti ſæpe diximus) ingenioſorum ſanguis ad melancolicum, & bilioſum, qui licet quâ melancolicus craſſus ſit, ob ſubtiliorum partium reſolutionem, tamen quia plurimas habet bilioſas intermixtas partes admodùm ſubtiles, ideò ſubtilitas etiam in ipſo dicitur præualere, vnde ſubtiles etiam ſpiritus. Adde, quòd ipſemet etiam per ſe melancolicus ſanguis huiuſmodi gignit ſpiritus, ſicut enim ex craſſiore vino tenuior, ſubtilior ac potentior aqua vitæ liquatur, ita ex anguſtioribus denſi, & craſſi humoris meatibus ſubtiliores ſpiritus exprimuntur. Et quia in huiuſmodi ſanguine ſtat etiam ſiccitas, & cum ſiccitate puritas, ſicut impuritas cum humiditate, ideò ſpiritus etiam ſicci, puri, & micantes, à quibus neceſſariò vigor animæ internus illuſtratur. Ergo allata ſuperiùs huiuſmodi ſanguinis, & hepatis, à quo effluit, ſigna, ſpiritus etiam optimam rationem, proindeque ingenium patefacient.

*Ex melancolia cur ſpiritus exhalent ſubtiliores.*

## *De ingenij ſignis ex ſingularum corporis partium conformatione deſumptis.* Cap. III.

QVemadmodum ex totius corporis, cerebri, cordis, hepatis ſpirituum in primis, & ſecundis qualitatibus temperamento, ingenium eſſe in homine aliquo coniectamur, ita ex corporis conformatione, quæ inſtrumentalis eſt ingenij cauſa, idem etiam poſſumus aucupari. De conformatione dictarum partium interna eſt actum in primo libro ſatis, vbi ſigna etiam, quibus ea cognoſceretur tradidimus: externam in ſolo capite conſiderauimus, & nonnihil in corporis habitu, carne ſcilicet ac venis. Modò eſt accurratiùs expendenda eadem totius corporis externa conformatio, quatenus ingenium in communi poteſt ſignificare, nam licet ea reſpectu temperamenti, vel facultatis formatricis, quam vtramque cauſam ipſa ſequitur, ſit effectus, tamen reſpectu ingenij eſt cauſa materialis euidentior temperamento, & videtur neſcio quid ingenio conferre, ceu res à temperamento diſtincta, cum hoc etiam ſit in partibus ſimilaribus, illa in figura, magnitudine, numero, & ſitu diſſimilarium; ac præterea fit à formatrice, quæ longè à temperamento differt, cùm ſit formatrix ipſa animæ vegetatiuæ facultas, vt ſuperiùs oſtendimus; cuiuſmodi quoque differentiam agnouiſſe videtur Galenus lib. 2. de temperamentis cap. 6. Quare vtiliſſima etiam ex conformatione ſigna deſumentur.

*Cõformatio partium eſt cauſa materialis ingenij à temperamento diſtincta.*

*Ingenij ſigna ex Ariſt.*

Ariſtoteles lib. Phyſiogn. cap. 6. proponit ſigna, quibus homo ingenioſus cognoſcatur his verbis: Ingenioſi ſigna caro humidior, & mollior, non boni habitus, neque valdè pinguis, quæ circa humeros, & collum macriora, & quæ circa faciem, & colligata quæ ſunt circa humeros, & inferiora laxata, benè ſoluta quæ ſunt circa coſtas, & ſecundum dorſum non carnoſus, corpus album mixto rubore, & purum, cutis tenuis, pili non valdè duri, nec valdè nigri, oculus charopus, humidus. In hoc textu cum enumerentur ſigna à carne, & corporis habitu eruenda, de quibus proximè in hoc libro, & in primo etiam verba fecimus, debent hîc à nobis prætermitti, eaque tantùm examinari, quæ de partium conformatione afferuntur, ſicut etiam coloris, & aliorum, quæ ſubſequuntur conſiderationem eò debemus remittere, vbi de ſignis ab effectibus ſermo erit. Inquit igitur ingenioſum habere (quæ ſunt circa humeros, & collum macriora, & quæ circa faciem). hoc eſt ſignum attinens ad magnitudinem imminutam, in qua ſpectari diximus conformationem, ac de ipſo aliqua in primo lib. diſcuſſimus, dùm colli macritiem, & groſſitiem

tiem expendebamus. Sunt autem humeri, collum, & facies macra ingenij ſigna, illam ob cauſam, quia ſunt hæ partes propè ſenſus, & cognitionis principia, humeri, ſcilicet propè cor, collum, & facies propè cerebrum: has autem partes principes, vt ingenio deſeruiant ad melancolicum diximus vergere temperamentum, quod calidum eſt, ac ſiccum: propterea ob ipſorum viciniam, cæteræ etiam ſiccitatis participabunt, & per conſequens erunt macræ; ſed præſertim naturalis faciei macrities, & ſiccitas ab accidentali etiam augetur, quippe ob continuum ſpirituum motum, quem ob aſſiduas cogitationes in cerebro patiuntur ingenioſi, contrahunt calorem, quem ſiccitas, ſiccitatem verò macrities partis proximæ, ſiue faciei ſequitur neceſſariò. Quare à tali partium habitudine ingenium ſignificatur. Dices, cur ingenioſi ſunt in his partibus macri, non autem in mammis, & pectoris muſculis, qui ſunt cordi proximiores, indeque aptiores ab eius ſiccitate macrefieri? Reſpondetur: quòd calor in anguſtioribus cordis vaſibus concluſus, eam non habet vim, quam in latioribus, quales venæ iuguli, & arteriæ, in quibus expanſus ſuam magis ipſe vim detegit, quare magis etiam ſiccat collum, & faciem, quàm pectoris muſculos. *Ingenioſi cur faciei macra.*

Sequitur Ariſt. dicens, (& colligata, quæ ſunt circa humeros.) Per hæc vult intelligere, humeros non benè à natura elaboratos, neque inter ſe diſtinctos, ſed connexos, & quaſi gibboſitatem quandam præferentes, hæc verò incongrua conformatio, ideò ſignificat ingenium, quia indicat calorem in partium internarum conſtructione occupatum externis non potuiſſe ſufficere; quamobrem vt plurimùm internæ remanent excellentes pro muneribus animæ obeundis, quod verè teſtatur experientia: videmus enim hac gibboſitate præditos eſſe plerunque cæteris ingenioſiores qualis fuit meo tempore Cęſar Cremoninus cum ſtatura procera, humeros nonnihil curuos, & gibbos obtinente: ſic Pompeius Caimus Theoricæ Medicinæ Patauij profeſſor clariſſimus, in ſtatura parua humerorum gibboſitatem gerebat: ſic Fabius Pacius Medicus Vicentinus ſcriptis editis illuſtris, in breui admodum, & puſillo corpore humerorum contractionem, & apertam gibboſitatem ſortitus erat. Inter inclitos alterius Æui Duces Liuianus viuaciſſimo, & militari ſpiritu praeditus, humeris ex Iouij teſtimonio erat gibbus, cui noſtro tempore, vt virtute non impar, ita corpore non diſſimilis Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux. Alij non deſunt quamplurimi antiquas, vel recentes hiſtorias voluentibus obuij. *Gibboſitas ingenij ſignum.*

Addit porrò tertium ſignum, ſcilicet (Inferiora laxata) in ingenioſo reperiri: intelligit autem, manus, pedes, genua eſſe facili dearticulatione prædita, ita vt in omnes conuerti partes poſſint, perinde ac nonnulli circumforanei ſaltatores obtinent, qui corpus mirabili circumuolutio- *Facilis partium corpo-*

 ne fati-

ris mot⁹ eſt ingenij ſignum.

ne fatigant; ratio huius ſigni eſt, quia laxata extremorum dearticulatio, fit à ſubtili humiditate, quę eſt aerea, ac laxitatis, & mollitiei eſt cauſa; mollitiem autem aeream, mediamq; eſſe ingenio aptam ſatis oſtendimus, ſicuti duritiem ineptam; & ideò habentes manus, pedes, & genua veluti torpida quadam articulatione mobilia, minimè dicuntur ingenioſi: non examinat autem Philoſophus huiuſmodi ſignum in partibus corporis medijs, ſicuti examinat in extremis, quia mediæ cum ſint propè cor, quod in ingenioſis eſt calidius, ac ſiccius, ſunt etiam aliquantò calidæ, ac ſiccæ, ac reſpectu extremorum non ità laxæ: propterea ſubiungit ingenioſum habere, bene ſoluta, quæ circa coſtas, quod eſt quartum conformationis ſignum, & intelligit pectoris partes, ſcilicet ſternũ, & coſtas eſſe benè, ideſt cum ratione, ordine, ac perfectione quadam ſeparatas, non tamen laxatas, ſed commodè iunctas, ita vt rectè ſuam edant operationem: cauſa verò huius commodæ ſolutionis eſt, quia cor ingenioſi eſt calidum cum mediocri humiditate, & aliquantò maiori ſiccitate; quare mollitiem (vti diximus) in carnibus gignit, at mollitiem non ſpongioſam, ſed conſiſtentem, vnde fit membrorum ſolutio, ſed recta, & quæ laxitatem nimis diuulſam effugit.

Dorſi gracilitas ingenij ſignum.

Ex his ſequitur, quòd ingenioſus (eſt ſecundum dorſum non carnoſos), quod eſt quintum ab Ariſtotele ſignum propoſitum: pro dorſo intelligit partem illam, quæ immediatè ſub ſcapulis poſita eſt, quæque ex parte poſtera opponitur cordi. Patet huius ſigni ratio, quæ eſt eadem ſuperiùs de colli, & faciei macritie adducta; cum enim vegetus in corde ingenioſorum inſit calor, qui per magnam arteriam dorſo alligatam in totum effunditur, maior etiam dorſo calor communicatur, quàm muſculis pectoris anterioribus, proinde magis etiam illud exſiccatur, & fit ex carne. Alia etiam eſt accidentalis ratio, quòd in ingenioſis adſunt obſtructiones, ex his calor hepatis augetur, ventriculus infirmatur; ex hac autem diſſona vtriuſque viſceris temperie, cùm mala fiat concoctio, malè etiam corporis partes nutriuntur, ac præcipuè dorſum, vbi magis calor ſiccus ob cordis viget communicantiam.

## *De ingenij ſignis ex totius corporis conformatione. Cap. IV.*

HVcuſque partium conformatio poteſt eſſe perſpecta, quæ conducit ingenio tanquam cauſa inſtrumentalis, quæque per conſequens vti ſignum patefacit illud: modò eſt etiam explicanda totius corporis conformatio, ex qua eiuſdem ingenij ſigna deſumuntur. Ea verò præſertim in magnitudine, vel paruitate ſpectatur, de qua optimè omnium Ariſtoteles in fine lib. Phyſiogn. quare ab

eius

eius doctrina, ne latum quidem vnguem diſcedemus.

Septem in illo tex. Theoremata ſtatuit, de paruitate, ac magnitudine corporis, ex qua ingenium deprehenditur.

Primum eſt, quòd quicunque habent ſtaturam valdè paruam, illi ſunt acuto ingenio inſigniti: addit rationem, quia motus ſanguinis, ac ſpirituum fit in paruo loco, quamobrem hi velociter à corde ad cerebrum, & viciſſim à cerebro ad cor feruntur; talis autem velocitas facit ad promptitudinem, celeritatemq; diſcurſus, in qua etiam ingenij conſiſtit acuties. Quinam parui, & magni ſint, explicari debet per regulam ſtaturæ quadratæ humani corporis, quam ſuprà in vltimo cap. 1. lib. diximus in Italia eſſe quatuor pedum cum dimidio circiter; nam homines ab ea deficientes parui, eam excedentes magni dicentur, ita tamen vt in paruo defectu, vel exceſſu, mediocritatem non dicantur amittere, ſed ſolùm ſi defectus, vel exceſſus ſit notabilis, puta quatuor, vel quinq; pedis vnciarum. Parui igitur homines erunt, qui in ætate iam adulta non excedunt quatuor pedes, quæ communis eſt paruorum ſtatura: qui per tres vncias ab hac deficient, erunt minores paruis, qui verò tres pedes cum dimidio non tranſcendent, erunt valdè parui, tandem ſi duobus pedibus cum dimidio conſtent, erunt puſilli, & maximè parui. Infrà hanc menſuram nani tantùm erunt, & monſtra, nec inter perfectos homines reponendi. Menſura igitur valdè paruorum, quos Ariſt. ingenio acutos appellauit ex his habetur. Sed interim ſupponendũ eſt etiam huiuſmodi paruitatem cum ſimmetria, & proportione eſſe debere, nec non cum bona caloris natiui quantitate, æque ac habeant ferè ij, qui mediocri ſunt ſtatura præditi; hac enim ratione parui corpore, cum quadrati ſint, ac benè formati non ſolùm valent ingenio prompto, & acuto, ſed ob iracundiam ex calore in paruo loco concluſo adeptam, & præcipites, & manu prompti euadunt, inde bellicis miniſterijs aptiſſimi, qualis omninò extitit ex Dionis teſtimonio Antonius Caracalla, & ex Sigonio Narſes Perſus, qui etiamſi eſſet eunuchus (quæ res, vt ait Auenzoar medicus perdit intellectum, ideòque caſtrationem chyrurgis omnibus prohibet), attamen in paruo corpore animum inuictum, excellentemque gerebat. Sic apud Homerum Tideus Diomedis pater, paruo quidem corpore, ſed animo inclito præſtitit, & ingenti, quare cecinit ille.

*Paruitas corporis ingenij ſignũ.*

*Paruorum, magnorũ mediocriũ mẽſura quæ.*

*Ingenioſorũ Paruorum exempla.*

*Vtilior Tideus, qui ſi quid credis Homero,*
*Ingenio pugnax, corpore paruus erat.*

Hinc illud apud Papirium.

*Maior in exiguo regnabat corpore virtus.*

Quod Virgilius in Georgicis ad apes tranſtulit.

*Ingentes animos anguſto in corpore verſant.*

Con-

Conſtat etiam Nicolaum Picinninum à paruitate corporis dictum, elapſo ſæculo eximium fuiſſe Ducem, quia verè paruitas cum recta membrorum compage, ac formatione ingenio maximè confert; quod in alijs innumeris poſſet adnotari.

*Magni non ſunt valdè ingenioſi.*

Secundum Theorema eſt, quòd homines valdè magni ſunt ingenio tardi, quia motus ſpirituum à corde ad cerebrum tardi fiunt, ob magnã vtriuſque membri diſtantiam, ex hoc autem tardo motu, tardus etiam ſequitur diſcurſus, tardaque ac imperfecta ad diſcendum, & intelligendum habilitas. Ex hoc manauit adagium: homo longus raro ſapiens: huiuſmodi autem longitudo intelligitur eſſe quinque pedum cum dimidio; quia ſicut corpus per quinque pedes longum dicitur magnum, ita corpus obtinens ſuprà huiuſmodi menſuram pedis dimidium, dicetur valdè magnum, de quo Ariſt. loquitur. Exempla huiuſmodi confirmantia dictum non deſunt: nam Germani, & Heluetij vaſto, & excelſo corpore (ait Tacitus) ingenijs quidem præſtant ferocibus, & bellicoſis, at natura intellectus operibus idonei non cenſentur, (licet ſtudio multùm profecerint) reſpectu Hiſpanorum, qui longè breuiori conſtant ſtatura, ideòque ſcientijs apti, & ſagaci, acutoque præpollent ingenio.

*Parui corpore calidi & ſicci carent ingenio.*

Tertium eſt, quòd parui corpore ſicciori carne dotati, vel colore, vel alio accidente, quod exceſſum ſequatur caloris, ſeu (quod idem eſt) qui calidam, & ſiccam obtinent temperaturam, actionibus, diſcurſibus, vel ſpeculationibus ſunt inhabiles: ſubdit rationem, quia in paruo loco, & anguſto, qualis eſt ſpacium inter cor, & cerebrum hominis parui, motus ſanguinis, & ſpiritus fiunt celerrimi, ac vehementes, quare antequã vnus motus ad ſuum terminum perueniat, ſuperuenit alius, & ſic ſubinde alius, atque alius, qua ratione ſe mutuò iſti motus impediunt, & confundunt, ex quo indiſtincta, confuſa, tarda, inſipiens, & furioſa quędam reſultat, tùm ad intelligendum, tùm ad agendum facultas. Hinc ex Ariſt. ſententia colligitur, ingenium calore nimio perturbari, quem ſiccæ carnes, & colores aduſtiores præmonſtrant in corpore, temperato autem ſummopere adiuuari, vt qui motum ſpirituum non confundit: eum verò carnes oſtendunt molles, & color moderatus, vti ſuprà toties edocuimus.

*Magni frigidi & humidi nõ valent ingenio.*

Quartum eſt ſuperiori contrarium, quòd homines magni corpore, temperie frigida, & humida præditi, ingenio, & mente nihil valent, nec actionibus gerendis ſufficiunt, quia nequeunt illas perficere: ratio eſt, quoniam motus ſpirituum, & ſanguinis in loco magno, & amplo factus propter frigiditatem (vt ait Philoſophus) tardè accedit ad ſapere, ideſt tardè à corde ad cerebrum peruenit; nam calor eſt motus cauſa, non frigiditas, quæ eſt cauſa torporis, & quietis: huiuſmodi autem tarda ſpirituum motio eſt ingenio inimica, cuius vigor in celeritate conſiſtit:

ſtit:

ſtit: propterea indociles, ignaui, ſtolidi, & imperfecti huiuſmodi homines adnotantur. Frigidæ atque humidæ corporis temperiei ſigna petantur ex Galeno cap. 58. ar. par. vbi ait. Frigidior & humidior temperatura, ſi parùm exceſſerit capillis nuda eſt, & alba, & mollis, & craſſa, & pinguis: ſi verò magis exceſſerit, reliqua quidem ſunt ſecũdum proportionem augmenti qualitatum, color autem vnà cum capillis ruffus, quemadmodum ſi plurimùm vtraque augeatur liuidus. ſubticet iſtorũ rationem Galenus, ſed eſt euidens, quia huiuſmodi temperies eſt ſine pilis, ideſt paucos habet pilos propter paucam aduſtionem, eſt alba ob defectum ſanguinis rubificantis, & frigoris multùm per congelationem liuidum faciẽtis: eſt mollis ob aqueam humiditatem: eſt craſſa ob paucam reſolutionem, ac prædominium humiditatis: eſt pinguis quippeà debili calore, vnctuoſæ partis ſanguinis non poteſt fieri diſſolutio, eſt verò ruffa cum capillis ſi exceſſerit, quia phlegma ſuperans ſanguinem facit ruffedinem; ideſt citrinitatem, (quæ eſt cum albedo ſuperat rubedinem) ſicut hic ſuperans phlegma veram facit rubedinem: eſt demùm liuida ob frigiditatem congelantem. Ac notandum, quòd cum hìc adducitur mollities tanquam ſignum huiuſmodi corporis, non per hoc confunditur cum mollitie corporis ingenioſi propria, quia hæc eſt aerea in corpore macro, & mediocri, ea verò eſt aquea in corpore pingui, & magno.

*Thadeus Florent. Comm. cap. 88. ar. par. Gal.*

Quintum eſt, quòd homines parui corpore mollem, & muccidam, ſeu flaccidam carnem habentes cum coloribus, & alijs, quæ propter naturale frigus corpori inexiſtunt humano, ſeu quod idem eſt, qui frigida, & humida conſtant temperatura, ſunt ingenio ad animi operationes obeundas accommodato. Ratio eſt, quia quantum motui ſpirituum & ſanguinis obeſt frigiditas, tantùm confert breuitas ſpatij, quod inter cor, & cerebrum interiacet ob ſtaturæ paruitatem, quare temperiei nocumentum ex conformationis beneficio compenſatur. Nam motus ſanguinis, qui aliàs tardè ad cerebrum factus inutilis euaderet animæ functionibus, remanet ſufficiens, & bonus ob breuem termini, ad quem fertur, diſtantiam, quæ tarditati ſupplet, vnde motus reſultat ſymmetrus, & proportionatus, in qua ſymmetria poſita eſt naturalium actionum perfectio. Frigidam, & humidam temperiem ex ſuprà memoratis ſignis internoſces.

*Parui frigidi & humidi valẽt ingenio.*

Sextum eſt, quòd quicunque magno corpore carnem ſiccam, & colorem obtinent, qui caliditatem ſequatur, ſeu (quod eſt idem) magni corpore calidi, & ſicci, ſenſati, & bono præditi ſunt ingenio: addit rationem, quippe ſicut magni frigidi, & humidi ob diſtantiæ longitudinem inter cor, & cerebrum, & ob motus tarditatem ingenio ſunt inepti, ita magni calidi, & ſicci, quia ſpacij diſtantiam compenſant motus celeritate

*Magni calidi, & ſicci valent ingenio.*

tate à calore in ijs prædominante excita, ideò ſymmetriam quandam operationis acquirunt, ob quam ingenij functionibus apprimè ſunt idonei. Sanè huius veritatem aſſertionis apertiſſimè docet experientia, macros enim & longos aduſto colore quamplurimos aduertere licet excellenti micantes ingenio. Talis fuit Iulius Cæſar Suetonio teſte, ac Brutus, & Antoninus Pius, ac inter literatos Iulius Cæſar Scaliger, aſſerens ſe quinque pedis magnitudinem attigiſſe, patremque ſuum tota facie ſe ipſo maiorem fuiſſe. Nicolaus Leonicenus ciuis meus hoc etiam fuit corporis habitu, & ſtatura (vt ait Iouius), ſicuti Iuſtus Lipſius, Iacobus Zabarella, & Cæſar Cremoninus. Iàm pridem conſpexi Venetijs Pompeium Targonium Romanum ingenioſis operibus, & machinis in Rupellæ Vrbis expugnatione fabrefactis, Ludouico Regi Gallorum iuſti cognomen adepto cariſſimum, macram hanc, & prælongam corporis ſtaturam gerere. Alios prætereo innumeros illuſtres ingenio viros, qui ad ſigni hoc in theoremate poſiti comprobationem poſſent adduci.

Dubitatur, quia Philoſophus hìc ait, carnibus ſiccis homines eſſe ſenſatos, & ingenioſos; quomodo igitur ſuprà dictum eos eſſe carne molli? Reſpondetur, quòd nos etiam ſuprà conceſſimus, ingenioſos reperiri carne ſicca, & aſpera, qui nimirùm temperamento ſunt calidiori, & ſicciori: alios verò, qui ad mediocritatem vergunt temperamenti ſemper eſſe carne molles, eoſque perfectiores pronunciauimus. Ariſtoteles hîc primos examinat: ſecundos autem in theoremate ſubſequenti.

*Mediocres corpore sũt ingenio excellentes.*

Septimum & vltimum theorema eſt, quòd homines præditi media corporis ſtatura ſunt in animæ actionibus excellentiſſimi: patet hoc, quia motus ſanguinis, & ſpirituum ſunt temperati, quare neque ex motuum frequentia, & multiplicitate fiunt ſenſationes præcipites, ſicut in breui, eaque calidiori ſtatura; neque fiunt motus tardi, ſicut in longa, eaque frigida: ſunt igitur inter extrema conſtituti, itaque mirum non eſt, ſi cæteris perfectiores exiſtunt, tàm in agendo, quàm in contemplãdo, iudicando, & ſentiendo, nam ſenſus ipſe quædam eſt mediocritas, vt habetur 2. & 3. de anima. Hîc nota, quòd Ariſt. proponit ſolam conformationem ſtaturæ mediocris abſque mentione temperamenti, vt in alijs fecit theorematibus, quia hîc voluit innuere cauſalitatem (vt ita loquar) conformationis reſpectu ingenij, quæ (vti ſuprà diximus) confert per ſe aliquid ingenio, ceu res à temperamento diſtincta, nimirùm ratione ſpacij, & loci, cuius determinata conditio eſt ingenio neceſſaria, vt monſtrauimus; hanc autem cum à nimis auguſto, vel à nimis magno lædatur ingenium, à ſola obtinet conformatione. Quare meritò ab ipſa, vtpotè ab ingenij cauſa ſigna eruenda tradidimus. Collige hinc etiã mediocritatem temperamenti eſſe omnium qualitatum ingenio vtiliſſimam, quia pro hac etiam per analogiam quandam valent rationes, quę

pro

pro ſtatura mediocri afferuntur, quas cum alijs plurimis in primo ſuperiore libro luculenter adduximus.

Quæritur vtrum ſint meliores, celeres, an tardi, magni, an parui? dicimus vtroſque eſſe damnandos: celeritatem tamen minùs nocere, quã tarditatem, quia magis fortunæ aleam experitur, vt eius bono fecit Cæſar, & ante ipſum Claudius Marcellus Hannibalis impugnator acerrimus. Noſtris temporibus Bartolomęus Liuianus hac dote fuit plurimùm commendatus, ipſamque Cicero in Oratione pro L. Manilia in perfecto requirens imperatore, extollit etiam ſummopere in Pompeio. Porrò magni perraró acuto iudicio, excelſoque nitent ingenio, ſicut etiam parui, licet hi magis: nam verum, & (vt aiunt medici) pathognomonicum, ideſt proprium bonitatis ingenij ſignum eſt ſtaturæ mediocritas: tamen parui videntur meliores, deducto ex naturæ operibus argumento, quæ in rebus paruis excellentiorem ſui partem videtur conſtituiſſe, quàm in magnis; ſicut in gemmis, & margaritis animaduertere licet, necnon in corporis partibus, vt oculis, teſtibus, corde, quæ cæteris grandioribus membris, vt pulmone, inteſtinis, ventriculo, multò ſunt perfectiores, cùm nobiliori ſint functioni dicatæ.

*Celeres in agendo & parui corpore ſunt perfectiores tardis ac magnis.*

## *Ingenij ſigna ex cauſis externis quomodo deducenda. Cap. V.*

VT in propoſita methodo hauriendi ſigna ingeniorum ex cauſis inſiſtamus, ſupereſt, vt ab internis transeamus ad externas, quæ faciliorem omninò præbent ingeniorum ſignificationem, vt pote ſenſui notiores. Nulli enimuerò dubium eſt, quòd ſi quis exempli gratia ſub aere frigido ſit natus, ac degat, minùs valebit ingenio, quàm ille, qui aerem ſortitus fuerit calidum, & vtroque perfectior erit ille, qui aerem ſortitus fuerit temperatum: valebit autem viribus corporis magis frigido vtens aere, quàm temperato, minùs autem hoc ille, qui vtetur calido. Porrò qui in ſicciore erit aere, ſiue cum frigiditate, ſiue cum caliditate iuncto ſemper ingenioſior pronunciabitur, quàm degens in humidiori. Inſuper maiori valebit ingenio ille, qui in loco vixerit, vbi raró, vel nunquam flauerit Auſter, quàm qui Auſtro ſæpè flanti fuerit ſubiectus: quod idem dicetur de locis, vbi flauerit Boreas, Zephirus, vel Eurus, eſſe nimirum ingenioſiores, qui patiuntur à Borea, & ab Euro, quàm qui à Zephiro: & eos, qui regionem incolunt macram, quàm qui pinguem, itemque illos, qui in collibus degunt irriguis, quàm qui in montibus macrioribus: præterea magnum, & perſpi-

cax ingenium obtinent accolæ maris, & littorum eius, reſpectu accolarum propè fluuios, paludes, & lacus. Sic homo optimis vtens alimentis præſtantior erit prauioribus, & groſſioribus enutrito: ſobrius præſtantior erit intemperato: vorax cum hypocōdriorum obſtructionibus, magis excellet vorace ſine ipſis: bibax interdum etiam per accidens magno valebit ingenio. Ampliùs qui regione inſederit Septentrionali præſtabit ingenio mechanicis, & opificijs apto, ac etiam bellicoſo: in auſtrali autem homo ingentem in contemplationibus poſſidebit vigorem, verùm timidum, triſtemque genium: in orientali homo natus, & cultior, & manſuetior, & rebus gerendis aptior, ac ſtudijs etiam erit: in occidentali qui vixerit ſignum præferet ingenij potiùs armis, quàm literis pronioris, ac potiùs artibus cuiuſcunque generis, quàm ſcientijs, quibus tamen ſunt habiles. Qui verò ex regione inter harum vnamquamq; media prodibit, medio etiam inter ſupradicta fulgebit ingenio, æquè ſcilicet ſtudijs, & artibus, & armis obnoxio.

*Hiſpanorũ ingenia & Gallorũ &c.* Atque ad magis particularia deſcendentes: Hiſpanos iudicabimus eſſe potiùs rerum iudices, quàm inuentores, nec non potiùs ad grauiores, & ſcholaſticas ſcientias propendere, quàm ad humaniores, & ſagaces eſſe, ſimulatores, & ambitioſos, & rerum conſilia ſeriùs decoquentes: Gallos iudicabimus eſſe potiùs inuentores, quàm iudices: & contemplationi parùm deditos, ſed humanioribus literis, & ſtudiorum varietati, impetuque magis trahi, quàm conſilio, & acuto magis, ac docili, quàm laborioſo, & meditabundo præſtare ingenio. Italos inter hos eſſe medios dicemus, acutos nimirùm, prudentes, & verſatili ad omnia genio. Batauos armis, & opificijs, & arte nautica, non æquè literis eminere. Britannos armis æquè, ac literis, ſed in opinionibus admodum pronunciabimus obſtinatos. Scotos autem rixoſos, & factioſos, & venatica pollentes induſtria, cum imperfecto ingeniorum aliâs acutorum cultu, vel artium.

Eadem ratione huius, vel illius vrbis ingenia dijudicabimus ex particulari vniuſcuiuſque ſitus conditione prout ſcilicet vel Orientem, vel Auſtrum, vel Boream, vel occidentem ſpectabit, cuiuſmodi exercendi iudicij norma in lib. 2. præſcribitur cap 12 Pariter ſi natales ſingulorum animaduertemus, facilè coniectabimur, an ingenio quis polleat, nec ne, iuxtà illud Poetæ, fortes creantur fortibus: nam filium, vel nepotem exempli gratia Cæſaris, quis non iudicet eſſe belligerum, ſagacem, *Simile ſimili generatur* & clementem, filium Catonis prudentem, & iuſtum, Męcenatis Poeticæ deditum, & liberalem? quis porrò Demoſtenis filium non coniectetur eſſe Eloquentem, Socratis amantem Philoſophiæ, Ariſtotelis diſputatorem, ac ſubtilem? Eſt enim herculè huiuſmodi ſignum, quod à familijs ſumitur non omninò ſpernendum, ob ſimilium intentam à natura pro-

ra pro-

ra propagationem. Præterea nec erit inutile ſatagere, quo quis animi affectu trahatur; valet hoc enim mirificè ad ingenium deprehendendum, cuiuſq; venandi ſigni rationem exactiſſimè ſuprà docuimus eod. lib. 2. cap. 14.

Quod verò nobilitas multùm indicet ſuper ingenium inficiabitur nemo; nobiles enim eatenus dici videntur homines, quatenus cæteris præſtantiores cenſentur, ac ignobiles quandam videntur imperfectionis notam præferre: quare vel ipſi Iudæi diuinos audientes à Domino ſaluatore ſermones, admirabiliaque ipſius videntes opera, obſtupeſcebant, quòd ea poſſet eloqui, vel facere, qui faber, & filius fabri Ioſephi erat; propterea ipſum non alium eſſe poſſe, quàm vnum ex nobiliſſimis, nimirùm vel Dauid, vel Eliam, vel Io: Baptiſtam à mortuis reſurrectos aſſeuerabant. Hac de cauſa Ariſt. Rempublicam ex nobilioribus conflatam omnino aſſerit eſſe meliorem.

A diuitijs verò, vel paupertate ingenium etiam emetiri non eſt abſurdum: diuites enim raro eſſe ingenioſos, & naturali, & morali ratione ſatis liquet: inopes autem acutiores eſſe norunt omnes: verum eſt, quòd iſtorum ingenium iudicari debet improbum, niſi vel fortuna iuuetur, vel aliquo æris domeſtici ſubſidio fulciatur; horum enim defectu ad prauum trahuntur inopes, ac vileſcunt. Cæterùm virum honoribus auctum plerunque grandiori eſſe præditum ſpiritu, atque ingenio affirmabimus, quàm deiectum iuxtà illud Liuij: magni fiunt animi magnis honoribus. A morbis demùm nullam ſumemus ingenij notam, præterquā ab hypocondriaco ſuprà ſæpiùs memorato, quo affectos vt plurimùm valere ingenio experimur.

Neque verò ſi educationem hominum inſpexeris, ineptè ſuprà ingenium iudicabis, quæ ſi bona fuerit bonum, & excellens indicat ingeniū, ſi mala imperfectum: cum enim ea gerat vim conſuetudinis, hæc verò alterius vim naturæ, poteſt ea ingenium inſtar naturæ plurimùm alterare. Ex religione pariter ingenium ſubodorabimur, quod in Turcis imbecillum, quippe in ſtudijs inexercitatum, ac rude: Hebręis autem non mediocre aſſignabimus, vt quod ſacrarum cultu excitant literarum, & fęneratitiæ negotiationis exercitio. Ità hæreticorum ingenium teterrimo in Romanum Pontificem odio ad inuentionem probrorum, & ſophiſmatum habile proferemus. Et ingenio etiam magis, vel minùs præſtare quemquam aſſeremus, pro perfectiori religionis, cui ſe in Romana Eccleſia addixerit conditione; cum aliæ ipſum impensè colant, aliæ parùm. Lex quia coincidit cum conſuetudine, cum ſuis quiſque legibus aſſueſcat, eandem habebit indicandi vim ingenij, ac ipſa conſuetudo. Societatem porrò ingens præbere, & morum, & ingenij argumentum ex Ariſtotelis patet oraculo, quod ſimile appetit ſimile: &

*lib. de ſenect.* M. Tullij, quod pares cum paribus coeunt. Itaque ex vnius ſocij indole, atque ingenio, alterius etiam vel bonum, vel malum coniecturari fas eſt. Sic de ſtudijs dicendum, ex quorum progreſſu ingenium in aliquo ineſſe, vel non, tutiſſimè detegemus. In ſumma ex hoc externarum omnium cauſarum cathalogo, quarum ſuprà vim fusè tradidimus, curioſi perſcrutatores probabilem poſſunt ingenij in homine exiſtentis aſſequi coniecturam. Iam verò abſoluta ſignorum doctrina ex cauſis omnibus hauſta, conuertendus eſt ſermo ad ſigna ex effectibus depromenda.

## *Ingenij ſigna ab effectibus vt eruantur. Cap. VI.*

Certiſſimam eſſe viam ab effectibus pro rerum abditarum cognitione, abundè ſatis edocet Ariſt. in proœmio primi lib Phyſ. tex. 2. vbi eam eſſe nobis innatam probat, quia effectus longè ſunt nobis ſuis cauſis notiores, quippe ſenſati, nobis inquam rudibus, & in ſtatu ignorantiæ conſtitutis: naturaliter autem à noto ad ignotum noſter procedit intellectus. Ergò cum ſuprà conſiderauerimus effectus aliquos, qui faciebant ad notitiam cauſarum ingenij, vt ex his poſteà ipſum dignoſceremus ingenium, modò ſunt ij examinandi effectus, qui non ampliùs cauſas, ſed ipſum immediatè patefacere poſſunt ingenium. Spectantur autem (vti ſuprà diximus) vel in corpore, vel extrà corpus. Et hi ſunt cæteris omnibus notiores, quia ſunt opera permanentia, quales ſtatuæ, picturæ, fabrilia opera, & huiuſmodi alia, quæ ſunt etiam certa ingenij ſigna, quia ſunt veri, & reales effectus ab ipſo prodeuntes, dummodò ſint excellentes, in quos propterea intuens quilibet planiſſimam de artificis ingenio ſententiam pronunciabit.

Ignotiores aliquantò ſunt effectus in corpore, qui vel ſunt interni, vel externi. Primi ſunt vocati principes, intelligere, imaginari, memorare: porrò & iraſci, timere, amare, miſereri, & cæteri, quos animi paſſiones vocant. Vtrique per externas manifeſtantur notas: hæ quidem paſſiones per accidentia exteriùs in corpore apparentia, de quibus Phyſiognomia ſatis, & nos etiam ſuprà cap. 14. lib. 2. vbi quomodo per eas ingenium dignoſcatur docuimus. Principes autem effectus, qui verè ſunt effectus ingenij per ſe occulti, per externum quendam præcipuum deteguntur actum, qui eſt ſermo vel tacitus in ſcriptis, vel expreſſus per vocem: quando enim quempiam mira, innumera, ſubtiliaque ſcribentem in ſcientijs, vel artibus, aut eadem voce, publicè, priuatimque pandentem audimus, ſtatim latentem in ipſo intellectus, phantaſiæ, vel memoriæ vim dijudicamus. Hoc enim fuit antiquum Socratis dogma, qui

*Sermo eſt maximum ingenij ſignum.*

adole-

adoleſcentem ſibi à pedagogo oblatum, vt illius inſpiceret indolem, iuſſit eloqui, iudicans hoc ſcilicet non mendax animi argumentum. Ita Diogenes apud Laertium ſibi videri mirum aiebat, quòd cum ollam, aut operculum non emerent homines, niſi pulſu, aut tinnitu, ita in emẽdo homine, ſolo aſpectu eſſent contenti: ſignificans nulla ex re meliùs cognoſci hominem, quàm ex oratione: ſic enim ait Quint. lib. 8 ſermone hominem, vt æra tinnitu dignoſcimus. Pariter Democritus apud Stobeum inquit: ſicut in ſpeculo faciei figura, ita ex verbis animi qualitas vniuſcuiuſque hominis deprehenditur. Et Chryſippus interrogatus, quid eſſet mens hominis: ſermonis fontem eſſe reſpondit; ſicut enim riuuli ex fonte fluunt, ſic ſermo ex corde, ac mente hominis prodit. Per hoc igitur maximum, potiſſimumque ſignum, interni animi affectus patefiunt. Ac prout ſermo erit concinnus, vel inconcinnus, copioſus, vel breuis, ſedatus, vel citatus, tardus, vel celer, varium etiam indicabit ingenium vt ſupra lib. 2. cap. 6. latiùs dictum, ad quem locum te referes.

*Cic lib. 1. Tuſcul.*

*lib. 6.*

*Stob. ſer. 6.*

Cæterùm præter ſermonem alij etiam in corpore apparent externi effectus, ſeu ſigna, internos iamdictos, ſiue ingenium ipſum indicantia, & ſunt illi nouem, ſuperius in 2. huius lib. cap. allati, quorum etiam aliquot cum tangat Ariſt. in adducto ſuprà à nobis tex. ex lib. Phyſiogn. quos hùc remiſimus explicandos, ideò continuandæ gratia doctrinæ, ſunt hîc ante alios exponendi. Erant igitur in calce illius textus externi effectus, ſeu ſigna ingenioſi propoſita. corpus album mixto rubore, & purum, cutis tenuis, pili non valdè duri, nec valdè nigri, oculus charopus, humidus. Primum à colore ſignum veritatem ſortitur in homine probè temperato pro ingenio; cum enim ille ſanguine ſubtili, ac bilioſo ſit præditus cum ſubdominio pituitæ ac melancoliæ, probabile eſt ipſum eſſe albo, ac ſubrubro corpore, in hoc præſertim climate, quod habitamus: at verò in homine abundantiori, ac aduſtiori bile referto, quales eſſe præcalidos, & ſiccos diximus, huiuſmodi ſignum non eſt verũ, præſertim in calido climate, quia verè ipſorum corpora ſunt ſubnigra, & fuſca, vt Arabum, Hiſpanorum, Pœnorum, quos ideò multò cæteris acutiores, ac ſolertiores animaduertimus: & in hoc etiam climate ingenioſi quàmplurimi, colore cuiuſpiam aduſtionis participe conſtant, quippe (vti ſæpiùs innuimus) licet ingenioſus perficiatur à temperato calore, tamen huiuſmodi calor ad exceſſum magis vergit, quàm ad defectum, vnde color etiam huiuſmodi qualemcumq; referens exceſſum, ſcilicet ſubaduſtus. Verum tamen eſt, quòd ſi ſit albus cum rubore, vt ait Ariſt. erit perfectiſſimus, quia calorem indicabit magis ad temperatum accedere.

*Color ingenioſi.*

Sed hoc ſignum à colore pro manifeſtando ingenio parui eſt momenti,

menti, ac incertum, niſi cum grauioribus ſignis coindicet. Quod ait eſſe debere colorem purum, intelligit ſine maculis, puta lentigine, furfure, ac huiuſmodi alijs. quæ etiamſi in corpore candido cum rubore inſint, ingenium tamen non deſignant, quoniam ſunt impuritates exuſtionem bilis, vel flauæ, vel atræ ſequentes, ex quibus durus, incredulus, aſper, obſtinatus, vipereus fit homo; refert enim viperarum corium huiuſmodi maculis conſperſum.

*Maculæ in facie quid notent.*

Secundum à cutis tenuitate ſignum non eſt, cur hîc rurſus referamus, cum ſuprà vbi egimus de cutis mollitie, id ipſum ſatis enodauerimus. Tertium ſignum eſt à pilis, qui nec valdè duri, nec valdè nigri debent eſſe, ſed quales in vulpibus, muſtellis, & alijs ingenioſioribus animalibus inueniuntur: quin etiam in auibus ſolertioribus molliores adſunt plumæ, vt in ſitta aue, quæ ſolertiſſima omnium habetur. Huius ſigni licet leuis (quia pilus eſt excrementum) illa eſt ratio, quòd nigredo nimia indicat caloris exuperantiam; ingenium autem calorem poſtulat temperatum: duritiem pariter vndecunque excluſimus à corpore ingenioſi, in quo mollitiem perpetuò requiſiuimus ob cauſas ſatis adductas, ergo pili non duri, ſed molles potiùs debent eſſe. Adde hîc ex Adamantio, capillos neque rectos, neque multùm criſpos eſſe debere, neque candidos, hi namque fiunt a pituita, quæ ſtuporis eſt mater, neq; fuluos; hi enim prodeunt a bile, quæ nimis agitat; neque aureos, quales in Commodo Imperatore; hi enim moderatam nimis denotant caloris actionem in bilem, & ſanguinem purum; at ingenioſus vegetiori quodam eget calore, qui nonnihil adurat, & portiunculam atræ bilis gignat in ſanguine, adhoc vt is reddatur ſiccior, ſpirituoſior, & ingenio aptior. Debent igitur capilli eſſe ſubnigri, vel vt huiuſmodi temperiem oſtendant caſtanei.

*Pili ingenioſi.*

Quartum ſignum ſunt oculi charopi, & humidi. Per charopum Baldus in Comm. Phyſiogn. intelligit colorem cæſium, qui eſt ſubuiridis ſplendens; at me iudice labitur, ſi quidem Ariſt. 14. ſect. probl. 14. ait cæſium colorem in oculis à multo fieri calido interno cerebri, vt in ſeptentrionalibus: at ingenioſi moderatum in cerebro calorem obtinent, qui cæſium non poſſit gignere. Prætereà 5. de generat. animal. cap. 1. proponens varios oculorum in homine colores, inquit, alios cæſios, alios charopos, alios nigros, alios caprinos fieri: diſtinguit igitur charopum à cæſio. Simon Portius in opuſculo de coloribus oculorum, per charopum intelligit rauum, qui conſtat ex colore nigro, & flauo ſplendenti, ex quo pulcherrimus redditur oculus, qui charopus à Græcis dicitur, latinè ſonat quaſi gratioſum: Grecæ linguæ theſaurus vocat iucundum, & gratum. Horatius ab oculis rauuam lupam vocauit impropriè, notans nimirùm colorem nigrum cineritio commixtum, qui luparum eſt

*Oculi ingenioſi quales*

*Color charopus qualis.*

pro-

proprius; ſed rauus deſinit in nigredinem ex flauo, ita vt quaſi ſubflauus ſplendens appellari poſſit, qualis leonibus aſſignauit Homerus. Cęterùm quia charopus hic color multam habet latitudinem, ideò nonnulla animalia magis, alia minùs charopum gerunt, vt homo minùs quam leo, vel aquilæ, aut vultures, qui maiori oculorum ſplendore niteſcunt. In hac ego ſententia faciliùs acquieſco, quia color iſte oculorum magis conſonat ingenioſi temperaturæ, qui moderatam cum ferat in cerebro melancoliam, cum partibusbilioſis, atque pituitoſis tenuibus, æquum eſt flauitiem ex bile, nigredinem ex aduſta melancolia in oculo apparere, ac proinde ſplendorem ex ſpiritibus ſiccis, ac puris ex hoc vtroque humore progenitis, & ad oculos transfuſis; à pituita verò rationabile eſt fieri humidos, quia hæc in eius cerebro, ſubtili, tenui, & aereæ multæ humiditati confuſa reperitur: & hæc vera eſſe intelligãtur, ſi oculi ſint cum iuſta magnitudine; propterea qui oculum gerunt ſiccum cum indecenti magnitudine; puta ſi prominentior fuerit, & palpitet, aut magnus ſit, firmum eſſe ſtoliditatis ſignum idem aſſerit Portius, certum verò ſi palluerit.

Præter hanc oculorum ſignificationem ab Ariſtotele propoſitam, eſt etiam adiungenda ea, quam eodem Phyſiogn. lib. cap. 10. explicat pro ingenij cognitione; cùm enim oculi ſint veluti lucernæ in corpore, per quas ſpectatur animus, multi ſunt æſtimanda ſigna, quæ ab illis Phyſiognomia docet eruere. Inquit igitur. Qui oculos frequenti tempore mouentes, tincturam quandam veluti immotam habent in albo oculorũ, illi ſunt intellectiui: ſi enim in quopiam fiat vehemens intellectio, ſtat anima ſimul, & viſus. Hanc tex. impoſſibile eſt non eſſe corruptum, quia finis eius nihil conſonat cum principio: Ait, quòd qui oculos frequenter mouent, ſeu nictant, & albuginem ipſorum tinctam habent fuſcedine quadam immobili ſunt ad intelligendum apti; addit huius dicti rationem, quia ſicut homo acriter aliquid intelligens, & contemplãs oculos tenet immotos, & fixos, ita qui naturaliter hac immobilitate ſunt affecti, ij ad acriter intelligẽdum à natura facti eſſe videntur. Quęſo ſi oculorum frequens motus indicat intellectum, cur in addita ratione dicit oculorum immobilitatem eum indicare? ſunt enim hæc ſibi prorſus contraria: ſi vellet illam propoſitionem probare Philoſophus, deberet aſſumere, quòd homo acriter intelligens aliquid, mouet oculos; ſed hoc eſſet falſum; quare in manifeſtas abſurditates hæc nos implicat lectio: debet igitur aliter fieri, vt germanum, ac verum recipiat ſenſum, ſcilicet: Qui palpebras frequenter mouent remanente oculo immoto, eiuſque albo fuſcedine tincto, illi ſunt ad intelligendum apti, ſi enim in quopiam fiat vehemens intellectio, ſtat anima ſimul, & viſus. Hoc pacto tota oratio veritatem continet euidentem; nam palpebrarum nicta-

tio

tio fit à frigiditate partem ſuſpenſam continere non potente, nec non ab humiditate ac mollitie relaxante; mollitiem autem ſemper in iuſto gradu intellectui conferre ſatis oſtendimus: immobilitas oculi, ſiue rarus motus fit à cerebri frigido, ſiue pituitoſo humore, cuius propria eſt tarditas; fuſcedo fit ab humore melancolico, cuius eſt color aduſtus, & fuſcus: ſed pituitoſus humor cerebri cum melancolico miſtus in debita proportione, ac naturali generat ſiccum molle, qua ratione hominem intellectu, ſeu ingenio apprimè vegetum gignit, ergo palpebrarum motus frequens, & oculorum tardus & fuſcedo in albo ipſorum apparens, quia huiuſmodi temperamentum indicant, ſunt etiam rationabilia ſigna ad noſcendum ingenium maximè opportuna.

Præter hæc ab Ariſt. ingenij ſigna propoſita, afferuntur ab alijs alia, quorum hîc meminiſſe non piget.

*Deſcriptio corporis ingenioſi.* In primis aſſerunt frontem ingenioſi debere eſſe quadratam, non conuexam, non concauam, ſed planam, & æqualem, neque paruam, neque nebuloſam, vel turbidam, ſed in his omnibus mediocrem; porrò neque magnam, neque circularem, neque carnoſam, hæc enim eſt boum, & aſinorum propria ex Ariſt. placito. Supercilia debent eſſe magna, rara, & commenſurata, qualia notata in M. Antonio Peregrino Iuriſconſultorum ſui temporis principe, habebat enim ea longa, & criſpa, quæ cum monſtrarent fortem ſincipitis calorem, magnum etiam phantaſiæ vigorem arguebant, & vulgò cuncti vocant huiuſmodi homines maximo præditos iudicio. Oculi debent eſſe mediocres, raui, ac temperatè humidi, & ſplendentes, ac licet Ariſt. haberet paruos, Socrates magnos, vt ait Laertius in ipſorum vita, tamen illi oſtendebant ingenium aſtutum, & vulpinum, quale inerat Ariſtoteli, quia vulpes gerunt oculos paruos; nec excludebant ſubtilitatem ingenij, cum aſtutia ſit quidam exceſſus ingenij: hi autem in Socrate oſtendebant craſſum, ſtupidumq; ingenium, quale ſibi contigiſſe Socrates fatebatur & Phyſiognomus etiam quidam ipſum inſpiciens iudicauit, ſed habitu virtutis prauas euicit naturæ inclinationes. Facies debet ad macredinem vergere: at dum inquit Porta eſſe debere pinguiuſculam, hallucinatur, vel in ſuimet corporis figura, quam exactè deſcribens tanquam ingenioſi, ait faciem macram continere. Dentes ſint ex latis, & paruis, ex raris, & paruis commixti, ſed rari potiùs, quia ingenioſus non eſt boni habitus, vt ſuprà diximus ex Ariſt. quare vel paucitatem materiæ, vel imbecillitatem patitur, quæ duæ ſunt dentium raritatis cauſæ, iuxtà ipſius doctrinam ſect. 10. probl. 47. tales fuerunt Auguſto, rari nimirùm, parui, & ſcabri, qui egregia, & ingenti floruit ingenij bonitate. Lingua ſit ſubtilis ac breuior: ſubtilis enim & longa eſt ſerpentum propria, proinde crudelitatis indicium: craſſa refertur ad boues, ineptaque euadit ingenio. quippe hu-

pe humoris indicat abundantiam. Manus debent eſſe delicatæ, ac molles, ſicut ipſarum articuli, ac etiam pedum benè formati, & apparentes, ac digiti longi, & graciles: ſic fęmora ſint gracilia, molli, flaccidaq; prędita carne, ſic etiam crura, quæ ſi longiora, vel breuiora iuſto ſint, vel carnoſiora, aut graciliora illaudantur, quia ingenium cum ſit quædam virtus, in medio conſiſtit extremorum; ad macrum tamen ſi deflectant, firmius erit ingenij ſignum, quia partium carnoſitas ab Ariſt. tribuitur inſenſato. Nero fuit pingui ceruice, & gracillimis cruribus, in illa aderat exceſſus, in his defectus: vtraque certum timiditatis ſignum, peſſimi ingenij, & extremæ luxuriæ fuerunt, cum vel ipſius matris concubitum appetierit, ac ſe omni arte in fęminam ſtuduerit commutare.

Vox erit clara inter robuſtam, ac debilem, grauem, ac ſubtilem media: propendet magis ad fletum, quàm ad riſum, ſumma quidem ratione, quoniam ingenioſus eſt ſpeculabundus, rerumque indagator acerrimus, quę paſſio magis ad grauitatem, ac melancoliam, quàm ad riſum detorquet: nam inter ſpeculandum ſpiritus cum calore feruntur ad cerebrum, vrunt humores, ſalſos reddunt, pars inde acrior ad oculorum delabens angulos, vellicat, ideò ſpeculantibus, & attentiùs aliquid cogitantibus fluunt lacrimæ. Inſuper riſus fit à ſanguine plurimo, & dulci: at melancolici ſanguine abundant acriori, vt qui ad ſiccitatem vergunt; propterea, vt ait Fracaſtorius, ebrij, conuiuæ, pueri, ac mulierculæ, quæ ſunt humidiores impenſiùs rident; graues autem, ac præſtantes viri minùs ad riſum ducuntur. Comprobatur hoc etiam in ingenioſo ſignum, epiſtola de Chriſti Saluatoris Phyſiognomia à Publio Lentulo conſcripta, & à Baronio examinata, in qua refertur quod Chriſtus Dominus, ridere nunquam viſus, flere autem ſic: debent autem ipſius qualitates inſeruire nobis pro excellentiſſimi, ac ingenioſiſſimi hominis idea.

*Ingenioſus propēdet ad fletum.*

His additur quòd ingenioſi nullum irrident, ſed potiùs alienas imperfectiones compatiuntur, quia inſito acumine percipiunt etiam ſuas. Ariſtoteles tamen, vt Ælianus aſſerit irriſor fuit: verùm obſeruationes naturales non ſemper, at ſæpiùs verificari ſat eſt.

Demùm quia ingenioſus tot ſe muneribus à natura cumulatū agnoſcit, ſuamque internam præſentit excellentiam, vt ait Ariſtot. ſect. 18. probl. 6. ideò quaſi proprium eius eſt ſignum ambitio, & iactantia; præterquam quòd etiam melancolia eſt refertus, quæ cum humor ſit præ cæteris flatuoſus tumorem, ac faſtum inducit. Hoc in ſingulis obſeruari ſuperque poteſt illuſtribus viris. Cicero de ſe iactanter.

*Ingenioſus eſt iactabūdus.*

*O fortunatam natam me Conſule Romam.*

Horatius quoque de ſe Ode prima.

*Me doctarum ederæ præmia frontium*
*Dijs miſcent ſuperis.*

Græcorum natio præ cæteris iactabunda ſemper fuit, quæ tamen cæteras omnes ingenij præſtantia ſuperauit. Galenus Aſiatica facundia, nunquam in ſuis ſcriptis deſinit efferre curationes ægrotorum ſuorum. Cato Cenſorius (vt ait in eius vita Plutarchus) a iactantia non abhorruit. I. Cæſar Scaliger tertio quoque verbo, per auitam nobilitatem, per ſacros maiorum ſuorum manes, & alias huiuſmodi meræ iactantiæ formulas adiurat. Marinus Poeta, quoties ſuæ indulgeat gloriolæ tumore verborum, in ſcriptis vndecunque ſuis palàm fit. Iacobus Gallus in Patauino Lyceo Iuris profeſſor primarius, toti orbi nominis maieſtate clariſſimus, in frequentiſſimo iuuenum conſeſſu iactabundus extitit vſque adeò, vt dictitaret: non audietis ampliùs alterum Gallum ita canentē. Pompeius Caimus Theoricæ Medicinæ inibi profeſſor eximius, lectiſſimumq; ingenium, ac memoria præditus admirabili, ad nauſeam vſque de ſua eloqui præſtantia, & honoribus conſuerat. Sigiſmundus Boldonius Mediolanenſis intimus meus in eodem gymnaſio condiſcipulus, ac elapſa peſte Ticini in prima philoſophiæ cathedra defunctus, mirum quanta de ſe nobis omnibus prædicaret, licet maiori ex parte vera, cæteris enim æqualibus ferè omnibus, ingenij fælicitate, ac celeritate anteibat. Nunquam concluderem ſi vellem ſingulos ingenioſos hac dote præditos enumerare. Qui enim ipſa carent è contrà videntur abiecto gaudere ingenio, ac frigidum obtinere temperamentum, haudquaquam ingenio conferens, quod longiori confirmatione non eget.

*Ingenioſi veſtiunt ornatè.* Hac abrepti ambitione ingenioſi curioſo etiam, & lauto veſtitu delectantur, quia ſe laudari, & amari cupiunt: omnes autem nitidum magis amant, quàm ſordidum, vt inquit Ariſt. lib. 2. Rhetor. tex. 105. præſertim ſi non odioſa, & exquiſita nimis munditia ſit, ſed (vt 1. de offic. docet Cicero) quæ agreſtem, & inhumanam fugiat negligentiam. Iccircò Ariſtoteles ipſe veſtitum geſtabat mundum, & elegantem, annulis digitos ferebat ornatos, & altiore vtebatur calceamento, vt maior videretur. Demoſtenes etiam ex Aulo Gellio cultum corporis concinnum, & venuſtum nimis oſtentabat. Et Hortenſius orator, adeò ſe ſplendido, ac nitenti veſtitu excolebat, vt L. Torquatus agreſti vir ingenio, ipſum, Dioniſiam ſaltatricem appellaret. Ità quotidie licet alios inſpicere ingenio claros, qui hanc non negligunt corporis elegantiam.

Cæterùm cum ingenioſus tantis, vel ſit, vel eſſe debeat corporis, animique dotibus conſpicuus, quæri poteſt vndenam fiat, quòd multi deformes ſint admodùm ingenioſi, & morales, vt Æſopus & Socrates, videtur enim iuxta adagium apud Scaligerum, qui peruerſum habet corpus peruerſam habere animam, cui conſonat illud Martialis de Zoilo. *de ſubtil. Exerc. 265.*

*Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luſcus:*
*Magnam rem facis Zoile ſi bonus es.*

Præ-

Præterea quæri etiam poteſt; cur pulchri corpore, malo ſint plerunq; ingenio inſigniti, cunctiſque probris obnoxio, vt de Alcibiade Athenienſe, Domitiano, Commodo, Demetrio Rege Antigoni filio, & Hebreo patet Abſalone, qui licet omnium pulcherrimi, cunctis tamen ſe vitiorum generibus deturparunt. Reſpondetur illam in ſingulis eſſe naturæ prouidentiam, vt in generationis opere, cum partium ignobiliorum perficere non poſſit ſymmetriam, incumbat perfectioni nobiliorum, quia natura intendit quod eſt melius; talia verò ſunt cerebrum, cor, hepar, teſtes, in quibus cum conſiſtat ingenium, multos contingit hoc habere perfectiſſimum, cæteris verò conſtare partibus inconcinnis: at hoc ſanè rariùs obſeruatur. De pulchris ſicuti verum non eſt omnes eſſe pulchro, & præſtanti dotatos ingenio, ita nec eſt verum, eos plerunque ingenio eſſe prauo, pro cuius rei captu de pulchritudine diſtinguendum videtur, quę vel pro venuſtate laſciuam quandam, & muliebrem faciem referente capitur, vel pro laudabili, & iuſta partium ſimmetria, proportione, ac decore. Primò quidem pulchri, vt plurimùm ſunt mali, quia præter virilem naturam ſunt affecti: omne autem præter naturam eſt vitioſum. Secundò autem modo, vt plurimùm ſunt boni, ſeu habili nitentes ingenio; ſi nimirùm eam habeant corporis partium conformationem, quam eis ſuperiùs adſcripſimus.

*Cur deformes interdũ ſint ingenioſiſſimi.*

*Pulchri quinam careãt ingenio.*

Et hæc ſint omnia hucuſque ſigna, quæ ingenium in communi poſſunt in aliquo ſignificare. Deſcendendum iam eſt ad alia, quæ particulare in vnoquoque detegunt ingenium. Sed primùm de iudicio, & memoria eſt agendum.

## *Iudicij ſigna.* *Cap. VII.*

CVm in primo huius operis libro firmauerimus ingenium eſſe facultatem intellectus, ac phantaſię, ſigna proximè à nobis excuſſa ingenium demonſtrantia, ſpectabunt etiam ad ipſum intellectum, ac phantaſiam dignoſcendam bonam, vel malam, ac præſertim quæ à capite, ac cerebro ſunt deducta, erunt proximiora vtriuſque potentiæ ſigna, vt pote ab ijs ſumpta partibus, in quibus vtraque principem, euidentiorem, & proximam obtinet ſedem. Iudicium ab ingenio latè ſumpto non differt, vti oſtendimus in 1. lib. cap. 12. nam excellens ingenium iudicij etiam ingentem obtinet vigorem, nec videntur interdum hæ duæ facultates eſſe in eodem indiuiduo ſeparatæ, at vna tantùm in ſignis, quæ vnum ſibi vendicet ingenij nomen. Sic memoria non videtur ab ingenio diſcrepare, quia nonnulla interdum inueniuntur ingenia, quæ magnam etiam ha-

bent memoriam adiunctam, & communi eam cum Tullio ingenij nomine appellamus. Attamen, quia hæ ſingulæ facultates ſtrictè ac propriè ſumptæ differunt eſſentialiter inter ſe (nam ingenium inuentionẽ, & cognitionem magis denotat, iudicium magis diſcretionem ex Philoſopho lib. 1. magn. moral. cap. 3. ſine cognitione, memoria conſeruationem), ideò ſingulorum diuerſa hîc proponenda ſunt ſigna, per quæ homines iudicio, & memoria pollentes, tùm inter ſe, tùm ab ingenioſis diſtingui poſſint.

*6. Æthic. c. 5. D. Thom. ſect. 2. q. 48*

Cæterùm iudicium vel ad morales refertur actiones, vel ad intellectiuas. Primò vocatur prudentia, quæ ab Ariſt. inter virtutes intellectiuas recenſetur. Secundò retinet iudicij nomen: nos hîc vtriuſque ſigna confundemus. Cum igitur de ipſo loquentes ſuprà in 1. lib. cap. cit. dixerimus ipſius naturam in temperamento conſiſtere potiùs ad caloris defectum, contra quàm ingenium, quod potiùs temperamento ad caloris exceſſum deflectente gaudèt, erunt iudicij ſigna, quæ frigidius cerebri, & cordis temperamentum oſtendent. Quod enim eo iudicium adiuuetur ſatis patet ex ætatibus, quarum ſenilis prudentior eſt, vt quæ frigidior: ſic animalia frigidum, ac tenuem ſanguinem habentia prudentiora decreuit Ariſtoteles eſſe lib. de partibus animal. cap. 4. Ità dixit animam quieſcendo prudentem fieri tex. 20. lib. 7. Phyſ. quietis autem frigiditas eſt cauſa, ſicuti caliditas motus. Porrò Hiſpanos iudicio magis valere norunt omnes. Gallos autem ingenio, at illi frigidiores ob craſſam, & aduſtam melancoliam, hi calidiores, ob igneam, ſubtilemq; bilem. Ac ſicuti qui ſtant oculis immotis meliùs inſpiciunt, & iudicant obiecta (vt proximè diximus), ita qui ſpiritus gerunt pacatos, & quietos meliùs intelligunt, & iudicant rerum ſpecies: proptereà meliùs ieiuni iudicamus, quàm repleti, quia ſpiritus manent in cerebro à cibi vaporibus imperturbati. Verumtamen frigiditas hæc non intelligitur eſſe in corde, ac cerebro poſitiua, ſed priuatiua, ſcilicet calor quidam remiſſus reſpectu ingenioſi, qui intenſiori præpollet caliditate. Ergo ſigna omnia pro venando iudicio erunt remiſſiora, quàm quæ nobis detegere ingenium ſunt apta. In primis facies nõ erit macra ſed carnoſa, vt etiã collum, & humeri, & totum corpus, quia non tantus adeſt calor has exſiccans partes, ſed calor moderatus bonam perficiens corporis nutritionem. Pili non erunt nigri, neque criſpi, ſed ſubflaui, & extenſi, & canitiem in iuuenta patientur ob aliquem caloris defectum. Frons erit quadrata, & iuſtæ magnitudinis, vel longa, & vſque ad tempora exporrecta, ac demiſſa, & auſtera. Vox inter grauem, & acutam media: labrum ſuperius ori prominens, vt inerat Fabio Maximo: collum ad dexteram inclinatum: pectoris clauiculæ mediocriter ſolutæ: Dorſum inter curuum, & conuexum medium: pectus latum cum humerorum latitudine: manus

*Iudiciũ iuuatur à remiſſo calore.*

*Deſcriptio viri iudicio præditi, ex Porta.*

manus longæ cum digitis longis : in loquendo aderit immobilitas: oculi magni, ſublimes, ac ſplendentes, & humidi, non ſicci, neque parui, neque tumidi. Quæ ferè ſingula adducit Porta de Prudentis Phyſiognomia.

His addi poſſunt aliæ non temnendæ coniecturæ, ſcilicet in ambulando grauitas, in actionibus tarditas, facies in omni euentu ferè ſemper eadem: parua rerum admiratio: neque riſus, neque verboſitas, neq; apprehenſionis facilitas, ſed potiùs retentionis perfectio; quare vt plurimùm memoria valent prudentes, quia vt ait Ariſt. 2. Poſt. tex. 27. ſicut ex multis ſenſibilibus fit memoria, & ex hac experimentum, ita ex hoc prudentia gignitur. Hæc ſingula in Catone iuniore apud Romanos acerrimi iudicij exiſtimatione inclito Plutarchus repræſentat inquiens: Vim namque habebant vltrà ætatem eius incepta: adulantibus aſper, terrentibus aduerſus, tardus ad riſum, vt perrarò vultum remitteret: ad iram non facilè labens: ſed cum in eam deuenerat implacabilis: ad magiſtros autem, diſciplinaſque delatus, in diſcendo quidem tardus erat, quæ verò ſemel didicerat, memoriter retinebat, quod in cæteris quoque natura fit, vt qui celeri ſunt ingenio non multùm memoria valeant &c. Et paullò inferiùs: Etenim ſermo eius nihil iuuenile, neque corruptum habebat, ſed erat rectus, plenus, & durus, quinimmò gratia quædam, & attentio inerat breuitati ſententiarum &c. Ex quibus acuto ipſum ingenio præditum non fuiſſe arguas, quod promptitudine, celeritate, ac ſpirituum mobilitate diximus gaudere: quarum actionum vegetus quidam calor eſt parens: at eas fuiſſe dotes iudicij, ac prudentiæ comites affirmare debemus; cum vir hic vtraque plurimùm facultate valeret; propterea frigidiore illum fuiſſe temperamento, ſeu nõ ità calido, quippe celeritate carebat, ac tarditate præſtabat, & ſermonis etiam breuitate vtebatur, quæ profectò frigiditatem, humorumque craſſitiem ſapiũt, vt etiam taciturnitas, quæ à calore non fieri ebullitionem in humido atteſtatur, quæ verboſitatis eſt cauſa. Illam verò eidem contigiſſe percipitur ex eodem Plutarcho, dum ait: Qua de re, cum quidam eum reprehenderet, diceretque: improbant homines hanc taciturnitatem tuam Cato: Vt libet, inquit, dummodò vitam non improbent. Hinc factum arbitror, vt ipſe potationibus indulgeret, ac ſemel ante menſam ſoleret bibere, quo nomine à Memmio quodam eſt ebrietate notatus, enimuerò ipſius natura melancolica, & pituitoſa, leuamen, & voluptatem à vini calore percipiens, ſubtiliatis, excitiſq; ſpiritibus temperebatur, promptiorque ac vegetior in ciuicis operibus, vt ait Horatius reddebatur.

*Signa iudicij in Catone.*

Hac eadem propè temperie, conſimilibuſque moribus dotatum aſſerunt Fabium Maximum inter Romanos prudentiſſimum. Plutarchus in eius vita. Verùm ex eo, quod quietem, & taciturnitatem adamabat,

*Signa iudicij in Fabio Maximo.*

& mul-

„ & multo cum pudore pueriles voluptates attingebat, ac ſeriùs, & difficiliùs diſciplinas percipiebat, ſeſeque familiaribus facilem, obſequentemque præbebat, in torporis, & inſipientiæ ſuſpicionem apud eos, qui minùs ei erãt familiares veniebat. Ennius etiam de ipſo apud Ciceronẽ.

*Ille homo, qui nobis cunctando reſtituit rem.*

Ex quo cunctator à morum tarditate eſt appellatus. Periclem etiam apud Athenienſes altiſſimi conſilij hominem, vultu demiſſo, auſtero, ac triſti, nullaque iucunditate, aut varietate turbari ſolito, (qualis etiam in M. Craſſo. C. Lelio, & Socrate) ſono vocis, & conformatione maximè placido, ac ſedato præditum fuiſſe, perhibet idem Plutarchus. Ita dux conſultiſſimus Themiſtocles Athenienſis, tardus, hæſitans, ingenioque ad capeſſendas diſciplinas hebes fuit. Hoc tempore DD. Venetorum Senatus, qui primam in orbe toto conſultandi laudem ab excellenti iudicio ſibi vendicat, tardus in conſilijs, & anceps ab Argentono Gallo hiſtorico nuncupatur; nam iuxtà illud Senecæ: „ Prudentis proprium eſt examinare conſilia, & non citò fallaci credulitate ad falſa prolabi, de dubijs non definias, ſed ſuſpenſam tene ſententiam. Ac verè ſingulos eius proceres qui conſpexerit, locutione graues, figura quadratos, greſſu tardos, habitu carnoſos, colore medio, forma venuſtos, moribus ſedatos, ac placidos, in rebus gerendis cautos, impetu nũquam abreptos, in iudicijs ſeueros, in vtraque fortuna, (vt ait Iouius) inalteratos, abſolutam hominis iudicio pollentis normam ſumet, ad quam cæterorum omnium dijudicationem diriget. Hoc eximio iudicij munere cum Florentini caruerint, Rempublicam diù ſtantem videre non potuerunt: ſubtiles enim, iracundi, ſenſitiui, celeres, impauidi, curioſi, corpore gracili, impigro, ac verè omnibus ex partibus ingenioſi, fulſerunt vndecunque artium, ac literarum gloria, & mercaturæ induſtria, ſed in ciuili regimine, quo iudicij, & prudentiæ vires emetimur, defecerunt, quod etiam Argentonum animaduertiſſe tradunt, dum Regis Caroli ad Venetos Legatus illac pertranſiuit. Ex his igitur concipi non abſurdè poteſt, lentorem quendam, grauitatem, memoriam, apprehenſionem ſine ſubtilitate potiùs tardam, quàm promptam, & præfatas alias non abſimiles corporis, & animi qualitates iudicium ab ingenio diſtinctum ſignificare; vt quæ minus calidum temperamenti gradum ſequantur iudicio conuenientiorem.

*Venetorum corpora, & mores.*

*lib. 1. hiſtor.*

*Florentinorũ corpora, & mores.*

Cæterum fortè quiſpiam plurimos afferat qualitatibus fortem corporis calorem ſequentibus præditos, qui iudicio etiam explenduerunt inſigni, & ſunt illæ ſuperioribus propè contrariæ, nimirùm celeritas in actionibus, agilitas, apprehenſionis acumen, promptitudo ad iram, ſermonis vbertas, corporis gracilitas, & huiuſmodi aliæ, quæ bilioſi ſubtiliſque ſanguinis naturam ſequuntur: quare incerta multùm videntur

ex.

ex frigidiori temperamento, eiuſque qualitatibus iudicij ſigna deprompta eſſe. Teſtis verò prodeat C. Cæſar, qui ex Suetonio, cum euentuum ſuorum pondera in celeritate poſita arbitrabatur; tùm & celerrimè ſcribebat, & legebat, & quaternas ſimùl epiſtolas dictabat, quarum ipſe vtendarum inuentor fuit: blandus porrò, clemens, facundus, ardens, luxui deditus, libidinis amator, circa corporis curam moroſior, vt non ſolùm tonderetur diligenter, ac raderetur, ſed velleretur etiam; ac vnico ſe duntaxat digito ſcalperet; quamobrem Cicero talem in ipſo laſciuiam, ac mollitiem aſpiciens, nunquam fore putabat, vt ad ingens facinus animum applicaret ſubigendæ Reip. reuera enim hæc inertem, & mulieroſum potiùs virum, quàm acrem, & generoſum oſtendunt. Attamen quo præſtiterit in captandis rerum occaſionibus iudicio, vnus indicet orbis dominatus ſua virtute quæſitus. *I. Cæſaris natura, & mores. Sueton.*

Inſuper Scipio Africanus præter oris pulchritudinem, lætam, atque hilarem frontem præferebat, quæ maieſtati iuncta Maſſiniſſam Regem ſe ſalutatum venientem in ſui ſtuporem, intuitumque perennem illexit. Erat in audiendo benignus (hæc ſunt Plutarchi verba), facundus in reſpondendo, & in conciliãdis hominibus egregius artifex, habitu corporis virili, cæſarie promiſſa vtebatur. Quod verò fuerit ad iram procliuis, teſtatur iuramentum in foro ex nobili iuuentute, diſtricto gladio, ad tuendam patriæ libertatem extractum, dùm Hannibal Romæ cum toto exercitu imminebat: teſtantur etiam egregia ipſius edita tot in bellis aduerſus hoſtes facinora: celeritatem verò ipſius vna comprobet in Aphricam expeditio, parata ſolo quadragintaquinque dierum ſpatio confertiſſima claſſe, ingenti totius populi Romani admiratione; ſunt enim hi temperamenti calidioris effectus, & cum inſigni vigore iudicij coniuncti: Quia multa (vt ait Liuius) arte in rerum ſuarum regimen erat compoſitus, vſque adeò vt in plebis animos inſinuauit, ſe per nocturnas ſpecies, diuinis oraculis de rerum euentibus admoneri, quò ipſam ad obſequium ſui, conſiliaque ſuſpicienda pertraheret. Erat hæc ars non ex prudentia rerum agendarum contracta, ſed ex ſolius naturæ fluxa viribus, cum iuuenis admodùm hæc ageret, ac totum belli Carthaginenſis negotium ſibi à Senatu impoſitum ſolertiſſimè rexerit, & abſoluerit. Ergò iudicij ſigna à vegeti etiam caloris effectibus deſumuntur. *Scipionis natura, & mores. lib 26.*

Quòd ſi oculos etiam in alios quotidie conijciamus, planè aduertemus, plures exacto in ſcientijs florere iudicio, quo ſolidiores eligunt, venioreſque ſententias, eos tamen in apprehendendo faciles, in agendo promptos, callidos, alacres, ac verboſos inter familiarium verſari congreſſus, qualis me iudice extitit Leonardus Donatus Dux Venetiarum,

rum, cuius eloquentia optimarum artium momentis librata, cæterorum omnium in Senatu iudicia præponderabat: erat porrò linguarum ferè omnium notitia perpolitus: impiger, ardens, iracundus, peruigil, tàm in expediundis, quàm in apprehendendis rebus celerrimus, indicij verò vigore tanto, vt eius conſilia, ceu oraculi reſponſa, ab omnibus etiam exteris exciperentur. Nec latent animaduertentem homines in Veneta curia, & alibi aduocati munus obeuntes, qui rerum omnium acerrimi conſultores exiſtunt, ac tamen in agibilibus maximè viuaces, & impigri, non cunctabundi, ac hebetes euadunt. Ita in aulicorum caterua huiuſmodi cenſus alios quamplurimos inuenias. Vrbanus VIII. nunc Pont. Max. hiſce munitus naturæ præſidijs orbi micat vniuerſo, ac poeticæ laude floret, quæ intenſum expoſcit calorem; attamen admirabile ipſius maximis in rebus iudicium norunt meliùs omnes, quàm hìc referre neceſſe ſit.

*Signa diſtinctiua ingenij, & iudicij.*

Sanè rem hanc aliqua regula perſtringere difficillimum eſt. Verùm illud ſatis innoteſcit, quòd ingenium, & iudicium duæ ſunt diſtinctæ animæ rationalis potentiæ, quæ per diſtinctas etiam ſe promunt operationes. Ingenium quidem per cognoſcendi, & inueniendi facilitatem: Iudicium per diſtinguendi, ac eligendi vigorem. Ex his igitur vtrunque oportet dignoſcere. Contingit autem in aliquo vtrunque inueniri, quia calor cum frigore, humor cum ſicco eſt adeò temperatus, vt vtriuſque potentiæ actibus inculpatè deſeruiat quod ſuprà in 1. lib. cap. 12. luculenter oſtendimus. Frigidiores vt plurimùm quales Cato & Fabius, ac cæteri ſupradicti iudicio multùm, ingenio parùm ſunt ornati: calidiores multùm ingenio, ſed parùm iudicio, quales exempli gratia Florentini, & Galli. Reliqui vti Cæſar, ac Scipio calore quidem vegetiori, ſed ad temperatum vergente præditi, ſunt vtroque inſigniti, iudicio, atque ingenio: per iudicium fiunt in ſpeculando cauti, in agendo prudentes: per ingenium in ſpeculando acuti, ac dociles, in agendo impigri, ac viuaces; non enim repugnat has facultates, & operationes, quæ inter ſe non admodùm diſtant, menſura quadam in primis, & ſecundis qualitatibus naturæ viribus adepta, in aliquo indiuiduo adæquari, vt etiam memoriæ præſtantia, quæ idcircò cum vtraque interdum facultate optimè coit.

*Memo-*

## *Memoriæ ſigna.* *Cap. VIII.*

DVm in ſuperioribus bonam capitis figuram deſcripſimus, nonnulla memoriæ non contemnenda ſigna tetigimus: verùm ad perfectioris abundantiam doctrinæ, ſunt hìc etiam alia ſubnectenda, quæ ab memoriæ natura, atque temperamento ſumuntur, necnon ab effectibus quibuſdam in corpore apparentibus. Ac ſanè cùm memoria ſit eſſentialiter vna, & eadem facultas cum phantaſia, ſolaque munerum functione diſtinguantur, videntur phantaſiæ tradita hucuſque ſigna, memoriæ pariter debere eſſe communia. Sed quia diſtinctum ob eiuſmodi munera obeũda temperamentum expoſcunt, ideò diſtincta ipſarum debent indicia aſſignari. Phantaſiam diximus requirere ſubtilius, ac mollius ob apprehenſionis facilitatem. Memoriam requirere ſiccius, ac durius, ex eius liquet natura, quæ in retentione, & phantaſmatum conſeruatione conſiſtit, ex quo Ariſt. lib. de mem. & reminiſc. eam habitum phantaſmatum definiuit, *Memoriæ quid.* quod vulgarius loquendo ſignificat theſaurum rerum imaginum per imaginationem receptarum: habitus autem eſt diſpoſitio difficulter mobilis: quæ difficultas in humido dari haudquaquam poteſt, quia imagines ex eo faciliùs amouentur, vt patet imprimenti ſigillum in aquam, vel oleum. Verùm optimè datur in ſicco, ac duro, vt in cera, vel paſta, in quibus ſtabilis, & firma ſigilli remanet impreſſio; ideò nec pueri propè infantiam, nec ſenes valent memoria, quippe illi cerebrum humidius, quàm vt poſſit retinere, hi ſiccius, quàm vt poſſit *Ariſt. lib. de mem.* recipere ſunt adepti: ſtat enim memoria in ſicco, & duro moderatiore. Hinc ſequitur, quòd ingenio præſtantes non æquè valent memoria, quia ingenio magis, (vt ſæpiùs oſtendimus) confert ſiccum ſubtile, ac *Cur qui valent ingenio non valeãt memoria.* igneum; memoriæ ſiccum groſſum, ac terreſtre: porrò ingenium verſatur in continuo, & alterno phantaſmatum motu, ob continuam, & ſucceſſiuam ipſorum ſpeculationem; quare figi rectè in memoria non poſſunt, quæ ab eorundem impreſſione, quiete, ac ſtabilitate perficitur: reminiſcentia tantùm eſt ingenij propria, quia rememorat cum ratione, *Reminiſcentia ſtat cum ingenio.* ac diſcurſu, quod non facit memoria, quæ per ſolam phantaſiæ recognitionem impreſſas imagines rememorat ſine diſcurſu: propterea cũ reminiſcentiæ iungantur hi celeres, ac prompti rationis, & ingenij motus, idem etiam cum ingenio temperamentum expoſcit. Ergò ſigna temperamenti ſiccioris, ac durioris in cerebro, erunt ſigna memoriæ in aliquo exiſtentis: ſed quia cerebrum ſecatur in partem anteriorem, poſteriorem, ac mediam, Arabes aſſerunt, memoriam in poſteriori conſi-

ſtere, phantaſiam in anteriori, & intellectum in media, quorum ſententiæ licet quamplurimi neotericorum aduerſentur, aſſerentes has omnes facultates in vna, & eadem cerebri parte contineri, tamen non eſt omninò reijcienda, quia verè facultates animæ, licet in cerebro ſint vbique cum ipſamet animæ eſſentia totum æqualiter cerebrum informante, tamen in vno eius loco, magis vna facultas conſpicua ſit, quàm in alio ob operationem, quam in illo tantùm exercet, non in iſto, quo ſenſu diſtinctæ locis in cerebro facultates, rectè iuxtà ſententiam Arabum ſtatui poſſunt; optima quidem ratione, quoniam illæ facultates diuerſis vtuntur ad operandum temperamentis; phantaſia ſcilicet humido, memoria ſiccò, ratio mediocri, vt omnes confitentur, quæ in eadem, cum ineſſe nequeant cerebri parte, inſunt in diuerſis, ac illud quòd memoriæ deſeruit ineſt in poſtera, in qua fuit conſonum exerceri memoriam, quia primò imagines recipit phantaſia, quare primus, & anterior ei locus debetur: mox eas inſpicit ratio, quare ſecundus, ac medius ei meritò conuenit: tertiò in memoria reconduntur, quare illi tertius, & poſterior neceſſariò aſſignatur. Huius itaque partis temperamentum eſt obſeruandum pro dignotione memoriæ; & cum ſit ſiccum moderatum, debet fieri tale per multam humidi admixtionem, quia memoria licèt præcipuè in retentione conſiſtat, tamen multùm etiam indiget receptione, quæ per humidum fit; propterea neque debet cum frigido iungi, quia nimis indurans talem impediret receptionem; ſed iungi debet cum vegeto calore, qui humidum cum ſicco congruè nectens perficit memoriam, ſicut cæteræ omnes principes facultates caloris virtute adiuuantur: hinc ſenes ob eius imminutionem in cerebro, diximus fieri obliuioſos, quod etiam Hippocrates lib. de ſacro morbo aſſerit, lædi ſcilicet memoriam, quoties cerebrum refrigerari contingit: propterea iuuenes, ac ætatis mediæ homines, qui calidi ſunt, & ſicci, maximè omnium memoria valere animaduertimus. Calidi autem, ac ſicci cerebri temperamenti ſigna ſuperiùs ex Galeno retulimus, dum ingenio idem conducere demonſtrabamus; at diſpar quædam eſt ratio propter locorum in cerebro diſtinctionem; ingenium ſiquidem in anteriori, & medio viget, ac in eis magis requirit ſiccum molle, ac mobile; memoria verò viget in poſtero, in quo magis requirit ſiccum groſſum, ac ſtabile, vt ait Gal. in ar. par. cap. 12. quia magis terræ commiſcetur in organo memoriæ, quàm in ingenij organo, in quo magis aer, & ignis prædominatur.

*Facultates locis in cerebro diſtinguuntur.*

*Cerebrũ nimis refrigeratum caret memoria.*

*Ingenij, ac memoriæ organũ in quo differant.*

Hoc igitur memoriæ temperamentum præter ſigna loc. cit. allata longè faciliùs, ac certiùs ab externis ijs deprehenditur effectibus, quos
,, Ariſt. in Phyſiogn. recolit inquiens: Memores, qui habent ſuperiora ma-
,, iora, pulchra, & carnoſa magis. Hæc ſigna ſunt quodammodo contraria ſignis de ingenioſo traditis, quæ fuere macrities ſupernarum partiũ

ſci-

ſcilicet humerorum, colli, & faciei; quare non videtur memoria ad calidum, & ſiccum redigi temperamentum, ſicut ingenium, ſed potiùs ad calidum, & humidum, quod pulchritudinis, carnoſitatis, & magnitudinis partium eſt parens. Attamen cùm dixerimus ſiccum memoriæ deſeruiens ex Galeno eſſe groſſum cum multo humido, & forti calore, non eſt eiuſmodi ſiccum, quod faciat macritiem, ſed robur, groſſitiem partium, & carnoſitatem, at citrà pinguedinem, quæ à calore fit remiſſiore, ac vnctuoſiore humido, vt in primo lib. cap. 16. comprobauimus. Ergo adeſt in ſupernis memoris viri partibus (vt ait Ariſt.) magnitudo, quia veriſimile eſt in ampliori, & capaciori loco, maiorem ſpecierum copiam cum ordine fixarum contineri, & vberiores quoque ſpiritus, qui ordinatim, & ſine confuſione moueri poſſint, dùm phantaſiæ tàm in imprimendis, quàm in relegendis ſpeciebus in libro memoriæ famulantur. Ac ſanè ipſa rerum experientia nos minimè fallit intuentes, vnumquēque memoria pollentem, caput plerumque magnum, & craſſum obtinere, præſertim in poſtera parte, quam protuberantem ſuperiùs requiri diximus: quod cum ego non ſemel animaduerterim, raró cognoui rem aliter ſe habere. Ita in canum ſpecie, quæ ſunt animalia calidi, & ſicci temperamenti, proindèque ingentibus pollentia memoriæ viribus, (vt omnes aſſerunt), ij præ cæteris ſunt memores, qui grandius habent caput, quibuſque ad perdicum, & qualearum venationes vtimur. Talis debebat eſſe canis ille, quem tradit Homerus, Vlyſſem hærum ſuum poſt longiſſimam viginti annorum perregrinationem domum reuertētem recognouiſſe, licet ſordidum, pannoſum, ac non modò corporis, ſed & oris habitu mutato, ignotum famulis, domeſticis, ac vel ipſi Penelope amantiſſimæ vxori; etenim primus ei canis de reditu, quà blandiendo, quà lambendo, memori quodā gratitudinis inſtinctu gratulatus eſt. *lib. 7. odyſſ.*

Addit porrò Philoſophus debere partes ſuperas in memori homine eſſe pulchras: pro quo non eſt intelligenda pulchritudo, quæ faciat hominem amoribus deditum, ac mollem, ſed eam, quæ in partium ſymmetria, & proportione conſiſtit; hæc enim bonas ſemper denotat animæ operationes, ſicut indecentia, & magnitudo capitis, quia indicat formatricem regere materiam non potuiſſe, indicat etiam animam in eo malè operari, quippe ab indigeſtæ materiæ copia propè obrutam. Demùm ait partes debere eſſe carnoſas, & hoc fit à temperamento calido, & ſicco moderato à multo humido, quia calor tale ſiccum flexibile diſtendere in carnem, eamque ſolidam poteſt, non tamen pinguem, quia vnctuoſitas illa, ex qua fit pinguedo à calore illo vegeto exſiccatur. Porta addit aures magnas, ſed cum referantur ad aſinos, qui nimis duræ ſunt carnis, ſolam indicant retentionem, at non receptionem, quæ mollitiem ſequitur; paruæ igitur non debent eſſe, ſed nec magnæ nimis.

*lib. 1.* Cyrus rex (vt ait Xenophon) corpore pulcherrimus extitit, decora facie, & optima capitis figura, qui propterea excellenti adeò præſtitit memoria, vt ſingula, & immenſa militum ſuorum nomina teneret, ac ex tempore redderet. *Quintil. li. 2. cap 2.* I. Cæſar qui ſcribere, & legere ſimul, dictare, & audire, ac epiſtolas dictare quaternas, & ſi nihil ageret ſeptenas ſolebat; facie paullò pleniore deſcribitur à Suetonio in eius vita. *Plin lib. 7. cap. 25.* Talis etiam fuit Clemens VI. P. Max. ſui temporis Temiſtocles ab excellenti memoria nuncupatus. Puer ille Corſus tranſacti æui miraculum, non abſimili debuit eſſe textura, quem refert Muretus infinita nomina Latina, Græca, Barbara, ſignificantia, nihil ſignificantia à ſe dictante excepta, ſtatim referre conſueuiſſe, & ab vltimo incipientem, ſursùm verſus ad primum denuò perueniſſe, quæ poſt annum etiam ſe recitaturum pollicebatur, eodemque modo triginta alia ſex millia nomina repetiturum. *M. Anton. Muretus li. 3. var. lect. cap. 1.* Huius herclè cerebrum inſtar illius ceræ mollis debebat eſſe, quam Socrates apud Platonem explicandæ memoriæ gratia excogitauit, cui conueniat illud Ouidij: lib. 10. Metam. *in Theeteto.*

*Tractataque pollice multas*
*Flectitur in facies, ipſoque fit vtilis vſu.*

Sed hæ ſunt potiùs diuinæ, quàm humanæ prærogatiuæ, quia ſi nihil ſcimus (vt ait ille) niſi quod memoriæ commendamus, ſanè huiuſmodi viri perfectiſſima dotati memoria, videntur eſſe omniſcientes, ac diuinum quoddam referre ex Caſſiodori ſententia dicentis: Magnum beneficium obliuionis neſcire defectum, & quædam ſimilitudo verè cæleſtium eſt, decurſa ſemper habere præſentia. *lib. 5. var. epiſt. 22.* Hinc Alcander veterrimus Philoſophus apud Plutarchum, Iouem, & memoriam Muſarum parentes eſſe dictitabat: quam etiam apud Aul. Gell. ſententiam Afranius poeta, mutato patre, matre retenta his intexuit carminibus. *lib. de educat.* *lib. 13. c. 8.*

*Vſus me genuit, mater peperit memoria:*
*Σοφίαν vocant me Graij, vos ſapientiam.*

Excelſum hoc memoriæ munus, nonnulli arte quadam parare conati ſunt vt innuit Ariſt. tex. 153. lib 2. de anima: ex veteribus primus Simonides medicus Plinio teſte: poſt ipſum Metrodorus Scepſius: deinceps etiam Cornificius, & ipſe Quintilianus. *lib. 7. c. 24.* Recentiùs Arnaldus Villanouanus, & Raimundus Lullus, ac cæteris præferendus D. Thomas Aquinas, qui omnes huius artis præcepta poſteris reliquerunt. *lib. 11. c. 2.* *2. 2. q 49. ar. 1. ad 2.* Cæterum quidquid ſit, ſi hæc ars in notabilem cederet hominum vtilitatem, non negligeretur, quod video fieri à doctis omnibus, fortè, quia optimam ſupponit memoriam naturalē; quamobrem futilis, & ſuperuacanea videtur euadere, vt videtur etiam Mercuriali in ſua practica medica. *lib. 1. c. de mem deperdita.*

Quod, vice huius artis memoriæ admodùm conferre arbitror, eſt, impreſſarū imaginū renouatio per meditationē, quæ ex Ariſt. ſententia impen-

pẽſiùs figit eas in memoria, ſicut ſigilli renouatio obliteratã propè figuram in cæra reſtituit, & fortiùs imprimit. Hoc ſtudium Quintilianus maximam appellat artem loc. cit. ac Plutarchus lib. de liber. educat. bonam memoriam, exercitatione meliorem, non optimam bonam fieri aſſirmat. Pythagoras apud Laertium adoleſcentibus, quos domi alebat, præceptum inter alia maximum tradidit: exercendã eſſe memoriã. Ità Cato Maior per dies ſingulos, audita, lecta, & acta veſperi rememorabat. Præter hoc exercitationis ſubſidium, aliud memoriæ deſeruiat ab omnibus vſurpatum, nempe index per alphabetum rerum ſingularum, quas in dies quiſque audierit, aut legerit. Thamus Ægypti Rex apud Platonem hoc improbat, quòd ea, quæ in ſcriptis recondimus, memoria cuſtodire deſinimus, & ipſa ſecuritate negligentiores facti dimittimus: ad quod etiam reſpiciẽs Seneca, dubitat neſcire ſe, an certior memoria ſit, quæ nullum habet extrà ſe ſubſidium. Ac Druides olim Gallorum magiſtri, & ſacerdotes adoleſcentibus apud ſe miro integritatis, & doctrinæ plauſu educatis, vetabant quæ à ſe audirent literis commendare, ne ijs confiſi minùs memoriæ ſtuderent. Attamen, quia rariores ex hominibus excellenti memoria dotati inueniuntur, ſed plerique laborant mediocri, ac labili, quis non intelligit ſolam exercitationem ad ipſam reparandam non poſſe ſufficere? aliiſque præterea indigere adminiculis, ne in immenſa rerum diſcendarum varietate, ſtudiorum fructus, obliuionis incommodo pereant? Huic ſuccurrunt familiares libri per indices congeſti, vbi tanquam in theſauro rerum ſelectiorum capita reponuntur, quibus ad libitum vti quiſque poſſit. Hæc fuit apud viros clariſſimos probata memoriæ adiuuandæ ratio: hæc vtiliſſima ſtudendi norma, quam optimè omnium edocet Franciſcus Picollomineus in percelebri de rerum definitionibus opere. Et hoc eſt, quod nonnulli aiunt, longè minus eſſe malum homini carere memoria, quàm ingenio, quia illius defectus ſaltem per domeſticos libros ſuppletur; huius autem defectus nulla vix poteſt induſtria reparari. In eo tamen ego ab his diſſentio, quòd ſatius interdum ſit valere memoria, ſcilicet in agibilium vſu, quorum cum recta ratio ſit prudentia, fulcitur ea mirabiliter à memoria, quæ videtur quodammodo magiſtra prudentiæ, quia ex retentione præteritorum, ſuggerit rerum experientiam, ex qua homo fit prudens; libri autem nequeunt ipſum exactè talem efficere ſine virtute congenita. Ingenium ad hos actus non æquè confert, ſed ad ſpeculatiuos, in quibus ratiocinandi celeritas, & acuties eſt neceſſaria. E contrà memoria in his videtur minoris eſſe momenti, reſpectu ingenij. Ceterùm ſatis ab inſtituto digreſſi ad cætera ingeniorum ſigna examinanda reuertamur.

*lib. de mem. c. 2.*

*lib. 8. in eius vita.*

*in Phedro, & i Timeo.*

*epiſt. 88.*

*Cæſ. lib. 6. de bell. Gall.*

*Memoriæ remedia.*

*in prohemio.*

*Memoria eſt magiſtra prudentiæ.*

De

## *De ſignis ingeniorum particularibus, ac primùm Metaphyſicorum, ac Theologorum. Cap. IX.*

QVæ methodus fuit à nobis obſeruata in venandis cõmunibus ingenij ſignis, ea nobis inſeruiet ad venanda ſigna ingeniorũ particularia, vt ſcilicet hæc primùm à cauſis, mox ab effectibus hauriantur. Cauſæ probabiliores vniuſcuiuſque ingenij, fuerunt à nobis expenſæ ſuprà in 2.lib.cap.4. & ſeq. vbi eas eſſe temperaturas ſpecificas quatuor humorum noſtri corporis aſſeruimus, ex quarum varijs gradibus, variæ ingeniorum reſultant differentiæ, ſeu variæ ad hanc, vel illam ſcientiam habilitates. Effectus ſunt quædam in corpore notæ, quarum contemplationem ingeniorum ſcrutator, ex arte Phyſiognomica debet eruere. Sunt igitur ab ijs temperaturis, & ab his notis ſingulorum ingeniorum ſigna deprehendenda. Cæterùm ſtatim occurrit ex Ariſt. dubitatio probl. 6. ſect. 18. vbi ait quemlibet eligere ſibi potiùs artem, vel inhoneſtam, in qua ſe præſtare poſſe perſentit, quã honeſtam, in qua diffidit ſe præſtare. Ergo cùm hæc electio pendeat in vnoquoque ab inſita cognoſcendi facultate, ſuperuacanea videntur eſſe omnia ſigna, quæ quis doceat, ſingulorum propenſiones, & indoles dignoſcendi, quò applicari propriæ poſſint arti, vel ſcientiæ, obtinet enim in ſe quilibet huiuſmodi vim dignotionis. Soluitur tamen hæc difficultas ex eo, quòd Ariſt. conſidetat iſtam vim in ijs, qui habent eligendi poteſtatem, quales procul dubio ſunt adulti, qui internas ſuas cum exactè percipiant inclinationes, habent liberam ſe applicandi electionem, quippe mentis valent vigore: nos quia conſideramus iſtam vim potiſſimùm in pueris, qui ex mentis imbecillitate ipſam obſcurè percipiunt, nec proinde ſunt in ſtatu liberæ electionis; ideò ſunt à nobis tradenda ſigna illius cognoſcendæ, vt quem ipſi præſtare nequeunt electionis actum, nos ab initio præceptis, & inſtitutione ſupplere valeamus.

*An quilibet ſentiat ſuã ad ſcientias propenſionẽ.*

*Ingeniũ metaphyſicorũ quomodo ex ſuis cauſis dignoſcatur*

Offertur itaque primò dijudicanda indoles, quam quis habet ad Metaphyſicam, ac Theologiã, quam vt ex cauſis percipiamus, repetendum eſt, quòd calor ingenio conferens cum à temperato magis vergat ad exceſſum, quàm ad defectum, poteſt hic exceſſus vel in primo, vel in ſecundo, vel tertio gradu (de quibus in 1. lib. cap. 12.) reperiri, ac in materia vel ſicca magis, vel humida fundari, ex qua caloris, & materiæ varietate, varij etiam reſurgunt temperamentorum gradus, qui varias conſtituunt ingeniorum ſpecies. Diximus autem ſuperiùs calorem in primo gradu, ſeu bilem prædominantem, æqualibus ſanguinis, & melanco-

lanco-

lancoliæ partibus ingenium ad Metaphyſicam, ac Theologiam habile conſtituere ob allatas ſuprà rationes cap. proprio quas hic referre foret ſuperuacaneũ: eſt hæc temperies calida, & ſicca parùm à temperato recedens, cuius quidẽ ſigna ſunt præſertim in cerebrô, & corde ſpectanda, quæ ſunt præcipuè ingeniorum ſedes, traditaque ſunt proximè in hoc libro fusè cap. 1. & 2. vbi etiam ſpirituum cum hac temperie iunctorum conditionem expendimus. His verò internarum cauſarum ſignis, ſi & alia ex cauſarum externarum cathalogo ſumpta iungantur, maiorem huius indolis coniecturam aſſequemur, puta ſi quiſpiam ſub aere calido, & ſicco ſit natus, ſi in regione huiuſmodi ſtudijs addicta, vt Hiſpania, ſi ex parentibus ſubtili præditis ingenio, ſi in ijſdem ſtudijs fuerit educatus, quales familiæ Thomiſtarum, vel Scotiſtarum alumni, ex quibus, & alijs huiuſmodi generis, ſicuti pro ingenio in generali noſcendo indicia deſumi docuimus; ita pro eodem in particulari detegendo, non incaſſum ſumi poſſunt.

Cæterùm ab effectibus in corpore apparentibus eadem certiùs percipietur indoles, quod etiam ab antiquis factitatum non ignoramus, aſſerente Iamblico, Pytagoricos ſuo in gymnaſio diſcipulos recipere non eſſe ſolitos, quorum ex vultus, & corporis lineamentis ad ſcientias habilitatem, & indolem non agnouiſſent. Apud Indos pariter Catheos, & Brachmanes ait Sabellicus, in vſu fuiſſe natum infantem poſt duos menſes in publico concilio exhibere, cuius indoles ſi bona cenſebatur, bonis etiam diſciplinis educandum ſuſcipiebant, ſin minùs, vel exponebant in ſiluis, vel in publico enecabant. Præcipuum igitur vniuſcuiuſque particularis indolis indicium erunt interni quidam naturæ motus ad eam ſcientiam, vel artem ad quam inſtinctu ſe percipit habilem; ſicut enim felles vix grandiores facti ad mures captandos nullo duce trahuntur, & canes venatici ad lepores vi ſua proſequendos impelluntur, ità quiſque hominum, vel in pueritia latentibus excitus igniculis ad certum rapitur obiectum, & efficit aliqua, per quæ anima ſuam vltrò detegit propenſionem. Hoc animaduertere ſolertis erit ingeniorum indagatoris. Virgilius puer adhuc poeticam exercere cæpit, vt refert Donatus in eius vita, vnde flos immaturus extitit ſubſecuturi fructus argumentum. D. Auguſtinus anno ætatis duodecimo, & Logicis, & Rhetoricis Ariſtotelis libris ex ſe met ipſo ſtudere cæpit, ex quo incredibile ipſius contra hæreticos diſputandi robur, & ad ſcientiarum ſubtilitates aptitudo pandebatur. Origenes puer Leonidem parentem ſuum, qui fuit epiſcopus, ſæpè de abditis ſcripturæ ſenſibus interrogabat, quod præcellens eius in rebus Theologicis ſignificauit ingenium: ita in alijs quotidie obſeruare licet, qui pueri adhuc detegunt inſitum ad hanc, vel artem, vel ſcientiam inſtinctum, quod idem de obnoxijs ad Metaphyſicam, ac

*lib. 9. Aenead. 4.*

*Quiſq; detegit ſuam indolem.*

*lib. 4 cõfeſſ.*

*Euſeb. lib. 6. cap. 3.*

ac Theologiam ingenijs eſt dicendum.

At verò nec alia deſunt huius propenſionis argumenta; ſi enim ad vtramque ſcientiam inſigne, acutumque requiritur ingenium, & cum hoc rarò fęlix ſociatur memoria, iuxta doctrinam ſæpiùs iactam, ſequitur pueros memoria pollentes hiſce rarò eſſe habiles ſcientijs, in quibus ingens diſputandi, diſtinguendi, apprehendendi requiritur vigor, qui eſt ingenij proprius, & ad rei nouæ pertinet inuentionem, minimè ad rei veteris in arca memoriæ impreſſæ dignotionem, quæ in alijs, vt in Grammatica, & Iuriſperitia potiſſimùm exercetur, in quibus ægrè locum habet inuentio. Iccircò Quintil. ait memoriam eſſe præcipuum ingenij ſignum ad Eloquentiã idonei, vt in qua memoriæ vis eſt ſummopere neceſſaria. Et ex hoc ſequi videtur quòd pueri multùm loquentes cum forti polleant memoria non ſunt ad Metaphyſicam habiles, quod herculè rationi cõuenit, quia Metahpyſica complexio ſtat in calore primi gradus, eloquendi verò temperies hunc tranſcendit, attingitque ſecundum caloris gradum. Ac licet ſuprà quàmplurimos Theologos, ac Philoſophos facundiſſimos recenſuerimus, non per hoc tamen facundia euadit harum ſcientiarum indicium; quippe aliud eſt non repugnare Theologi, & Philoſophi naturæ facundiam, quod ibi contra Huarthem probandum ſuſcepimus hoc inficiantis, aliud quòd facundia indicet in pueris ad eas ſcientias propenſionem: non enim hæ inter ſe propoſitiones cõuertuntur. Propterea D. Thomas, qui omnium Metaphyſicorum, ac Theologorum exemplar eſſe poteſt, vel in iuuentute taciturnus fuit, vnde bos mutus à condiſcipulis vocabatur.

*Memoria magna eſt ſignum negatiuũ ingenij Theologici.*

*Multum loquentes non valent genio ad Metaphyſicam.*

Præter huiuſmodi ſigna, nec ſpernendum eſt aliud à Logicæ apprehenſione deſumptum, quam ſi facilem puer præſetulerit, ſuam etiam teſtabitur ad Metaphyſicã habilitatẽ. Eſt enim Logica Metaphyſicæ ſubalternata, quia recipit ab hac principia probata, quæ ipſa probare non poteſt, ſicut Logica Metaphyſicæ ſuggerit regulas inſtrumentorum, ſeu demonſtrationis, definitionis &c. ſine quibus illa intelligere non poteſt rectè ſciat, nec ne. Qui ergo in Logica celeriter profecerit, iàm magnã Metaphyſicæ partem hauſerit, proindeque ſuam ad hãc ſcientiam indolem patefaciet; ſicut è contra qui ad Logicam fuerit inhabilis, nedum in Metaphyſica, ſed neque in alia ſpeculatiua ſcientia, notabiliter vnquam proficere compertiſſimum eſt. Quia (vt verè ait Albertus) Logica eſt, „ quæ à phantaſijs quæ videntur, & non ſunt, liberat, errores damnat, fal- „ ſitatem oſtendit, & lumen rectum in omni opere contemplationis præ- „ bet. Et antea D. Auguſtinus eam artem dixerat eſſe artium, ſcientiam „ ſcientiarum, qua aperta omnes aliæ aperiuntur, qua clauſa clauduntur. Hinc fortè factum vt in omnibus gymnaſijs, adoleſcentes ante aliarum grauiorum diſciplinarum captum Logicę applicentur, quò ipſorum

*Profectus in logicis indicat indolem Metaphyſicum.*

*Magn. li. prędicab. c. 3.*

rum ingenia, velut ad Lydium colliſa lapidem comprobentur, indeque ſuam præceptoribus ad eminentiora, præſtantioraque detegant vel indolem, vel ineptiã. Dixi adoleſcentes, quia ſi pueri ſuprà ſeptimum annum, & infrà decimum quartum in Logicæ ſubtilitatibus, vel alijs intellectus muneribus ſummoperè enituerint, ſignum futuri in ſcientijs progreſſus euadet incertum, propterea, quia cum tanta in puero præſtantia, nonniſi à præmaturo quodam, ac violento caloris luxuriantis impetu fiat, multùm durabilis non eſt, quapropter multo non interiecto tempore diſſolutus elanguet, nec viuidi ampliùs illi emicant in corpore ſpiritus, qui intellectus adaugeant vires, ſed frigidiores effecti, ſtuporem, & inſcitiam inducunt. Hoc multis contigiſſe tradunt hiſtoriæ; præ cæteris Hermogeni rhetori eximio, qui ætate annorum duo de viginti, cum fæliciſſimo præſtiterit ingenio, & ad probatum illum de formis dicendi librum conſcripſerit, poſteà maior natu factus, obtuſa mentis acie ferè ſemiamens eſt redditus. Hùc reſpicit adagium illud: Odi pueros præcocis ingenij, ſuper quo Alciatus Emblema elegans concinnauit. Neque mentiri edocent etiam plantæ, quæ intempeſtiuo vigore fructus dùm proferunt, ad maturationem eos non deducunt, & quæ ſi primis annis magnam ipſorum copiam ediderint, medijs, ac poſternis omninò deficiunt.

*Nimia ſubtilitates Logicæ in puero improbãtur.*

*Pueris non cõuenit multum ſapere.*

Ea igitur erit optima puerorum indoles, quæ non præferat ſapientiæ flammam plùs nimio micantem, citòque in auras ſolubilem, ſed ſcintillas duntaxat, velut ex vmbris imperfectæ pueritiæ transfulgentes; temporis enim progreſſu eas in maximam euaſuras ingenij lucem, quiſque non iniuria coniectari poteſt.

Huiuſmodi indicijs addunt nonnulli eſſe hominis acuti intellectus ferè proprium malè ſcribere, ac legere, quod quotidiana obſeruatione conuinci aiunt præclariſſimorum hominum, qui caracteres adeò formant inconcinnos, ac deformes, vt vix legi, vel ab attentiſſimis queant: ac memini me iam colloquia per epiſtolas cum clariſſimo huius æui Theologo ſerentem, eas obſcuris adeò caracteribus ſcriptas accipere conſueuiſſe, vt velut Arabicis formulis conſtare viderentur, ac præterea obliquis omninò in pagina ſcriptæ verſibus, folium me pro legendo cogerent inflectere. Qua ex re profectò magna tunc admiratione capiebar, qui cauſam huius effectus nondùm animaduerteram, quæ mihi poſtmodum perquirẽti ſuccurrit, ſcilicet cum huiuſmodi homines ſubtilibus, ac celerrimis ſint referti ſpiritibus, tàm in legendo, quã in ſcribendo prompto mentis motu præcurrunt, & oculorum, & manus operationem; quare vtraque pars huiuſmodi velocitatẽ non aſſequens labitur, & lapſum phantaſia non aduertit, vtpotè ijſdem celeriter delata ſpiritibus ad alios, atque alios ſubindè rerum formandos conceptus.

*Homines magni intellectus malè ſcribunt, & cur.*

Præterea neque omittendum eſt facultates illas omnes, quæ à calore ſecundi gradus perficiuntur, ſi in aliquo aliqua inſit, ingenium oſtendere ſubtilitatibus, rerumque ſpeculationibus minùs idoneum, quia cùm ſit huiuſmodi calor aliquantò maior intenſiuè, vt potè fundatus in materia aduſtiore, & craſſiore, ac ſit etiam maior extenſiuè, quia vis eius, ne dum ad ſpeculationem, ſed etiam ad effectionem extenditur, ſequitur intellectum ab ipſo impenſiùs commoueri, adeò vt licet quodammodo fiat acutior, tamen ad iudicandum non ſit aptus, perinde ac in temperie calida primi gradus, docuimus enim ſemper iudicium remiſſiori calido gaudere. Ingeniũ Metaphyſicis aptũ ſufficiẽtem aſſequitur ſubtilitatem à calore, qui temperatum nonnihil excedat, cum quo etiã ſtare optimum poteſt iudicium, quod in ſpeculando maximè requiritur, & ſi dicas, quòd phantaſia parùm ab hocce gradu perficitur, vt quæ intenſiorem requirit calorem, proindè imperfectiorem etiam eſſe intellectum, qui ſicut à bona eius conditione perficitur, ita à mala deprauatur. Reſpondemus phantaſiæ perfectionem conſiſtere in latitudine quadam, ſiue in duplici eius actione, immanente ſcilicet, ac tranſeunte: illa vt in 1. libro diximus cap. 10. in ſola interna cognitione ſiſtitur, hæc in externa actione, & effectione. Interna actio perficitur à calore temperato: externa à vegetiore. Pro metaphyſicis igitur ac theologis, alijſq; ſubtilibus ſtudijs, ſola ſufficit internæ actionis perfectio. Pro alijs diſciplinis vel artibus ad opus relatis, requiritur perfectio externæ, quam nonniſi adauctus confert calor in ſecundo gradu. Ergo ad picturam habilitas, & ad poeſim, & ad mechanicas, & ad politicam, & ad negotiationem mercaturæ, vel etiam practicæ medicinæ, vel muſicæ, vel artis militaris, vel ſtatuariæ, vel coſmeticæ, (quæ eſt ornatus, vel cultus corporis nimius), vel aulici exercitij, vel vrbanæ ſalſæque dicacitatis, ſignum erit ingenij plerunque ad ſpeculatiuas functiones inhabilis, quia hæ ſingulæ ſuis in actibus calore gaudent vegetiore, quàm ad ſolius intellectionis officium requiratur.

*Ingenia quę proficiũt in actiuis non valẽt in Metaphyſica.*

Huarthes addit iactantiam, & ventoſitatem quandam idem inhabile ingenium ſignificare, è contrà nihil magis notare robur intellectus, quàm ſui contemptum, ſpirituſque abiectos; quia ventoſitas fit ab vno gradu caloris, qui optimè coit cum humiditate, quam cum reſoluere non poſſit excitat in flatus, vnde tumor quidam, & faſtus; intellectus autem humiditate non perficitur, ſed ſiccitate. At verò ſuprà oſtendimus, quomodo iactantia optimè viris ingenioſis conueniat; quia nimirùm conſtant partibus ſubtilibus, & aereis, ex quibus fit ventus, tùm quia conſtant plurima melancolia, quæ ventoſiſſima eſt ob partium inæqualitatem. Itaque labitur hic auctor excludens ab ingenioſo iactãtiam, & ventoſitatem; Verum eſt eam in viro iudicij robore prædito

*Abiectio ſui indicat genium Metaphyſicum.*

*Cõtra Huarthem.*

rariùs

rarius inueniri; quippe hoc magis viget in humiditate groſſiore, & phlegmatica cum calore temperato, qui non multùm ipſam commouet ad ebullitionem, quare nec multum excitat vaporem, qui tumorem faciat. Porrò loquitur ſibi contraria idem auctor, nam Hiſpanicam nationem, ex qua ipſe prodijt, ad Metaphyſicam, ac Theologiam ſcholaſticã omnium aptiſſimam iudicat, nullam tamen turgidiorem, ac iactantiorem, cum ipſemet aſſerit, tùm noſtrates agnoſcunt: non igitur abiectio ſui eſt intellectus ad Metaphyſicam habilis argumentum: ſed potiùs iactantia: eſt quidem abiectio cuiuſdam iudicij, ſeu prudentiæ in moralibus actionibus ſignum, quoniam ea notat frigiditatem, quæ pacatos progignit ſpiritus, non ferentes, qui elati animi ſemper auctores exiſtunt: hanc autem frigiditatem eſſe prudentiæ vtilem, ſatis ſuperiùs declaratum eſt. Aſſeret quiſpiam Hiſpanos iudicio plurimùm valere, ac tamen ſunt etiam iactabundi: erit igitur ne dum abiectio, ſed iactantia *Iudiciũ & iactantia quomodo coeant.* iudicij ſignum. Dicimus quòd iudicium vel fit à phlegmate moderato, vel à moderata melancolia, ſiue à paruo eius exceſſu: in primo tanta non adeſt ventoſitas, quia calor ſatis phlegma cæteris adæquat humoribus, vt in Italis, ac præſertim Venetis, qui propterea ſui potiùs *Veneti cur polleant iudicio.* contemptum, quàm faſtum exercent: in ſecundo magna fit ventoſitas, quia melancolici ſunt ventoſi, quales Hiſpani, ac tamen iudicio valent, ob huius humoris craſſitiem, ex qua vim acquirunt rerum pondera diutiùs, & ſolertiùs æſtimandi. Quia verò iſtorum iudicium magis conſiſtit in aſtu, & vafritie, qualis vulpium eſt, illorum verò in iuſto rerum examine, ac diſtributione, qualis elephanti attribuitur, ideò certius euadit boni iudicij ſignum abiectio, quàm iactantia, quæ magis oſtendit ingenium. Verùm tranſeamus ad ſigna deliteſcentis in aliquo mathematicæ habilitatis.

## *Mathematicorum ſigna & Phyſicorum. Cap. X.*

SI Mathematici melancolia ſunt præditi aduſtiore, ideòque craſſiore, (vt ſuperiùs demonſtrauimus) quàm ſint Metaphyſici, qui moderatiore cõſtant, ſequitur ad illos pertinere melancolici temperamenti ſigna, quod in partibus ingenio dicatis inſit, quales præcipuè ſunt cor, & cerebrum, nec non hepar, & ſpiritus; huiuſmodi autem ſigna ſuprà in huius libri 1. & 2. cap. recoluimus. Eò igitur te referes, vt huius temperamenti, calidioris nimirùm, & ſiccioris, proindeque aliquantò craſſioris haurias indicia. Verùm, quia licet ſigna humorum, ac temperamentorum generalia ſint non omninò difficilia, tamen ſigna graduum temperamen-

torum; quæ ſunt particularium ingeniorum cauſæ, ſunt apprimè implicata, & cognitu ardua, ideò in horum indagine multùm olei, & operæ non teremus, multò namque vtilius eſt ab euidentioribus quibuſdam, quales ſunt externæ cauſæ, ac effectus in corpore ſenſati hominum indoles expiſcari, cuiuſmodi methodũ etiam ſuprà in Metaphyſicorum inquiſitione ſecuti ſumus.

*Signa quædam cõmunia Mathematicorum.*

Ab externis igitur cauſis venabimur mathemathicum ingenium, æſtimantes aeris, quem quiſque hauſerit conditionem, ſi nimirùm ſit calidus, & ſiccus, non caliginoſus, & craſſus, ſed leuis, ac perſpiratus, qualis in Gallia, vbi Mathematicæ, præſertim mechanicæ vigent, & in Ægypto, vbi ſemper floruit Aſtrologia, Geometria, Arithmetica, Proſpectiua: porrò ſi nationis, vel vrbis inſtitutum fuerit huiuſmodi ſtudijs indulgere, vt Græcorum, qui pueros in Mathematicis exercere ad ingenij ſubtiliationem ſolebant: ſi etiam ex parentibus Mathematicæ ſtudioſis ſit genitus; ac demùm ſi ex lege, conſuetudine, vel alia huiuſmodi cauſa huic ſcientiæ fuerit addictus, non inſulsè de ipſius pronunciabimus propenſione. Ab effectibus autem eandem coniectabimur, ſi præcipuos illos, internoſque animaduertemus in puero motus, quibus ad huiuſmodi ſcientiam trahitur; natura enim ipſa inſitam in omnibus vim dictare videtur, vti ſuprà de metaphyſicis oſtendimus; nec fieri poteſt, quin pueri ad ipſam procliues, vel de ſyderibus libenter præceptorẽ non audiant loquentem, vel machinas aliquas interdum conſtruere geſtiant, quibus ſuam in opificijs detegant præſtantiam, inſtar ignis, qui non poteſt abſcondi, vt ait Ouidius.

*Quis enim celauerit ignem?*
*Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo;*

Sic ligneas conſtruebat ſpheras Archimedes puer: ſic Ioannem de Monteregio Mathematicorum ſui temporis principem, tradunt à primis vſque annis nocturna ſyderum inſpectione oblectari ſolitum.

*Inſtinctus ĩ pueris exemplis probãtur.*

Ego etiam puerum vix nouem annorum bubulci olim mei filium, cum mira aues induſtria captare cernerem, confectis ligneis quibuſdam arculis, ominatus ſui in venaticis præſtantiſſimum fore, quod verè contigit, quippe nec aues, nec lepores, nunc ab eius ſe poſſunt inſidijs vindicare. Andreas Palladius Vicentinus architectus omnium celeberrimus, cum puer ſcalpendis incumberet lapidibus, ac fortè in extruendo palatio Io. Georgij Triſſini poetæ clariſſimi laboraret, audiens ipſum Georgium architecturæ peritiſſimum, ſæpiùs ex artis præceptis cæteris imperantem, ita ſingula fidis condidit auribus, vt mox proprium erudiendo magiſtrum, cuius tunc erat famulus, omnes in ſui ſtuporem pertraheret, vnde ab ipſo Io. Georgio incitatus, ei ſe arti ante decimũquartum annum totus deuouit, in qua principem poſtea locum obtinuit.

Idem

Idem ferè in alia arte huic proxima contigiſſe ferunt Titiano pictorum omnium coriphęo, qui filius ruſtici Cadubrio in oppido cum eſſet ortus, interdum boum cuſtodiæ vacans in agris, ipſorum formam in humi puluere delineare cum baculo conſueuerat, quod cum caſu ſemel Pordenonus eius regionis pictor inſignis aduertiſſet, egregium pueri genium ſubodoratus, patri ſuam obtulit pro eius inſtitutione operam, ac exinde apud ſe habitũ, ſupremũ tandem vidit artis culmẽ attingere.

Promunt verè ſe ſtatim abditæ inclinationum vires, quæ attentiùs aduertentem in pueris non effugiunt: propterea maxima herclè, ac regia hæc eſt indoles dijudicandi via. *Veriſſima regula iudicãdi indolem puerorum.*

Cæterùm alia vtiliſſima ſigna Mathematicum demonſtrantia genium ſunt illa omnia, quæ genericè de ingenio dignoſcendo tradidimus, niſi quòd ingenium cum maiorem ſui perfectionem acquirat à moderata melancolia, quàm ab aduſtiore, ſigna etiam illa ſunt remiſſiora, quàm in Mathematico, cuius melancolica temperies magis à temperato recedit, proindèque calidiorem, ac ſicciorem attingit. Ergo habitus corporis, color, facies, ſtatura, mores, caro, partes corporis, & aliæ conditiones, quæ in ingenioſo moderatæ inſunt, in mathematico erunt intenſiores, ſiue magis ad calidum, & ſiccum vergentes, qua vnaduntaxat maioris, & minoris ratione, ingenioſi, & mathematici ſigna differunt; nulla ſiquidem omninò eſt ſcientia, in qua clariùs vis ingenij colluceat, quàm mathematica, in qua cælorum commenſurationes, aſtrorum diſtantiæ, ac motus, terrarum omnium magnitudines, ſituſq; percepti, & innumeræ machinarum nouitates in aquis mouendis, vel ſiſtendis, in militaribus, ruſticis, ac ciuilibus functionibus, & infinitæ propèmodum in arithmetica numerandi rationes, ſingularem cunctis inferunt admirationem: propterea Cardanus lib. 11. de ſubtil. ait, quòd ſicut memoria verborum ſerie; ac iudicium rerum naturalium intellectione, ita ingenium Mathematicarum præſertim captu probatur; ex quo per antonomaſiã viri ingenioſi nomine à vulgo, & principibus decorantur illi, qui varijs opificiorum inuentis præcellunt, minimè qui vel muſica, vel pictura, vel ſtatuaria, vel alijs huiuſmodi artibus præſtãt, in quibus tamen ingenium multoties admirandum præfert vigorem. *Mathematici cenſentur cæteris ingenioſiores.*

Quòd attinet ad phyſicos diximus in 2. lib. cap. 4. ipſorum temperamentum eſſe melancolicum, & phlegmaticum; erunt igitur iſtorum ſigna, quæ melancoliam, & phlegma indicabunt, ſed præponderabunt melancoliæ ſigna, quia hic humor in phyſicis reſpectu phlegmatis præualet, aliâs ignauum nimis eſſet iſtorũ ingenium iuxta ipſius phlegmatis naturam. Ergo ſupponendo ingenij genericè ſumpti ſigna, pro phyſico etiam temperamento venando inſeruire, non aliter ac pro mathematico (ſunt enim ea melancolici, vti diximus, temperamẽti ſigna), percurre-

curremus alia, quæ ab externis cauſis ad indicandam phyſicam indolẽ deſumuntur non omninò ſuperuacanea: etenim ſi quis Athenis fuiſſet ortus, quis ipſum fore Philoſophum denegaſſet? ſi in familia D. Thomæ, vel Scoti, vel Ieſu commoretur, quis ipſum phyſico pollere inſtinctu non coniectetur, vt in quibus perpetuis huiuſmodi ſtudijs ingenium excitatur, & fouetur? Ita ſi quis cũ Phyſicis colat ſocietates, ſi libenter Phyſicos perlegat libros, & alios de Phyſicis agentes libenter audiat, non inſulsè pronunciabimus, hunc inſitam ad phyſicam gerere propenſionem, quòd alias etiam huiuſmodi cauſas expendendo tutiùs conſequemur.

*Duo præcipua ſigna dignoſcendi phyſicũ ingenium.* Verum quæ præter iſta maximè valent pro noſcendo huiuſmodi genio duo ſunt, nempe quædam in inquirendis rerum cauſis curioſitas, necnon ingenitus iudicij vigor, quem quiſque in rerum ſingularum tractatione præfert. Prima eſt indubitabilis ſignificatio ex eo, quòd cum phyſica ſcientia in vnis rerum naturalium cauſis inquirendis verſetur, probabiliſſimum eſt, animum huius inquiſitionis auidum arcanam promere vim ſuam, qua facilè cauſarum capax reddi poteſt, ac proinde naturalis ſcientiæ illarum cognitioni dicatæ; ſicut enim curioſitas, ſi rerum ſit inutilium, nec ad rem propriam pertinentium, damnanda eſt, quippe vt ait Plautus in Sthyco.

*Curioſus nemo eſt, qui non ſit maleuolus.*

Ita ſi rerum ſit naturalium, & excellentium, debet ſummoperè commendari; refert enim verum Philoſophiæ genium, qui in ſciendi amore conſiſtit, & hac vna tot pulcherrimæ ſcientiæ, totque rerum altiſſimarum dogmata ſunt inuenta. Ideò nullam referre cenſetur ingenij habilitatem ille, qui huiuſmodi cupidine non titillatur, ſed indocilis, & ignauus habetur. Vnde Petrarcha in dialogis ait: Omnes, qui ſunt, quique erunt, aut fuerunt virtutibus aut doctrinis clari, non poſſe vnum ingenium accendere, niſi aliquæ intùs in animo ſcintillæ ſint, quæ præceptoris ſpiritu excitatæ, & adiutæ generoſum diſcendi fomitem arripiant. *Dial. 41.*

*Curioſitas i pueris probanda.* Hoc inquirendi, diſcendi, & præceptorem interrogandi deſiderium in pueris ſi menſuram non excedat, eſt ſignum ipſius etiam Ariſtotelis auctoritate firmatum, egregias dignoſcendi indoles in ſingulis diſciplinis. Interrogatus enim ſemel (vt perhibet Laertius) quo pacto poſſet intelligi, vt diſcipuli forent in ſcientijs præſtantes: ſi (inquit) præcedentes grauiter inſequantur, ſequentes non morentur: quo ſanè mirabili reſponſo voluit innuere pueros, non tàm debere facilè, ac promptè docẽtium haurire præcepta, quàm ſtudio, & ardore quodam ea perſequi, nam inſequi præcurrentem, quandam abſque dubio denotat ſedulitatem, & aſſequendi cupidinem: aſſecutio verò per vnam expletur diſcendi curioſitatem & amorem in habili flagrantem ingenio. Alterum phy- *lib. 5. cap. 1.*

ſicæ

ſicæ indolis ſignum ducitur à fomite naturalis iudicij, quod in aliquo inſit: Phyſici non ſunt inuentores, nec rerum nouarum effectores, vt Mathematici, præſertim mechanici, ſed res ſolummodò prout exiſtunt iudicant, neque accidentia per abſtractionem à corporibus intelligunt vt illi, ſed per naturalem ipſorum in corporibus permanentiam, nihil innouando, vel addendo, ſed ipſorum ſimplicem naturam, & eſſentiam, vt etiam corporum indagando, cum veritatis, & falſitatis diſcretione, ad quod verè multùm confert iudicium, ſiquidem ingenij munus magis in inuentione conſiſtit, quæ licet etiam à Phyſicis exerceatur, qui nouas quotidie inueniunt opiniones; tamen, quia hæ omnes dirigi videntur ad quoddam veritatis, aut falſitatis iudicium, in quo ſiſtuntur, ideo magnum in Phyſicis habet momentum. Ergo qui pueri pollebunt iudicio pro ætatis ſuæ ratione, ad phyſicam etiam habiles non immeritò cenſebuntur: deprehendetur hoc etiam per ſigna ſuperiùs abundè tradita in hoc lib. cap. 7. vbi notas ſingulas dignoſcendi melancoliam cum debita phlegmatis portione mixtam attulimus, in qua vtriuſque humoris proportione, quæ etiam pro Phyſicis facit fundatur iudicium. *Iudiciũ maximè indicat phyſicos*

At verò non eſt præter iſta duo omittendum, quòd profectus puerorum in logicis eſt maximum indicium futuræ in Phyſicis excellentiæ, quippe cum Logica ſit inſtrumentum ſciendi, nec ſciamus, niſi per cauſas, & rerum cauſæ pręſertim in Phyſica diſcutiantur, ſequitur quòd Logica præ cæteris phyſicæ deſeruit, tanquam proprium ipſius inſtrumentum; vt propterea qui rectè ipſum poſſideant, videantur & ipſius finem facilè conſequi poſſe, qui eſt ſcire, quod in phyſica potiſſimùm ſcientia quæritur. Verum eſt, quòd ſi puer ad nimias ſillogizandi ſubtilitates inclinet, quæ moroſiùs in logicis à nonnullis interdum ſcholaſticis excoquuntur, quia hoc Sophiſticum ſapit ingenium, non eſt pro rectè philoſophando bonum, quippe magis hoc rerum ſectatur circumſtantias, quàm eſſentias, & magis apparens, quàm verum, & magis fucatam, ac deceptoriam doctrinam, quàm ſolidam, & perfectam, quare Plato in Sophiſta eam redarguens inquit. Eſſe venationem iuuenum illuſtrium, ac diuitum, quæ fit per artem conciliandi, capiendi, acquirendi, priuatim mercedem expetentem, pecunias exigentem, eruditionem oſtentantem. Et Ariſton dicere ſolebat ſophiſtarum argutias eſſe telis aracnearum ſimiles, quæ multo conſtant artificio, ſed minima vtilitate. Ac dignoſci huiuſmodi homines ait Alex. Aphrod. quòd fallacium argumentorum genus ex rerum vocabulis ſumptum in primis exquirunt, & argutiores concluſiunculas ex æquiuocis nominibus conſtruunt, quibus veritatem obumbrando ſapientiæ opinionem aucupantur. Hoc argumentandi genus ſemper hęreticis fuiſſe familiare Tertullianus lib. aduerſus Hermog. aſſerit; ac ſanè ſi tot ipſorum recentes ineptiæ *Sophiſtarũ ingenium.* *P. Man. lib. 8. Apophteg. lib. 1. de reprehẽſ. Sophiſt. cap. 2.* *Heretici argumẽtãtur ſophiſticè.*

ineptiæ aduerſus Catholicam fidem excurrantur, ex vna, eaque inani pendere vocum interpretatione percipietur. Gerentes igitur hanc indolem pueri, ne dùm phyſicæ, cæteriſque ſcientijs erũt inepti, ſed Reip. in poſterum deterrimi, vt qui dialecticis quibuſdam, & captioſis dicterijs ieiunas imperitiorum mentes replendo, praua in vrbibus ſerunt altercationum ſemina. Moderatus itaque debet ipſorum eſſe ad logicam genius, ſiue in ijs debet eſſe potiùs facilitas eam capeſſendi, quàm æſtus, & alacritas nimia exercendi; vt enim eius ignoratione frigeſcunt ingenia, ita nimia ad ipſam applicatione turbata, fiunt in cæteris ineptiora, vt de Metaphyſicis diximus.

## *Poetarum, & Medicorum ſigna. Cap. XI.*

NVlla ſunt euidentiora ſigna, quàm poeticæ indolis, quia propenſiones ad alias artes, vel ſciẽtias, vt apertiùs detegantur indigent progreſſu temporis, quo actus quidam exerceantur, velut habilitatis, & inhabilitatis nuncij, quemadmodum in Metaphyſicis, & Mathematicis, & Phyſicis liquet, quos ex diſcendi curriculo magis, vel minùs habiles iudicari monſtrauimus: at in poetis, vel maximè pueris ſtatim apparet inſtinctus, vel ſine aliquo diſciplinæ lumine: propterea quia in carminibus adeſt rithmus, qui multa naturam perfundens ſuauitate, vehementi ipſam excitat motu ad illum exprimendum, quamobrem & cantilenas conficiunt, & carmina pangũt, & poetas ſedulò perlegunt intermixto ſæpiùs cantu, vnde ſuperque ſatis poetica ipſorum manifeſtatur indoles. Attamen ne à propoſita nobis methodo aberremus, ſi cauſarum poeticam indolem producentium ſpectabuntur indicia, certiorẽ ipſius notitiam aſſequemur. Diximus poeſim in primis ab inequali atræ bilis temperamento perfici. Eſt hoc igitur per proprias notas deprehendendum. Cum verò hæc inæqualis natura fiat ob aduſtionem, quæ vi caloris rarefacientis ſubtiles multos creat humores, & vi reſoluentis multos etiam gignit craſſos, quò maior fiet aduſtio, maior etiam fiet humoris inæqualitas, vt in poetis contingit, qui maiorem, quàm alia ingenia ſuſcipiunt aduſtionem: propterea iſtius ſic adauctæ ſigna, ipſam etiam adauctam atræ bilis inæqualitatẽ, proinde poeticam indolem indicabunt. Aduſti temperamenti ſolidiſſimè dijudicandi ſigna in 2. huius libri cap. adeò ſunt excuſſa, vt hîc ea repetere ſit ſuperuacaneum, nam quomodo illa ex habitu corporis, hepate, corde, ac cerebro hauriantur docuimus ex Galeni ſententia: differt ſolùm præſens conſideratio ab illa, quòd ibi moderatæ aduſtionis ſigna ponuntur, hîc intenſioris; ſed quia magis, & minus non variat

ſpe-

ſpeciem, ideò poſſunt ipſamet vtrique optimè deſeruire, ſi nempe hîc intenſiora accipiantur quæ ibi moderata ſunt adducta. Addimus tantùm quòd pro atræ bilis inæqualitate in aliquo noſcenda maximè valent mores, qui ſunt omninò diſſoni, & varij; idem enim audax, ac timidus, modeſtus, & immodeſtus, ſolers, & iners, pius, & impius, miſericors, & crudelis, prudens, ac imprudens, taciturnus, & loquax, conſtans, & inconſtans, in ſumma tàm ſui met diſſimilis per vices notatur, vt nouū alternatim induere hominem videatur. Huiuſce rei quotidie occurrunt exempla in atrabilaribus; præſertim poetis, quos ob talem morum intemperiem facilè ad inſaniam pronos vulgus exiſtimat. Verè namque ij ſunt aduſti, ſiue calidi & ſicci in tertio gradu, in quo atra bilis multùm accenditur, ac ſi parùm tranſcendant, degenerant in furorem, ob nimiã humoris inflammationem, quo tamen furore non ſemper læduntur, ſed iuuantur, eumque poetæ diuinam afflationem appellant, ob quam ſe velut ab humanis ſegregatos exiſtimant, vel Ciceronis teſtimonio aſſerentis, poetam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi diuino quodam ſpiritu inflammari. Sic Ouidius 3. de ar.

*Atra bilis maximè dignoſcitur à moribus.*

*Furor poeticus, quid.*

*in orat. pro Arch. poet.*

*Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cæli*
*Sedibus Aethereis ſpiritus ille venit.*

Ficinus huiuſmodi furorem redigit ad inſaniam. Poetæ (inquit) non ,, prudentiſſimi quique, & ab ineunte ætate eruditiſſimi optimi euaſere, ,, ſed potiùs inſani, qualem fuiſſe conſtat Homerum, & Lucretium, aut ,, rudiores, qualem ſe fuiſſe teſtatur Heſiodus, & quales extitiſſe Ionem, ,, & Lynnicum Chalcideum ſcribit Plato, qui præter artem ſubitò in re- ,, bus poeticis mirandi euaſere. Et Ariſt. 30. ſect. probl. 1. ait. Marcus poe- ,, ta Syracuſanus præſtantior erat, dum inſaniret: magna igitur inter ſe ,, affinitate iunguntur inſania, & poeſis: propterea tu pueros iudicio fulgentes, ad ipſam aptos rariùs iudices: eſt quidem plerunque Poetarum inſeparabilis comes quædam in agibilibus leuitas, & inſcitia, ob quam rerum ſuarum incauti curatores fiunt, vnde perpetui fortunæ euadunt increpatores, cuius inceſſanter erga ſe deplorant iniquitatem. ita neotericus quidam.

*lib. 13. Plat. Theolog.*

*Poetæ ſunt leues.*

*Tu genus nullum reperis ſub ipſo*
*Syderum lapſu inferiùs poetis:*
*Vilius ſacris nihil eſt camenis*
*Tempore noſtro.*
*Pictor ex pictæ pretio figuræ:*
*De tuba viuit tubicem canora;*
*Paſcit ars omnes, ſua ſola damno.*
*Muſa poetæ eſt.*

Et alius aliter.

*Heù miſeram ſortem, duramque à ſydere vitam,*
*Quam dat doctiloquis vatibus ipſe Deus.*
*Siue Deus, ſeu fata ferant, ſeu noſtra voluntas*
*Sunt miſeri.*

Sed profectò cum hanc artis ſuæ miſeriam non agnoſcāt ſunt inſani, quia deberent vtiliorem aliam amplexari, nec perſuaſum habere, vnis ſe beari poſſe carminibus. Hoc tamen ex imperfecto pendet ipſorum temperamento, quod præcalidum cum ſit, iudicij robur exerit adeò, vt malum, & bonum rectè dijudicare non poſſint. Hinc eſt, quòd naturæ ſuæ culpam referunt in fortunam; ac tamen ſi rectè aduerterent, ſuæ quiſque fortunæ faber exiſtit ex Iuuenali ſat. 10.

*Fortuna fauet virtuti.*

*Nullum numen abeſt ſi ſit prudentia, ſed te*
*Nos facimus fortuna Deam, cæloque locamus.*

Nam (vt ait ille) fortuna cum ſit fœmina fortibus, & magnis viris cedit, qui crebros ipſius ictus temnentes ſingulari conſtantia tandem ipſam euincunt. Seneca trag. 7.

*Fortes fortuna iuuat, ignauos premit.*

*Decad. 1. l. 4. & lib. 5.*

Ac virtutem fortuna ſequitur (ait Liuius), & quæ ſumma ratione, & conſilio aguntur fortuna ſæpè comitatur. Alius quidam optimè. Efficacior eſt ad breue tempus fortuna, ad longum virtus. Hæc igitur poetæ, vel percipere, vel exequi nequeuntes in imo plerumque ſordeſcunt, & imprudentiæ crimine notantur ab omnibus, ideò qui pueri erunt fugaci quadam prudentia præditi, & inconſtanti viuacitate, interdùm hilares, interdùm abiecti, modò loquaces, modò ſine cauſa taciturni, amoribus autem ſuprà modum obnoxij, necnon muſicæ, ac picturæ & comicæ, in ijs poeticus latebit genius, quia in hiſce ſingulis ſtat delectatio, & imitatio, quæ duo ſemper poeta ex Ariſt. doctrina ſectatur. Ac ſanè qui rectè Oedipi, vel Sophonisbæ carmina recitat in Theatro, aptæ vocis, ac geſtus actione: qui affectationem adamat, & ſcribendi, & loquendi: qui rectè in pagina effingit figuram, & concinnos caracteres format, quia refert inſitam imitandi vim, facilè ad poeſim poterit inclinare, vt etiam ad picturam, quæ pariter eſt imitatio, propterea dicitur poeſis eſſe loquens veluti pictura, & hæc muta poeſis: quamobrem communia vtriſque ferè ſunt ſigna, vt communes eſſe conditiones innuít Horatius in arte.

*Signa poetici genij.*

*lib. de poet. 9*

*Pictoribus, atque poetis*
*Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.*

*Signa diſtinctiua inter poetam, & pictorem.*

Per illud tamen diſtinguitur vtriuſq; genius, quòd pictor magis operatur per oculos, poeta per aures, & pictor phantaſiam magis habet operantem, poeta contemplantem, in illo eſt calor vniformior in materia ſtabiliore, in hoc inæqualior in materia mobiliore: propterea in

illo

illo poteſt maior iudicij robur, quàm in iſto reperiri; ac moribus plerunque dotatur ille probatioribus, quàm hic: ſic multi ſancti fuere pictores, vt D. Lucas, & alij. Poetæ verò fortè nulli.

Iam de medicorum indicijs ſermonem habentes, dicimus ea primũ referri ad ipſorum temperamentum, quod æquè phlegmaticum eſt, ac in phyſicis, ſed magis ipſis melancolicum, accedens nimirùm ad poetas, quare propiùs ad Mathematicos mechanicos videtur accedere, quia ſicut phyſici æquiparantur in contemplatione, ita mechanicis in operis effectione: igitur cum phyſici polleant iudicio, eo etiam pollebunt medici, ac proinde ſigna omnia, quæ pro eo dignoſcendo ſunt adducta, ad ipſos etiam pertinebunt, ac proprio illa capite tu quærito. Mechanici verò cum ſint in ſecundo gradu calidi, & ſicci, ſiue melancolici, qui calore nedum contemplationi deſeruiente, ſed actioni etiam idoneo gaudent, cuiuſmodi calor in medico neceſſariò pro exercenda praxi reperitur, ideò ſigna omnia mechanicorum, ſiue hunc ſecundi gradus calorem denotantia, (de quibus ſuprà cap. 10.) ad medicum etiam genium deprehendendum facient, niſi quòd mechanici aduſtioribus, & ſubtilioribus quibuſdam partibus conſtant, quia ſunt magis rerum inuentores, medici verò ſunt magis ipſarum iudices, ideò craſſioribus illos dotatos eſſe partibus rationabile eſt. Quæ ſanè eſt methodus venandi medicorum ſigna ab internis ipſorum cauſis, ſeu temperamento. Ab externis nec inutiles penitùs ducentur coniecturæ, vt à regione, in qua quis ſit ortus, ſi medicorum ſit ferax, qualis Ægyptus & Græcia, & ſub noſtro climate Patauium, vbi medicina, & nata, & alta eſſe videtur, cũ huc ex toto orbe ægroti cuiuſcunque generis tanquam ad Æſculapij oraculum confluant: à genere ſi quiſpiam auis, & parentibus medicis ſit genitus, vt Æſclepiades, in quorum familia complures continuata ſerie medici prodierunt, aut noſtro tempore Veſſalij, ex quibus Andreas patre, & auo, atauoque medicis creatus: à ſtudio ſi quis lectione librorum eius ſcientiæ delectetur: à fortunæ bonis, quia diuites, & nobiles huic ſtudio minùs propenſi eſſe videntur, vti nimis laborioſo: à ſocietate, quia pares cum paribus conſueſcunt: ab animi affectibus, nam miſericordes ad medicinam videntur propenſiores, cuius profeſſio non eſt à pietate ſeiuncta: ſic per alia huiuſmodi capita diſcurrendo medicam indagabimus indolem.

*Medicorum ſigna.*

*Patauium Æſculapij officina.*

At verò hæc ex cauſis indicia relinquendo, effectus in corpore aliqui eiuſdem præſtabunt fidem. Sed occurrit dubitatio, an per eadem ſigna detegatur indoles ad Theoricam, & Practicam medicinam, an per diuerſa; nam Huarthes cap. 10. excellentiam practicæ refert ad vires phãtaſiæ, theoricæ ad robur, & præſtantiam intellectus, ac bonam phantaſiam cum bono iunctam intellectu ſtare non poſſe naturalibus funda-

*An eadem ſint ſigna indolis ad Theoricam, & practicã medicinam.*

mentis probare nititur; igitur practica, & theorica diuerſis, & propè cōtrarijs innixæ facultatibus, diuerſa requirēt neceſſariò temperamenta, quæ proinde per diuerſa ſe patefacient ſigna. Cæterùm ex ſuperioribus abundè petitur huius difficultatis diſcuſſio, vbi contrà hunc auctorem probauimus, optimum intellectum cum optima phantaſia neceſſariò copulari, quia hæc eſt ceu ianitor ſpecierum interiorum, qui prout eas benè, vel malè defert, ita eas intellectus benè, vel malè contemplatur. Dum ait in theorica expendi vniuerſalia, in praxi particularia, & ſicut ea non poſſunt à phantaſia percipi, ita neque iſta ab intellectu, per conſequens diuerſa officia in diuerſis ſcientiæ partibus expleta, diuerſa expoſcere inſtrumenta, ſeu temperies. Reſpondeo eſſe diuerſa officia, ſed ſibi inuicem ſubalternata, ita vt phantaſia in praxi medica, circa particulares naturas operans, intellectus præcedenti egeat lumine, qui ex vniuerſalibus propoſitionibus cognitis iuuet ipſam ad edendam in particularibus actionem, vt agnoſcens phantaſia frigidum huius hominis ex particularibus notis morbum nequit curare, niſi ei ſuggerat intellectus vniuerſale, ſcilicet contrarium contrario curari, ac proinde frigidum calido. Hoc verò vniuerſale rectè nequit ab intellectu formari, niſi phantaſia ei phantaſmata rectè ſuggerat depurata, & aptè per ſenſus cognita exteriores. Igitur hic mutuus vtriuſque facultatis conſenſus facit, vt theorica, & practica ſint adeò ſibi coadiuuātia, vt ſicut hæc ab illa illuminatur, ita illa perficiatur ab iſta: propterea non adeò ſibi erunt contrariæ, ac repugnantes, vt vna cum alia coire nullo modo poſſit. Verum eſt, quòd cum in omnibus ſcientijs, & ingenijs præſtans vnius phātaſiæ actio requiratur, hæc pro multis, quos ſortiri poteſt, gradibus eſt in cauſa, cur aliud ingenium in theorica, nempe in ſpeculando, aliud in practica, ſcilicet in agendo præſtet. Diximus ſuprà gradus huius præſtantis actionis ad duos redigi præcipuos, quâ vel eſt immanens, vel tranſiens: illa inſeruit theoricæ, quia non extenditur ad opus, hæc practicæ, quippe illud attingit. Ergò adeſt in theorica immanens phantaſiæ perfectio, in practica tranſiens: illa præbet gradus ad iſtam: erit ergo idem vtriuſq; temperamentum, nec niſi per gradus diſtinctum, puta calidum (quia phantaſia perficitur calido,) ſed in immanente remiſſius, in tranſeunte erit intenſius, dictante ratione tranſitum ad opus, vlteriorem caloris gradum poſtulare. Ex his ſequitur eadem etiam vtriuſque medicæ indolis ſigna eſſe, nec niſi ſecundum magis, & minus diſtincta. Et in quo vtraque aderit, ſigna etiam vtrique propria conſpirabunt. Sed rarò vtraque in vno nectitur indoles, quia ſicut ſpeculatio in theorica phantaſiam moderatè calidam requirit, ne calore nimio perturbetur, ita practica hunc requirit, vt operationi poſſit ſufficere: illa igitur reſpectu practicæ defectum, hæc reſpectu theoricæ patitur caloris exceſ-

*Theorica, et practica medicinæ ſibi inuicem deſeruiunt.*

*Cur rarò qs in Theorica valeat, & practica.*

exceſſum: hac de cauſa in vna pollens, in altera vt plurimùm deficit, neque aſſignanda eſt huius rei cauſa in intellectum, & phantaſiæ contrarietatem, quod abſurdè facit Huarthes.

Sunt itaque medicæ habilitatis ſigna effectus (vti diximus) quidam in corpore, nempe interni illi, & externi omnes, quos pro phyſicis dignoſcendis attulimus, parùm enim diſcrepat à phyſico medicus, quia ſicut ille principia, cauſas, & accidentia corporis naturalis inquirit, ita hic idem facit humani corporis, ideò bonum medicum, bonum etiam phyſicum eſſe neceſſe eſt, vt Ariſt. & Galenus pluries docuerunt. Additur ſolùm, quòd maior quædam in medico requiritur memoria, quàm in phyſico, ad hoc vt herbarum, radicum, ſeminum, florum, mineraliũ, lapidum, gummatum, lignorum, & infinitorum propè aliorum medicaminum recordetur; ac porrò etiam vt hiſtorias plurimas ægrotorum recolat, ex quibus artis axiomata per inductionem elicit, ac firmat, quibus innixus tutò ſanitatem per debita media in corpora introducat. Ampliùs ex conditionibus, quas Hipp. requirit in medico, non temnenda ſumi poſſunt medicorum argumenta. Ait in lib. de medico debere ipſum eſſe bono colore, & carnoſo corporis habitu, ne ſi gracilior, & pallidior ſit, increpetur à vulgo, quaſi cæteris mederi neſciat, qui ſibi non medeatur. Probat etiam in ipſo veſtitum elegantem, ac decorum, & gratos odores ad ægrotorum captandam beneuolentiam. Addit eſſe debere modeſtum, taciturnum, & in geſtu corporis probè compoſitũ, & moribus honeſtis, non præcoci promptitudine, non garrulitate, vel audacia, & nimia facilitate præditum, quia licet ſint hæ dotes interdum vtiles, tamen ſui apud vulgus contemptum inducunt. Erit porrò facie meditabunda, & ſubtriſti, non tamen amarulenta, ne habere homines odio videatur. Non exoluatur in riſum, non hilaritatem præferat nimiam, ne inanium ſectator, grauiorum neglector iudicetur. Sit verò in primis iuſtus, quia cum multa cuiuſcunque generis, & ordinis colat commercia, ac ſe intrà ciuium domos cum vxoribus, & virginibus immiſceat, ac interdum cum maximè opulentis, quorum vita, vel mors promiſcuè à plurimis expectatur, nullam debet vſpiam ſui ſuſpicionem relinquere, ſed inculpata nominis auctoritate nitere, quò venerabilior & gratior euadat vniuerſis. In alio autem libello de decenti ornatu proponit Hipp. qualitates in medico quærendas, dùm ipſum inuiſit ægrotum, inquiens. In ingreſſu verò meminiſſe conuenit & ſeſſionis, & habitus ſubmiſſi, amictus compoſiti, auctoritatis, breuiloquentiæ, vt nihil cum perturbatione facias, aſſeſſus, diligentiæ, reſponſionis ad ea, quæ occurrunt, & ad tumultus fientes compeſcendos, conſtantiæ apud te ipſum, increpationis ad turbas caſtigandas, promptitudinis ad miniſteria. Ex his omnibus, prout magis, vel minus in aliquo inueniuntur, medi-

*Medicus debet valere memoria.*

*Hipp. lib. de decenti ornatu.*

*Medici conditiones ex Hipp.*

medicam etiam alternatim emetiemur indolem. Vnum præ cæteris ſignum notabile proponit Huarthes cap. 8. quòd ſcilicet homines deriſore genio prædıti, ſeque ad alterius perſonæ geſtus, & habitum ſubſannando fingentes, nunquam in re medica excellenter proficiunt, quia phantaſiæ quodam gaudent gradu, ac temperie huic arti multùm aduerſa. Hi poterunt fortè dignoſci, quòd aſſimilentur ſimijs, quæ geſticulationibus quibuſdam, ſe ad humanas confingunt actiones. Hæ ab Ariſt. in Phyſiogn. cap. 9. dicuntur eſſe natibus modicam carnem, ac veluti deſſiccatam habentibus, oculis paruis, & cōcauis, paruis auribus, ac facie parua; atque ideò quicunque illas referunt prauo, ac maligno ait præditos eſſe ingenio. Nil ergo mirum, ſi neque in medicina proficiant, quæ rectum, ingenuumque requirit.

*Deriſores nō proficiũt in Medicina.*

## *Signa Moralium, Leggiſtarum, & Politicorum.* Cap. XII.

SVnt iſtorum ſigna promiſcuè proponenda, quòd inter ſe parùm natura, & profeſſione differant. Morales conſiſtunt in temperatura quadam media, vt animi paſſiones poſſint ad mediocritatem redigere, in qua ſtat virtus, ergo ſigna temperatæ complexionis ad eos maximè pertinebunt, quæ nimirùm cor, & cerebrum, & ſpiritus in ijs maximè temperatos oſtēdant, de quibus hîc longiùs agendum non eſt, quòd in 1. & 2. huius libri capite vberrimè ſint adducta. Ita cùm politici ſint aliquantò moralibus actiuiores, deflectunt magis ad calorem, ſed in materia melancolica multò phlegmate temperata fundatum, quia debent publicum exercere regimen, in quo calor requiritur vegetus, ſed cum cautione, & conſilio, pro quo phlegma remorans eſt neceſſarium. Signa igitur huius temperaturæ ſunt eadem ferè, quæ iudicium interſtinguunt, quia munus decidendi, approbandi, eligendi quid vtile, quid congruum pro republica ſit, ad vnum attinet iudicium, munus autem exequendi ad phantaſiam eodem iudicio directam; propterea ſigna ſuperiùs propoſita dignoſcendi iudicij, proderunt ſummopere ad politicorum indolem cognoſcendam, vt etiam Leggiſtarum, in quibus iudiciũ magis requiritur, quàm ingenium, quia non ſunt hi rerum inuentores, ſed quaſi electores, cum eorum labor magis conſiſtat in decerpendo ex alijs, quàm in indagando noua; ſtat enim apud ipſos pro ratione voluntas; propterea circa rem quæſitam qui vberiores afferunt Iuriſconſultorum opiniones rei veritatem tutiùs ſtabilire videntur, ad quod quiſque videat maxi-

*Signa iudicij valēt ad dignoſcēdos politicos.*

maximè conferre memoriam, ſicut ad electionem ſententiæ verioris in tanta opinionum turba, videat quiſq; potiſſimùm conferre iudiciū.

Cæterùm præter hæc abditiora ſingulorum ſigna, alia quoque non deſunt euidentiora. Moralis ideam circumſcribunt morum virtutes illæ principes Iuſtitia, Temperantia, Prudentia, Fortitudo, ad quas quilibet propenſus, caracteres quoſdam geret in corpore particulares, quos ſedulus Phyſiognomiæ ſectator animaduertat. Sic iuſtum effingit Porta ex Criſpo, quod ſit corpore admodum commenſurato, ſicuti moderato prorſus eſt animo, porrò vultu venerabili cum virginali quadam delineatione, & aſpectu formidoloſo, & oculorum motibus, neque humidis, neque atrocibus, at reuerentia, & mæſta quadam dignitate præditis, quorum omnium ſignorum affert rationes, quia iuſtus debet eſſe grauis, & incorruptus malorum hoſtis, ideoque terribilis, porrò virginea ingenuitate nitens, quia bonis fiduciam, & patrocinium præſtat, ob quæ digniſſimus hominum habetur, & cuilibet ordini ſuſpiciendus, qualis inter feras eſt leo, & elephas, quorum à naturalibus iuſtitia ſummoperè laudatur & lineamenta non multùm ab allatis diſſimilia conſpiciuntur. Eadem ſunt etiam temperantis ſigna, quia temperantia ſequitur iuſtam, & æquabilem humorum proportionem. *Signa iuſti.*

Fortis non afferuntur ab Ariſt. ſigna in Phyſiognomicis, niſi quoad corporis robur; ſed vera, & moralis fortitudo eſt illa, quæ pertinet ad animum, & generoſa quædam eſt audacia, cuius habentur huiuſmodi apud Baldum indicia. Facies quædam virilis, & leonina, mentum acutum, os magnum, vox canora, magna, grauis, & lenta, æqualis tamen, figura erecta, armi lati, oculus cæſius, vel leoninus, ſubobſcurus, mediocris, non apertus, neque clauſus, concauus, immotis intuens palpebris, & ſe parùm mouens, non tamen immobilis, vt in Nerone, ſed & ſiccus, & cum quodam ſplendore turbidus, parùm ridens; rariſſimè lacrymans, aut præferens dolorem, caput mediocre, naſus grandior, tenuia labra, ſuperiuſque cooperiens inferioris partem, inceſſus ſtabilis, mediocris, potiuſque tardus, quàm celer. Adde tu ex Ariſt. quòd nebuloſam habentes frontem ſunt audaces, quia referūtur ad tauros, & leones, & pro nebuloſa intelligitur obumbrata & rugoſa, præſertim à medio ſuprà, qualis in iraſcente cane conſpicitur, & naturaliter in leone, ac tauro; cuius rei eſt illa ratio, quòd hæc paſſio pendet à cordis caliditate, ac ſiccitate, quæ cum afficiat phantaſiam, & hæc in anterioribus vigeat cerebri organis, exſiccantur etiam adnexæ illis partes, nempe frons, quæ propterea corrugatur ęquè ac corium igni admotum. *Comm. in Phyſiogn. Ariſt.*

Demùm prudentia dignoſcitur ex ijs omnibus, quæ ſuperiùs in capite de iudicij ſignis attulimus, quæ hìc breuitatis gratia omittuntur. Verùm dubitatur quia multi morales eſſe adnotantur qui tamen moralia

in cor-

in corpore ſigna non præferunt, vti Socrates, qui à Zopiro Phyſiognomo ſemel examinatus, ſtuporis, & inſcitiæ, ac laſciuiæ nota damnatus eſt, quæ tamen in ipſo vitia verè deerant, vnde Alcibiades audito Zopiro in cachinnum prorumpens, ipſum ceu delirum, & fatuum exiſtimauit. Sed Socrates redarguit Alcibiadem, ac noſtrã quoque diſſoluit dubitationem, inquiens verè Zopirum pronunciaſſe, habitu autem, ac Philoſophia ſe inſitas correxiſſe propenſiones. Non ergò in ſuis ſignis Phyſiognomia fallit, quia eius eſt munus non aſſerere in aliquo paſſiones, ſed propenſiones; quippe illæ voluntate plurimùm immutari poſſunt, vt quandoque nec inſitis, proprijſque corporis reſpondeant ſignis. Hoc de ſe pariter teſtatur Cardanus; quòd licet natura ſuprà modum foret luxui, ludiſque deditus, nec non lucro, & ambitioni, ad quæ miros in ſe ipſo experiebatur impetus, (eorumque inſignes propterea referre debebat notas) tamen ait: conſuetudine ita obdurui, vt nunc diuitias „ parùm, honores nihili faciam. Et hoc in nobiſmetipſis quotidie expe„ rimur, tùm inſitæ electionis noſtræ freti vigore, qua efferos propenſionum motus repellimus, vnde gignitur in nobis habitus ad bonum, tùm diuino fulti ſpiritu, qui conatus noſtros indeficientis gratiæ viribus comitatur.

*Signa in Phyſiognomia oſtendunt propẽſiones, non paſſiones.*

*lib. 8. de rer. var. cap. 43*

*Praua inclinationes habitu corriguntur.*

Iam verò Leggiſtarum ſigna quædam particularia ſunt ex Huarthe illa, quæ ad memoriam pertinent, ideòque puerum optimum fore Leggiſtam auguratur, ſi literas alphabeti facilè didicerit, vel ſi facilè Grãmaticam hauſerit, quæ eſt facultas memoriæ aſſignata; ſed hallucinatur poſtea, dùm ipſum in praxi legum inhabilem fore pronunciat, ſcilicet in iudicando, quia bona memoria cum iudicio vti diximus optimè ſociatur; gaudet enim vtrumque conſimili temperamento, frigidiore ſcilicet aliquantò, & craſſiore, ideòque ex Ariſt. iudicio præditi homines maximè viribus memoriæ innituntur, potiſſimùm in moralibus, in quibus cautos fieri, ex multo rerum vſu, ac memoria neceſſe eſt. Verum quidem eſt huiuſmodi puerum minùs habilem fore in aduocando, (vt ipſe ſentit Huarthes), quod eſt alterum legis practicæ munus, in quo cum debeat argumentari, leges interpretari, ad ſuumque ſenſum trahere, magnę requiritur ſubtilitatis ingenium, quod in Leggiſta theorico, neque neceſſarium, neque facilè innaſci poſſe videtur; quippe hic in proprijs materijs, vel caſibus ſufficit, vt plurimas afferat leges eos decidentes, quod eſt memoriæ, vel in varijs, & diſcordantibus ſententijs eligat meliorem, quod eſt iudicij, ſed parùm in ſingulis argumentatur, & inuenit quod eſt ingenij. Eſt igitur in ipſo ingenij acuties quodammodo ſuperuacanea: ſed hæc etiã in ipſo naturaliter deficit, quia ſubtilioribus, ac vegetioribus caret ſpiritibus, quàm in memoria, vel iudicio requirantur. Huiuſmodi Leggiſtæ ingenium prædictus auctor aſſerit le-

*in Exam. ingen. c. 11.*

*Leggiſta nõ multũ valet ingenio.*

ctori-

ctoribus eſſe conuenientiſſimum, ac meritò, quia in exedra in frequenti ſcholarium conſeſſu, plurimas afferre legum allegationes, variaſque doctorum opiniones, notabilem auditorum conciliat plauſum; ac licet etiã lectores argumententur, interpretentur, dubitent, ſoluant, inueniant; tamen quia hæc ex arbitrio ſibi formant, abſque aduerſarij repugnantis præſentia, non elatum expoſcunt ingenium, at mediocre, quod arbitrarijs hiſce artibus ſufficit. Cæterùm hæc de Leggiſtis ita dicta eſſe intelligantur, vt non vniuerſaliter, ſed in pluribus ſint vera; nam quandóque idem homo non ſolùm bonus Leggiſta, & iudex, ſed aduocatus etiam eximius euadit, ob excellẽtem qualitatum elementarium inter ſe miſcellam, ac temperiem, vt pluries obſeruamus: porrò licet Leggiſtas dixerimus valere vt plurimùm iudicio, & memoria, aduocatum vt plurimùm ingenio, tamen rei veritas eſt, quòd aduocatus debet etiam valere memoria, quia niſi argumenta ſua, & inuenta firmet auctoritate legum, carent omni apud iudicem fide; ad leges autem adducendas, quæ ſunt propèmodũ infinitæ, memoria, vti diximus valida requiritur.

*Lectoris ingeniũ quale.*

*Aduocati indoles.*

Ex his etiam infero aliud ſignum notabile pro dignoſcenda in puero aduocandi indole, quod eſt ſi facilè Dialecticam apprehẽdat; hæc enim cum ſit inſtrumentum diſputandi, argumentandi, ac diſtinguendi, quilibet intelligit, quantum aduocati poſſit officio conferre, qui in continuo legum examine, diſtinctione, ac diſputatione verſatur: propterea ſicut Dialectici parùm latini ſermonis elegantia præſtant; ita etiam rariùs animaduertere licet aduocatos eadem præſtare, vt qui in rerum intellectione ſolliciti, minùs incumbunt verborum ſtudio, à quo iam diximus Leggiſtas theoricos non abhorrere, qui magis memoriæ, minùs intellectus operibus diſtinentur. Si quæras, quinam politicis negotijs, ſiue Reipub. gubernaculo ſit habilior, Leggiſta theoricus, an aduocatus. Reſpondeo aduocatum, quia vegetiori dotatus eſt calore, qui nedum interioribus phantaſiæ actibus, ſed exterioribus etiam ſufficit, quos ſæpiùs oſtendimus viuido exerceri calore phantaſiæ plurimùm vtili: eo verò ſinguli carent theorici, vt qui in ſola iudicatione, vel rememoratione, pro quibus remiſſior expoſcitur calor, occupantur. Sed iterùm quæres, cur plurimi nulla, vel theoricæ, vel practicæ legalis ſcientia præditi optimè regunt? Aio præſtare hoc vi naturalis ingenij, ac iudicij, quod illos regimini efficit habiles; non enim eſt legum ſcientia politico neceſſaria: quia illa dirigit ad iuſtitiam, hic verſatur in ordine, & vtilitate: illa docet, hic exequitur. Sed multi efficacis vigore iudicij in habili phantaſia inſiti iuſtitiam exequuntur, & ordinem in Republica tuentur, abſque legum iuſtitiam ſuggerentium, vel præceptorum laudabile regimen edocentium notitia, in quo doctiſſimos alioquin homines ſuperant, qui plerunque ad gubernandum inepti eſſe videntur. Talis ex-

*Aduocati valent in regendo.*

*Docti ſunt gubernatiõnib. inepti.*

*In elogijs.* titit Iuriſperitorum princeps Bartolus (Iouio teſte,) qui rerum capitalium iudicijs præfectus, eam in torquendis, ac necandis noxijs ſeueritatem exercuit, vt ſemel etiam inſontem ſupplicio tradiderit, ex quo ſe populi turpe facinus acriter increpantis vocibus, & conſpectui ſubducere coactus eſt, & in agreſti hoſpitio diutiùs deliteſcere. Perhibent etiã Bodinum Gallum rerum politicarum ſcriptorem eximium, ea præſtitiſſe in vrbium regiminibus ineptia, vt non alio, quàm exugendi populi ſtudio incumberet, quamobrem à Cuiaccio Iuriſconſulto vultur togatus appellabatur. Diſtingues hos ineptos à bonis politicis, quia iſtorum ſigna coincidunt fermè cum ijs, quæ pro dignoſcendo in hominibus iudicio recoluimus. Prima enim & maxima politicæ baſis eſt iudicium, quo cum D.D. Veneti polleãt, vt inibi demonſtrauimus, inſignes etiam politici ſuprà omnes nationes ſunt habiti, eo autem cum laborauerint Florentini, ſeruitutem euitare non potuerunt, licet inſigni ſemper ingenio emicarint.

Sed cum politicæ tres ſint ſpecies Monarchia, quæ vnius, Ariſtocratia, quæ nobilium, Democratia, quæ populi eſt dominatus, prætacta iudicij ſigna ad indoles in ſingulis dijudicandas plurimùm conferent: attamen Monarchiæ ſpecialia quædam præ cæteris erunt indicia illa omnia, quæ habitum in aliquo temperatum corporis patefaciunt, vt qui maximè ad imperandum deſeruit. Eius ſigna licet in huius libri initio ſatis propoſita fuerint, tamen ſummatim quinque enumerantur, ſcilicet pili ſubflaui, forma vultus, & corporis elegans, & quadrata, morum ſuauitas, ſanitatis robur, ac demùm præſtantia actionum principum, ingenij, memoriæ ac iudicij. Ratio iſtorum ſignorum generica eſt, quia natura videtur conſtituere temperatum tamquam melius, cum ſit in medio: at ex meliori rationi conſonat meliores prodire operationes, quales ſunt prædictæ, in quibus tota hominis excellentia eſt conſtituta: quòd autem ſingulæ in homine, qui alios regere ſit aptus ineſſe debeãt, patet rationibus, auctoritatibus, & exemplis. Primò quidem debet eſſe conſiliarius, & executor, cum bonis placidus, cum malis ferus, debet ſilentium colere, ne eius detegantur conſilia: at cum expedierit etiam, debet eſſe, vel in campo, vel in vrbe facundus: porrò terribilis erit, ac venerabilis, ad quod corporis forma, erit in bellis robuſtus, ad quod ſanitas confert. Refrænet (ait Cicero) libidines, iracundiam teneat, ſpernat voluptates, coerceat auaritiam, cæteras animi labes repellat; tùm incipiat alijs imperare, cum dedecori, & turpitudini parere deſierit. Quænam igitur temperatura magis his deſeruit dotibus, quàm media? cuius bono alacrem gigni ad virtutes propenſiorem oſtendimus, & quæ cum ſit verſatilis ad vtrumlibet extremorum, facilè prout res tulerit, varios poterit affectus, habitus, mores induere? & cum ſit cæteris perfe-

*Ingenij Monarchiæ habilis indicia.*

*Paradox. 5.*

ctior,

ctior, idoneam maximè gignet formam, & robur?

Non deſunt auctoritates idem probantes, nam Homerus duos ab ſe decantatos heroas Hectorem, & Achillem pulcherrimos, & robuſtiſſimos facit; ſic Virgilius Turnum principem à decore formæ commendat lib. 7. Æneid.

*Perit ante alios pulcherrimus omnes*
*Turnus auis, atauiſque potens.*

Cicero pro leg. Manil. dominantis virtutes aſſerit eſſe laborem in negotijs, fortitudinem in periculis, induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, conſilium in prouidendo. Harum verò miniſtras, & comites enumerat innocentiam, temperantiam, fidem, fælicitatem, ingenium, humanitatem.

Exempla demùm ſuggerunt multos populos eum duntaxat in regem deligere ſolitos, qui forma, robore, ac virtute cæteris anteiret: vnde manauit adagium: Forma digna imperio, translatum ad illos, qui elegantem, & concinnam corporis formam cum referant, imperium ſuprà cæteros gerere digni cenſentur ab omnibus. Narrat Herodotus Æthiopes *lib. 3.* vnum ex popularibus ſuprà alios corporis mole, ac robore ſpectabilem ad regni faſtigium euehere conſueſſe, quod etiam Gothos factitaſſe ex Totilæ Regis virtute, ac formæ præſtantis electione patet. Hoc idem *3 de Gener.* apes ingenioſo naturæ inſtinctu exequuntur, inter quas magnitudine *animal. c.* corporis inſigniores, aliarum duces, ac reges haberi tradit Ariſtoteles. *10.*

Hinc Pythagoras (Laertio teſte) ideò tantam eſt adeptus apud ſuos diſcipulos venerationem, quòd præter inſignem ſapientiæ opinionem, inſigni etiam forma eminebat, adeò vt ipſum eſſe Apollinem opinarentur: & in ſacris litteris Reges ob formam Dij nuncupantur quia notas *Num. 2. 6. 1* aliquas ſui ſpiritus Deus illis imprimit, qua cætèris digniores, ac excellentiores exiſtunt: ac propter virtutes inibi dicuntur regum corda in Dei manu eſſe; propterea Dauid præ cæteris vnctus eſt à Samuele Rex, quòd (vt habet textus) erat rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie, & de ipſo Deus dixerat, inueni hominem ſecundum cor meum, nempe ſummæ probitatis, & virtutis: hæc enim vera omninò ſunt ſigna, ſi ſupradictis iungantur, dijudicandi in quopiam dominatoris genij, idoneique populorum rectoris, qui mediocrem inſequuntur temperaturam huic muneri conuenientiſſimam.

## *Magorum, & ſuperſtitioſorum ſigna.* *Cap. XIII.*

*Magia eſt triplex.*

TRifariam ab auctoribus diuiditur Magia, in naturalem ſcilicet, artificialem, ac dæmoniacam. Illa cum quædam efficiat admiranda vi phyſica, & arcana, videtur ad idem redigi temperamentum, ac phyſica, & communia cum illa ſortiri ſigna, quæ propterea ibi quærenda, vbi ſatis à nobis in præcedentibus excuſſa fuere. Altera, quæ artis acumine vtitur ad effectus mirabiles (qualis Architæ columba lignea volans, vel Boetij aues æreæ volantes & cantilantes, vel caput æneum Alberti Magni artificio articulatè locutum), quia mechanicam ſapit excellentiam, ideò iiſdem detegetur indicijs, quæ pro noſcendis mechanicis luculenter adduximus. Tertia igitur hîc tantùm à nobis æſtimanda proponitur, quò vel puerorum ad ipſam propenſio corrigatur, vel adultiorum euitetur. Ea eſt, qua Medea ſe præſtitiſſe iactat apud Ouidium.

*Gell. lib. 10 Caſſiod. lib. var. epiſt. penult.* *Michael Medina, & Guillel. Pariſienſ.* *Ouid. lib. 7. Metam.*

*Vipereas rumpo verbis, & carmine fauces*
*Viuaque ſaxa ſua, conuulſaque robora terra,*
*Et ſiluas moueo, iubeoque tremiſcere montes,*
*Et mugere ſolum, maneſque exire ſepulchris.*

*lib. 6.* Eadem arte Erichtho maga dicitur à Lucano infanda, & incredibilia patraſſe:

*Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni*
*Excantata perit, quos non concordia miſti*
*Alligat vlla thori, blandæque potentia formæ*
*Traxerunt torti magica vertigine fili.*
*Ceſſauere vices rerum, dilataque longa*
*Hæſit nocte dies, legi non paruit æther.*
*Torpuit & præceps audito carmine mundus.*

Virgilius his arridet Ecloga 8.

*Carmina vel cælo poſſunt deducere Lunam:*
*Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſſis:*
*Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.*

Hac arte noti apud antiquos fuere Paſetes Magus, qui eius potentia conuiuium omnibus inſtructum obſonijs offerebat: at rurſus omnia protinus euaneſcebant: coemebat plurima enumerato pretio, quod poſtea in ipſius crumenam reuertebatur, ex quo adagium illud apud Manutium: Paſetis ſemiobolus. Porrò Simon Magus à Sanctis patribus ſæpiùs recolitur, quem aiunt in igne volutari ſolitum abſque vſtione, ex lapidibus panes facere, in varia ſe brutorum genera commutare, duas habe-

*D. Clemens lib. 2. recognit.*

habere facies, in aurum ſe conuertere, volare, & alia huiuſmodi admiranda præſtigia factitare; quæ pariter ab Apollonio Tyanæo edita Euſebius contra Hieroclem perhibet. Tales etiam extiterunt Magi illi Ægyptij, qui in ſacris Biblijs de miraculorum effectu cum Moiſe decertarunt: dum ſummo intuentium ſtupore virgas ligneas in ſerpentes verterunt. Hos æmulati poſtea ſunt Apuleius multorum teſtimonio Magus, Cornelius Agrippa hæreticus, ac multi alij, quorum nequitia ſupprimitur neque hoc etiam ſæculo deeſſe huiuſmodi monſtra oſtenderunt ruſtici Boemi ſuprà memorati, quos elapſis annis aduerſus Imperatoris Ferdinandi exercitum pugnaſſe referunt, tormentis bellicis obuios, & illæſos. Hæc verò magica præſtare ſingulos iure pacti, vel taciti, vel expreſſi cum dæmone initi, notiſſimum eſt in Theologorum ſchola, ex quo vocantur etiam ſuperſtitioſi, quia ſunt falſo addicti cultui, qualis ſuperſtitio eſt, & vocantur magi, quâ vi talis cultus, & pacti mira, & humanum captum ſuperantia faciunt, quod eſt Magię proprium.

*Exod. 7. c. 2.*

*Magus quinam ſit.*

Pro his igitur ingenijs certò dignoſcendis, ſicuti hæc ipſorummet opera ſufficiunt, ita pro coniecturali venatione occurrunt ſigna ex cauſis ipſorum intimis, ſeu temperamento, quod cum calidum, & ſiccum ſit in fine ſecundi gradus ſuprà medicos, ac propè poetas, multùm eſt atrabilare: quamobrem ſigna illa omnia, quæ calidum atræ bilis dominium monſtrant, ad magos etiam pertinebunt. Ea nobis ſummatim ſuggerunt Cingaræ fęminæ, quas huius eſſe temperamenti, ac proinde ad Magiam pronas quiſque non ignorat; propterea ſi caro ipſarum, color, forma, corporis habitus, mores, & alia de ijs ſupra memorata notentur, facilem nobis in alijs etiam ad huius indolis iudicium viam munient. A cauſis verò externis ſumuntur ſigna quædam communia, & remota, quæ licet incerta ſint, à iudicibus tamen Eccleſiaſticis obſeruãtur in Magorũ detectione, vt ſi mala cuipiã patria contigerit præſtigiatorũ ferax, ſi ex parentibus ſit genitus hac arte notatis, ſi commercia cum ſuſpectis gerat, ſi libros de eadem tractantes perquirat, ac volutet cum huiuſmodi alijs animaduerſionibus, non inanen omninò coniecturam de hominis genio conſequemur. Ab effectibus autem corporeis nec inepta ducentur ſigna, ſi phyſiognomiam in ſingulis expendamus, cum enim ſuprà lib. 2. cap. 5. oſtenderimus magos abuti religione potiſſimùm pro texendis vitæ, mentique hominum inſidijs, eſt hîc inſidiatoris recolenda figura, vt nobis illorum dignotioni deſeruiat. Ariſt. inſidiatores refert ad lupos, quos doloſos valdè ait eſſe, vnumque in ijs pręcipuum adnotat ſignum, collum valdè gracile, ac breue reſpectu aliarum corporis partium: nos addere poſſumus, quòd tales pallido plerunque ſunt ore, ac macro, ſimis naribus, paruis oculis, & cauis, barba rara, turpi, ac fędo aſpectu, genis rotundis, atro colore, capillis nigris, &

*Martin. Delr. li. 5. Magic. diſquiſ. ſect. 4. pag. 37.*

*Signa inſidiatoris.*

*Bald. Cõm. Phyſiogn. Ariſt.*

criſpis,

criſpis; quales Suidas ait Vlyſſis fuiſſe, qui fuit timidus, & doloſus: & cum decipere intendant homines, ſunt mendaces animo, ac verbis inſtar illius Sinonis apud Virgil. lib. 2. Æneid.

*Fidens animi, atque in vtrumque paratus,*
*Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.*

Ampliùs ſunt ſordidi, auari, impij, ſuſpicaces, tenebras amant, lucem oderunt, perindè ac lupi, qui noctu vagantur diùque latitant, quod optimè conſonat magorum genio, qui profunda nocte ſuas tractant præſtigiorum artes ſuum inſecuti præſidem tenebrarum. Simon Portius lib. de color. oculorum, quid ſingulare notat, inquiens: ſi rubicantes maculæ pupillam circundant, iracundos iudica, ſin inter maculas nigras rubentes intercidunt, & palleſcunt, veneficos ſignificari puta, & incantationis amatores: Hoc nonnulli referunt in moderno quodam mago egregiè obſeruatum fuiſſe, cuius nomen, quia palinodiam Eccleſiæ cecinit reticeo.

Alij aſſerunt hac indole homines eſſe viles, & fœmineum quid referentes iuſta ratione, quia impotentia, & leuitas magiæ veneficæ adſtipulantur, cuius ope difficilia nituntur aſſequi: vtraque autem vltrò reperitur in fœminis, quæ propterea frequentiùs, quàm viri hac labe polluũtur, ac inter ipſas præſertim ſiccæ deformes: ac ex his ſeniores, vnde ſuſpicio huius indolis in illis oritur, quæ anilem quandam, ſquallentem, & macram gerunt faciem, qualis Erichtho ferè apud Lucanum.

*Fœminæ cur ad Magiam procliuiores*

*tenet ora profanæ*
*Fæda ſitu macies, cæloque ignota ſereno,*
*Terribilis Stygio facies pallore grauatur*
*Impexis onerata comis.*

Hinc ſi quando vir, & fœmina iuſto deformiores occurrunt, eos vulgus (ſtrigones), has (ſtrigas) appellare conſueuit, quæ ſunt necromanticorum nomina. Hac deformitate atrox fuit Cornelij Agrippæ facies in Iouij Elogijs picta. Eymericus in Directorio Inquiſitorũ aſſerit, quòd magi ex viſione, apparitione, & collocutione malorum ſpirituum, toruum habent viſum, & obliquum; ſed huiuſmodi ſignum ſpectat adultiores, qui nequiſſima hæc opera tractare valent: addit alia, quæ trãsferri ad iuniorum iudicium poſſunt, nimirùm, ſi propenſi ad diuinandum ſint de futuris, etiam de illis, quæ dependent ex mera Dei voluntate, vel hominum, ideòque ſi nonnulli, vel Alchimiæ, vel Aſtrologiæ, vel huiuſmodi alijs artibus diuinatorijs ſe voueant, maximum eſſe malefici genij ſignum, quia ſi vel in diuinando, vel in auro quærendo ad finem non pertingunt intentum, facilè ad opem ex dæmone inuocandam, & poſcendam prolabuntur. Verè hoc ità contingere docemur experimentis, ſiquidem Petrus Aponus, qui diuinatrices artes, atque Aſtrologiam impen-

*Partic. 3. c. de ſignis Necromant.*

impenſiùs coluit, magiæ pariter crimine notatus eſt, vt inſculptum in altero Prætorij Patauini aditu teſtatur elogium. Inſuper Cardanus, qui librum geniturarum, aliaque Aſtrologica quàmplurima literis tradidit, magicis, ac ſuperſtitioſis opinionibus illa conſperſit, vſque adeò, vt ab Eccleſiaſticis cenſoribus pleraque fuerint expuncta, & damnata. Nuper Galileus nulli Aſtrologorum huius æui ſecundus, vel ſeptuagenarius ob malè ſana huiuſmodi dogmata ſuſpectus à Romanis iudicibus in carceres detruſus eſt, indèq; ſolemnitus, ac publicè abiurare coactus. Hinc fortè factum, vt dæmon execrabilem magiæ ſcientiam profitentes, verbis, aut herbis, aut lapidibus, caracteribus, & ſignis certam ad ſyderum conſtitutionem directis, alliciat ſuos magicos promere effectus, non tàm ſcilicet vt ſe genio ipſorum accommodet, qui Aſtrologiæ propenſi, ſummam ei præſtant fidem, quàm vt abditæ ſcientiæ caligine ſimpliciorum mentes offundat, & ad huiuſmodi ſignorum credulitatem inducat. Hùc propterea reſpiciens Xiſtus V. P. Max. Bullam illam maximè terribilem aduerſus Aſtrologos, diuinatores, & Magos emiſit, quòd vtroſque maximam inter ſe gerere ſympathiam exiſtimauit, atque à præſenti Pontifice Vrbano VIII. verè Maximo acerbiùs etiam renouata eſt. Hæc pauca de Magorum indicijs dicta ſatis.

*Aſtrolog facilè notãtur magiæ ſuſpicione.*

*Dæmon cur abditis caracteribus vtatur.*

## *Ingenij Militaris ſigna.* Cap. XIV.

MEdio quodam inter medicos, & magos temperamento gaudere militares viros, probatum in ſuperioribus eſt abundè. Miſta igitur vtriuſque ſigna ad iſtorum naturam deprehendendam conferent; ea ſcilicet quę prudentiam medicorum, & fraudem magorum propriam demonſtrabunt, quibus vtriſque inſignitus debet eſſe dux: ſed præterea quia fortitudo, generoſitas, audacia in ipſo requiruntur, ſigna etiam huius affectus erunt præcipua pro eadem ducis indole dignoſcenda. Hæc verò tria ſignorum genera in proximo capite, ac in præcedenti altero adeò ſunt excuſſa, vt pro ipſorum intellectione, nihil adhuc ſupereſſe videatur. Attamen vt ea diuiſim tradita hîc vni aptentur ducis dijudicationi, tenendum eſt, quòd cum in duce prædominetur temperies calida, & ſicca in ſecundo gradu, ſiue atra bilis cum flaua debitè mixta, & cum ęquali phlegmatis, & ſanguinis ſubdominio, ſigna iſtius temperaturæ ipſius etiam ducis detegent indolem: ſunt autem, iracundia non leuiter accenſibilis, ſed quæ accenſa perdurat, ac difficulter ſedatur ob atræ bilis craſſitiem, quæ inſtar picis conceptum retinet ignem: talem deſcribunt Poetæ Achillis, & Herculis iram: ac talis I. Cæſar fuiſſe perhibetur: ampliùs promptitudo

*Ducis temperatura q̃nam ſit.*

ad

ad actiones, ac generoſa quædam in ijs pertinacia idem indicant, nempe illa flauam bilem, hæc a    m, ità periculorum contemptus, inſidiandi ſolertia, præuiſio conſiliorum, ſeu perſpicacia quædam inſita in rebus omnibus, vigilantia, ſæuities, at non inexorabilis, faſtus, animoſitas, vtriuſque humoris denotant prædominium, qui ſiccitate ſua, puritate, & acrimonia huiuſmodi parere effectus conſueuerunt; ſicuti quoque membrorum firmitas, agilitas, laborum tolerantia, tàm occluſo, quàm aperto cælo, inediæ, ac ſitis patientia, ab ijſdem proficiſcuntur; quippe craſſa bilis pàrtes conſolidat, & roborat, ſubtilis agiles reddit, ac promptas. Cæterùm cunctatio in procedendo quædam, poſtquam celeriter cæpta res fuerit, conſultatio rerum timida, licet in ipſo rerum diſcrimine ſatis audax executio, ſatis oſtendunt phlegmatis portionem debitam vtrique bili commiſceri, quod earum retundit actiuitatem, ac temperat æſtum: hæc autem eſt vtiliſſima Duci temperies; quia ſicut in Claudio Marcello, ac recentiùs in Liuiano præceps viguit agendi celeritas, ità in Fabio, & Nicolao Pitiliani comite nimia fuit notata cunctatio, quare vtraque miſta ducem perfectiſſimum genuiſſet, qualis fuit Cæſar, & Scipio. Iuſtitia demùm, ingenuitas, viuendi ſimplicitas, pietas, qualis in pio Ænea, & Gottifredo decantatæ, ac in alijs magnis Ducibus frequenter animaduerſæ, ſanguinis æquam cum phlegmate portionem indicant, adeò vt demùm ex huiuſmodi temperatura, & miſcella, tamquam ex propinqua cauſa per hos affectus, & effectus cognita, liceat optimè militarem indolem coniectari. Ab externis cauſis ſigna ſumentur eadem methodo, quam in cæteris ingenijs ſuprà venandis ſeruauimus, ſed cum leuiora ſint facilè quis poteſt ea ſuo arbitrio examinare. Ab effectibus corporeis præcipua ſumentur indicia, vt qui ſunt magis conſpicui, & ſenſati. Illud verò maximum præbebit indolis argumentum, ſi pueri motus quidam, & particulares actus adnotentur, ex quibus ceu radijs ipſius optimè propenſio explendeſcit. Sic de Alexandro narrat Plutarchus, quòd puer adhuc videns patris in bellando fœlicitatem, querebatur apud cæteros æquales, quaſi nihil ſibi pater eſſet ad gloriam relicturus: at illis contrà dicentibus ſe heredem fore omnium, quæ ille armorum robore comparaſſet, reſpondit nihil ſibi tàm amplam profuturam hæreditatem, ſi nihil agendum ſuperſit, in quo ſe militem patri ſimilem poſſit oſtendere. En generoſæ indolis in puero ſcintillæ ad militiam adſpirantis. Ità Scipionem in cęna ſemel interrogãti, quis dehinc in Repub. egregius imperator eſſet futurus, reſpondiſſe tradit Eutropius, vel hunc, ſcilicet, Marium ad quem ſe conuertit; proſpiciens iam tùm ex ipſius pueri geſtis, facie, moribus ingenium maximis rebus natum. Pariter Caſſius vix puer, cum Fauſtum *Syllæ filium* inter æquales de patris monarchia gloriantem audiret, indignabundus

*Indolis certa indicia.*

*lib. 5.*

dus

dus ei colaphos intulit, ex quo natiuum quoddam tyrannidis odium potuit apparere, quod poſtea ipſum ad Cæſaris interfectionem impulit. Idem in cæteris omnibus curioſus ingeniorum æſtimator aduertens, abſolutam vniuſcuiuſque indolis notitiam aſſequetur.

Quod attinet ad alios effectus in puero, ſi quandam referat prudentiam, & inſidiatorem genium, & interritum in actionibus vigorem, & audacem, prout occaſio tulerit, inſultum, iure optimo ipſum militarem gerere habilitatem aſſeremus; harum verò affectionum ſigna ſuperiùs etiam tradita, veluti in compendio propoſita erunt in eo, qui fuerit ad venationem propenſus; hæc enim & requirit prudentiam ſe à ferarum impetu præſeruandi, & inſidias, quæ iiſdem componantur, & animoſitatem eas perſequendi, & robur labores tolerandi, adeò vt huiuſmodi exercitatio verè ſit belli ſpecies, & imago, ad quam egregiè habilis qui fuerit, in Ducem etiam meritò euaſurus iudicetur: hinc præclaros Duces huic arti ſemper addictos fuiſſe paſſim narrant hiſtoriæ. *Ars militaris, & venatio conueniunt.*

Nec obſtat quòd prudentia, & animoſitas ferè inter ſe cōtrarientur; quia illa vigeat in frigido humore, ideòq; coniunctum habeat metum; hæc verò foueatur à calido, ex quo non videtur quòd vtraq; poſſit concurrere ad eandem Ducis indolem indicandam, ſed ſolùm alterutra; enimuerò ſunt variæ Ducis dotes, quæ per varia ſe promunt ſigna, & alius obtinet plures, alius pauciores: ille eſt prudens, & inſidioſus, ille ſtrenuus, audax, manu promptus, ac vterque Dux eſſe poteſt inſignis, ac Reip. vtiliſſimus, quia prudens, & callidus in ducendo nauiter exercitu, & captandis idoneis pugnandi occaſionibus, & hoſtiles pręcauendo inſidias, ac viciſſim texendo inſignes refert victorias: alter pugnando cum opus fuerit, ac celeritate ſua præueniendo, ac ſui exemplo milites in acie animando, aliiſque huiuſmodi audacibus actis pariter vincit. Quare tàm prudentia, quàm audacia in diuerſis militarem poterit indolem indicare. Interdùm aliquis fęliciori temperamento præditus vtramque poſſidet, qualis omnium conſenſu fuit Cæſar, ac nuper Magnus Conſaluus, in quibus ſtrenuitas cum prudentiā, & calliditate certabant: in hoc igitur nitebunt vtriuſque ſigna, ex quibus quiſque poterit indolem Ducis perfectiſſimam emetiri.

Cæterùm ſex alia proponuntur à nonnullis, quæ hanc patefaciant indolem, nimirùm ſeueritas, ornati veſtitus negligentia, caluities, breuiloquentia, verecundia, fortuna, nos addimus irreligionem.

Seueritas neceſſariò Ducis temperamentum ſequitur, quod eſt melancolicum, & cholericum; eſtque maximè his genijs opportuna, quia in milite cum maxima vigeat licentia ab armorum, & ſociorum vi, minimè laxum poſtulat facilitatis fręnum, at contractum, & anguſtum ſeueritatis ad violentias reprimendas, ſerendamque obedientiam, ſine

qua exercitus coire, vel regi nullo modo poſſet: propterea clariſſimi omnes, vel Romanorum, vel aliarum gentium Duces eam impenſiùs exercuerunt, lenitas autem vix ab vllo, niſi rariùs adminiſtrata eſt: atque iccircò in quo inerit auerſum à militari negotio genium præmonſtrabit. Veſtitus porrò negligentia ferè in omnibus audacibus, & impauidis viris quotidiano experimento notatur, ac ratio eſt euidens, quia cultus corporis quandam requirit moroſitatem, ac patientiam, à qua huiuſmodi abhorrent homines prompti, & cholerici, qualis iampridem extitit Magnus Sfortia, qui veſtis munditias oderat ex Iouij teſtimonio, nec non Veſpaſianus, qui ex Tacito, veſte, habituque parùm à gregario milite diſcrepante vtebatur. Cæſarem etiam perhibet Suetonius vel puerum laxa veſte vti ſolitum, quod Sylla in ipſo animaduertens dixit Pompeio, caue puerum malè præcinctum; quia tamen idem affirmat fuiſſe in ſe tondendo, radendo, ac vellendo cultiorem, haud ſcio qui potuerit eſſe in veſtitu negligentior. Sanè cum hoc etiam in Philoſophis liceat adnotare, qui nihil huiuſmodi ornamentorum ſunt curantes, vti de Diogene patet, alijſque quamplurimis, ego huiuſmodi ſignnm parui æſtimandum eſſe duco, eòque magis, quòd non pauci percelebreſque Duces ſumptuoſo admodùm, ac eleganti veſtitu ſunt vſi, ex quibus Aulus Cæcina Vicentinus apud Tacitum, Viteliani exercitus imperator, quem maximè aſſerit fuiſſe in veſtitu curioſum, quod etiam narratur de Braccio Sfortiæ æmulo: ac de Magno Conſaluo, necnon de Ferdinando Daualo, & alijs, quos omnino ſuperuacaneum eſſet referre.

*in ſua vita cap. 74.*

*Veſtitus negligentia ſignũ incertũ genij militaris.*

*Caluitiei cauſa duplex.*

Ad caluitiem quod attinet, ea duplicem habet cauſam, vel frigiditatem, ac ſiccitatem cerebri, quæ humorem illum pinguem non generat, à quo pili alimentum ſuſcipiunt, quæ intemperies in ſenibus reperitur; vnde calui fiunt: pueri autem ea carentes, quippe calidi, & humidi affluunt humore pilorum generationi apto, neque ideò caluitiem patiuntur, niſi cum veneris vſum exercere incipiunt, à quo ipſorum cerebrum refrigeratur, ob ſeminis excretionem à cerebro decidentis, qua cum mulieres, & eunuchi careant æquè ac pueri, ait Ariſt. lib. 5. de generat. animal. cap. 3. eos non eſſe caluitiei obnoxios. Altera eſt cauſa cerebri ſiccitas ex calore illata, ob quam excrementa cerebri aduruntur omnia, adeò vt pilorum reſtaurationi non ſint ſatis, qualis iu ſtruthio reperitur qui propterea inter omnes aues gerit caluitiem, quòd tanta ex Plinio pollet caliditate, vt vel ipſum decoquat ferrum. Ergò, ſicuti caluities ex priore cauſa eſt ineptum ingenij militaris ſignum, quia non niſi terreſtrem, & craſſam indicat cerebri, & oſſium, cutiſque capitis ſubſtantiam ingenio inimicam; ita ex caloris ſiccitate caluities, præſertim in ſincipite, partem cerebri ei ſubiectam, celeri, vegetaque dotatam phantaſia indicat, quę calore adiuuatur, quare vim etiam ad rerum tractationem,

*Caluities eſt indicium vegetæ phãtaſiæ.*

ac executionem, qualis in duce requiritur inſitam gerere atteſtatur. Huiuſmodi tamen ſignum in ſolo examinari poteſt adoleſcente, quia in puero, vti diximus non inuenitur. Porrò idem etiam oſtendit eos eſſe ad Venerem pronos, quæ calore phantaſiæ cietur ſpiritus genitales excitante, ac mouente. Ita qui duces fuere calui in libidinem etiam plerunque actos, ac merſos palàm eſt, vt Cæſar, qui caluus, ac tantus Imperator, præter ætatis florem apud Regem Nicomedem luxuria pollutum, plurimarum etiam, & illuſtrium fęminarum corruptor à Suetonio fuiſſe perhibetur. Caligula caluus, atque idem Dux, & in caſtris enutritus, ac ferus; inaudita tamen libidine præceps actus, cum ſe ſororum inceſtis contaminarit, ac matronas cum maritis ad cęnam vocatas, pręterque pedes ſuos tranſeuntes, mercantium ritu expendere, indeque maximè placitam egreſſus è triclinio ſeuocare, ac ſtuprare conſueuerit. Tiberius, Galba, Otho, Domitianus calui omnes, ijdemque armorum laude non obſcuri, at libidinis æſtu ſuprà omnium fidem flagrantiores. *Cæſaris, & Caligulæ luxuria.*

Quartum belligeræ indolis indicium eſt breuiloquium, quod herculè maximum eſt, ac notabile, cum tantò quis ſobrius in verbis, animoſior verboſiore cenſeatur, quantò facta ſupereminent verbis, & quãtò maſculus fęmina præſtantior habetur; nam communi iactatur adagio facta eſſe maſculos, verba verò fęminas eſſe; at homines breuiloquentes videntur plerunque factis pollere. Idcircò neſcio quid excelſum, ac propè diuinum ſpirare videntur, eorumque verba inſtar oraculorum haberi, qualia erant antiquitùs reſponſa Deorum. Hac præ cęteris I. Cæſar effulſit, dum euicto Pontico Pharnace ad amicos ſcripſit. Veni, Vidi, Vici. Menelaus eadem ab Homero fingitur valuiſſe, qui pauca, ſed planè argutiſſima loquebatur; fuit verò Dux inſignis, & Regiæ Priami euerſor. Dares ille apud Virgil. lib. 5. verboſus geſtorum ſuorum iactator, ſe poſtea puſillanimum detegit. *Plutarch. in apophteg.*

*Nec mora, continuò vaſtis cum viribus effert*
*Ora Dares, magnoque virum ſe murmure tollit.*
*Solus, qui Paridem ſolitus contendere contrà.*

Sed laceſſitus ipſius arrogantia ſenex Entellus prodit in arenam, & paucis, modeſtiſque verbis, binos immani pondere cæſtus in medium proijciens, offert ipſos Dareti ad pugnam, ſed fruſtrà; nam

*Obſtupuere animi.* Et mox.

*Ante omnes ſtupet ipſe Dares, longèque recuſat.*

Itaque aſſumptis alijs inuicem pugnant, ac paucis preſſus ictibus Dares vincitur, quem Æneas miſeratus certæ ſubtrahit neci, inquiens.

*Infęlix, quæ tanta animum dementia cæpit?*

*Non vires alias, conuerſaque numina ſentis?*
*Cede Deo.*

*Verboſitas eſt ſignum negatiuũ indolis militaris.* Verè nihil magis virum oſtendit imbellem, quàm nimia verborum procacitas, iuxtà illud Salomonis: Vbi verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas. Et Plutarchus vaſa vacua multum ſonare: repleta verò parùm. Ità canibus imbecillibus mos eſt, quantò plùs defecerunt virium, tantò magis latratibus indulgere: ad quod reſpiciens Liuius ait. Quo-
*lib. 2. Dec. 3.* „ rum lingua prompta, ac temeraria eſt, haud æquè in pugnam viget ma-
„ nus. E contrà Tacitus in Agricola. Miles in certamine fortiſſimus, qui ante pugnam quietiſſimus. Ac vtrumque dictat ratio. Animoſi temperies ſtat in cholerico, & melancolico, vnde multi efflant ſpiritus calidi, vegeti, ſtabiles; loquentis viget in calido, & humido remiſſo, vnde ſpiritus excitantur quidem, at debiles, adeò vt poſt verborum profuſionem ex ebullitione excitam euaneſcant; quare ad facta non ſufficiunt obeunda.

Quintum huius indolis ſignum eſt verecundia, cuius ad ingenium alterandum influxus, qualis exiſtat ſuprà in 14. 2. lib. cap. tradidimus, ſed cum à verbo, vereor, deriuetur, quod eſt timere, ac proinde timor infamiæ ab Ariſt. definiatur, non video quomodo Ducibus poſſit competere, quorum propria eſt audacia, nam profectò, vt apud Ciceronem *li. 10. epiſt. famil.* ait Plancus: pudor in bello eſt maximè periculoſus, ac magis videtur fœminarum, quàm fortium virorum proprius. *Verecundia militis propria, & cur.* Attamen cum verecundiæ metus ad vnum duntaxat infamiæ obiectum extendatur, tantùm abeſt, vt ipſe metum in cæteris concipiat, quòd potiùs audacior fit, quia vt ait *lib. 2. c. 7.* in Ethicis Philoſophus: Qui omni ex re pudore afficitur pauidus di-
„ citur, qui à modo deficit, nullaque ex re pudore afficitur impudens,
„ qui verò modum adhibet, is prudens, & verecundus appellatur. Ex hac igitur moderatione, cuſtos is euadit ex Tullio *de orat.* virtutum omnium dedecus fugiens, & laudem maximam conſequens, quam nonniſi fortibus illuſtribus, & audacibus factis quærit. Idcircò Vegetius verecun-*lib. 1. cap. 7.* diam, ſummoperè commendat in milite, quia dum ipſum prohibet fugere, facit eſſe victorem. Hoc maximè docet pulcherrima illa militum Romanorum pugna, ſub Claudio Marcello contra Hannibalem obita, *lib. 27.* qui dum propè Canuſium à Pœnis ſunt fugati, vincente (vt ait Liuius) pudorem metu, poſtero die in pugnam reuerſi, ex Ducis increpatione turpe dedecus obiectantis, adeò fortiter ſe geſſerunt, vt (quæ ſunt Liuij verba) Pœnis ad obtinendum heſternum decus adnitentibus, Romanis ad demendam ignominiam, inſignis tandem ad iſtos victoria declinarit. Hac igitur dote præditos, cum oporteat eſſe Duces, ac milites, euadet ea iure optimo ſignum huiuſce habilitatis in quo inerit.

Fortunam eſſe arma tractanti neceſſariam, tàm eſt omnibus perſuaſum,

ſum, vt probatione non egeat. Cicero pro lege Manil. hanc ex ſummis Imperatoris dotibus ait eſſe præcipuam, ex qua propterea Senatui ſuadere nititur militarem Pompeij excellentiam, quia nimirùm terra, marique eſſet admodùm fortunatus: ſed enim huiuſmodi conditio ſignum eſt adeò cunctis ingenijs commune, vt ægrè poſſit ad vnam transferri Ducis cognitionem: fortuna in rebus concurrit omnibus tamquam accidentalis cauſa ex Philoſopho 2. Phyſ. tex. 62. dominatur autem, quia ſingula Lunæ ſubiecta verſantur in contingentibus, quæ ſunt eiuſdem ceu partus, cum nihil in Orbe certum, & conſtans inueniatur: attamen eam prudentiæ plurimùm cedere ſuprà in hoc libro eſt oſtenſum, & in ſecundo etiam quas conferat ingenio vires luculenter examinauimus. Dux igitur eam quidem annexam debet habere, ſed tamen imprudentia illam ſummopere auertet, prudentia conciliabit: quare ex hac magis, quàm ex fortuna eius ingenij præſtantiam metiemur. *Fortuna quid ſit.*

Irreligio, ſi cum cæteris coniungatur ſignis eſt qualecunque huius indolis argumentum, ſiquidem, vt habetur in carmine.

*Nulla fides, pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur.*

Cum enim in eum duntaxat finem ſuam dirigant operam hoſtes expugnandi, pro illo aſſequendo, nihil contra fas vel hominum, vel Deorum omittunt, ſed ius in armis eſſe, ac licere ſibi omnia temerè arbitrantur: hinc fraudes, incendia, locorum ſubuerſiones, vrbium depopulationes, rapinæ, fanorum direptiones, cædes, odia, crudelitates, Ducibus, ac militibus, vt plùrimùm familiares, quibus herculè repugnare penitus religionis ſtudium, quiſque non amens intelligit. Eam propterea Caligula vel puer adhuc temnebat, qui poſtea vir militaris euaſit, ac ferus. Ac I. Cæſar ne religione quidem vlla à quoquam incæpto abſterritus vnquam, vel retardatus eſt, Suetonio teſte. Xerſes Perſarum Rex maximè bellicoſus notatus impietatis, quòd Neptuno maris Deo vincula minaretur, ac Soli tenebras. Stroza pater. *Religio à Ducibus cõtempta.*

*Nec veluti Xerſes Neptuno vincla minamur,*
*Claſſibus inſolitum, quum patefecit iter.*

Pyrrhus etiam è Sicilia rediens, theſauros Locrenſis Proſerpinæ ad eam vſque diem intactos rapere non eſt veritus: ſic de Mezentio Rutulorum Rege, ac Duce Virgil. lib. 7.

*Primus init bellum Tyrrhenis aſper ab oris*
*Contemptor Diuum Mezentius.*

Porrò Selimus Turcarum Imperator ſtrenuiſſimus, & Alexandri Macedonis, vt aſſerebat, æmulus, totius propè Aſiæ ſibi armis parto dominio, præterquàmquod patrem occidit Baiazetem, ac fratres, & intimos quoſque charos, nullum vquam in re quapiam religionis ſenſum oſtendit, ſed impijs dominandi artibus ab ineunte ætate ad ſenium vſq;

ſemper eſt vſus, à quibus tamen eius filius Solimanus abhorruit. Demùm iſtam in militaribus genijs conditionem ceu propriam Antonius Læua ſemel adprobauit, dum à Carolo V. Cæſare interrogatus, quibus præſidijs tutiſſimum ſibi, ac poſteris reddere poſſet imperium, reſpondit, potentiorum quorundam ſibi ſubiectorum oppreſſione. At ſubiunxit Cæſar, quid mox de anima? Repetijt ille: ſi hæc tibi curæ eſt, & Regis, & Ducis perſonam exuas neceſſe eſt. Prophana quidem vox, & ex omnium mentibus abolenda, ſed quæ miſeram multorum huiuſmodi virorum teſtetur propenſionem. Aliqui tamen pietate nitentes inſigni, iure belli ea moderatione vtuntur, vt potiùs diuinæ adminiſtri iuſtitiæ, ac ſceleſtorum vindices, quàm orbis peſſundatores videantur, vt Scipio, Titus Veſpaſianus, Narſes, Carolus Magnus, Gottifredus, Conſaluus, & alij, ſed quoniam hi ſunt albo ſignandi lapillo, cæteri verò longè frequentiores, ideò qualitates illorum nobis pro huiuſmodi geniorum indagine vtiliores, ac inuentu faciliores euadunt.

## *Oratorum, & Grammaticorum ſigna.* *Cap. XV.*

TRactâtes in ſecundo libro de cauſis Oratorum ingenij, attulimus plurima, & varia, ex quibus tùm hæ percipiantur, tùm pro ſignis ad eiuſdem cognitionem inſeruiant. Diximus proximam ipſius cauſam eſſe temperiem à prædominio bilioſam; à ſubdominio ita in cæteris humoribus temperatam, vt melancoliæ nonnihil magis obtineat, ob calorem ex multa ebullitione in ſanguine aliquid reſoluentem, & atræ bilis relinquentem, licet modicè. Signa huius temperiei ſatis oratoriam oſtendent habilitatem. De his in 1. & 2. huius 3. libri cap. fusè actum. Inter ipſa tamen vnum præcipuum, ſcilicet habitus corporis, & faciei ad bilioſum, & ſiccum vergens quidem, at minimè auſterum, ſed ſuaue, ac in tantum gracile, in quantum excludit pinguedinem, non carnoſitatem, qui laudabilis, & venuſtus eſt habitus dictæ temperiei teſtis, quo profectò ſingulos fermè Oratores, cum ſacros, tùm forenſes eſſe præditos, quiſque animaduertat. Porrò ab externis cauſis deprompta ſigna conferent, quia cum orandi ſtudium in ſolo vigeat foro Veneto, ſubditiſque Vrbibus, apud alias verò nationes ferè ſit incultum, iurè coniectabimur Venetum eſſe huic arti procliuiorem, quàm cæteros, & magis Vicentinum, quàm Bergomenſem, quippe ille in Conſulari curia, vbi ex veterrimis Cæſarum, ac mox etiã Veneti Senatus indultis, de reorum capite creberrimè diſſerit, loquendi etiam ex conſuetudine haurit, ac fouet artem, qua cùm in patria, tùm foris euadit inſignis, potiſſimùm Venetijs, cuius in vrbis

*Vicentini oratores euadunt inſignes.*

foro

foro Vicentinorum eloquentia, iam multos annos egregiè dominatur. Bergomenſis verò hanc negligit, ſed mercaturæ induſtria Florentinos, & Genuenſes æquat. Pariter ex familia ſuper Oratorum genio arguemus, quia ſicut apud Romanos in Curionum familia tres ſucceſſiuè inſignes floruerunt Oratores, ita qui puer ex eloquentium educetur ſtipite, facilè hanc gerere affirmabimus propenſionem, quantum enim virtus generis ingenio conferat, ſuprà cap. 15. lib. 2. probauimus. Idem venabimur ex inſtitutione, quia exempli gratia cucullati PP. D. Dominici huic ſe vouent arti, ex quo de Prædicatorum familia nuncupantur, cæteri verò non ità: ex ſtudio ſi quis libenter oratores, vel imitetur, vel audiat: ex animi affectibus, ſi quis iracundiæ ſit obnoxius, qua facundum fieri hominem liquet: ſic ex huiuſmodi alijs diſcurrendo, captabimus Oratoris indicia. Ceterùm potiora, firmioraque ſunt alia in ipſius apparentia corpore; atq: illa duo mihi præ cæteris videntur in puero, ſcilicet pronuntiatio, & memoria: illa ſpectatur in geſtu, ac verbis. Geſtus in concinno quodam manuum, faciei, oculorum, oris, ac totius corporis motu conſiſtit, ex quo vis quædam permouendi animos hominum ſpirare videtur. Verba tunc oratoriè pronunciari dicentur, ſi clara, nitida, ornata, iucunda, ſonoraque voce, non hæſitanti, vel impedita, nimiſque celeri lingua proferantur, in quo totius conſiſtit Orationis excellẽtia, vel ex Demoſtenis teſtimonio, qui primas, ſecundas, ac tertias partes vni deferebat pronũciationi, atq; etiã Ciceronis, qui eius defectu plures eloquentiſſimos habitos eſſe infantiſſimos ait, ac eius acceſſu plures infantiſſimos viſos eſſe eloquentiſſimos. Vtramque geſtus, ac verborum dotem, facilè in pueris vel adultioribus deprehendas, cum vniuſcuiuſque oculis ſint obuiæ. Memoriam porrò Quintilianus aſſerit, eſſe præcipuum oratoriæ indolis argumentum, ac iurè, quia vti ſuprà docuimus, Orator cum de omnibus appoſitè dicere teneatur, debet etiam memoriam multorum obtinere capacem, quæ prout occaſio poſcet in medium proferat; alioquin ſi obliuioſus exiſteret, quis ignorat, leges, exempla, auctoritates, ſententias ex Poetis, Hiſtoricis, Philoſophis, Iuriſconſultis erutas ei quodammodo futuras inutiles? cum multoties ex tempore in Senatu, vel in curia perorare neceſſe habeat, abſq; eo, quòd poſſit aliquid illorum memoriæ commendare? Addunt nonnulli, quòd ſimilitudines, antiteſes, facetias, ſaleſque profundere, ſit ingenij Oratoriæ propenſi proprium, quando hiſce ſingulis præſtitiſſe celebres Oratores compertum eſt, nimirùm Demoſtenem, Tullium, Iſocratem, ac huius cenſus alios, quod in ipſorum vitis teſtatur Plutarchus. Hoc eſt rationi conſonum, quia Orator debet docere, mouere, ac delectare, quibus adimplendis officijs ſummopere ſimilia, lepidaque dicteria conferunt.

*Duo præcipua oratoriæ indolis ſigna.*

*lib. 1. cap. 4.*

Po-

*Grammaticæ indolis ſigna.* Poſtrema ingeniorum ſigna ſunt ea, quæ ad Grammaticos, & ludimagiſtros ſpectant, quorum temperies cum parùm naturalis attingat excellentiæ, imperfectior etiam cenſetur omnium ingeniorum. Diximus ſuprà eos valere memoria, phantaſia parum, ac proinde imbecillo intellectu, quia pinguiore quadam, reſpectu indolum ſuperenarratarum, cerebri conſtant ſubſtantia, quæ memoriæ ob imaginum retentionem conuenit. Signa igitur proprio 2. lib. cap. de memoria tradita, huius temperiei dignotioni deſeruient Sed præterea remiſſio aliorum, quæ ad calidum, & ſiccum totius corporis, cordis, cerebri, ſpirituum temperamentum pernoſcendum adduximus, ex quo anima rerum ſubtilitatibus percipiendis fit apta, hocce grammaticorum proprium denotabit; carnoſior ſiquidem erit corporis habitus, & humidior, & color pallidior, & caput oſſea compagine craſſius, & capilli tenſiores, & duriores, occiput prominentius, caro aſperior, ſanitas firmior, ſomnus intenſior, concoctio robuſtior. Mores porrò erunt ruſticitas, ſegnities, cum tolerantia quadam iuncta, grammaticales regulas legendi, ac relegendi, pulchros caracteres formandi, pueros docendi dotes magnis ingenijs prorſus aduerſæ, qui iracundia, impatientia, celeritate, nouitate ſubinde magis, ac magis trahuntur, ob igneum, & aereum in ijs præualens elementum. Hinc puer, qui tradita duntaxat percipiet, & nihil vltrà interrogabit, neque noui quidquam meditabitur, neque ferus, neque viuidus, ſed ſuprà ætatem erit ſedatus, & alphabeti caracteres componet, effingetque rectiùs, & cæteris æqualibus non quidem celeriùs, at ſolidiùs grammaticam apprehendet, is ad ipſam natus, & pronus dicetur, præſertim ſi ad Rhetoricam, ac Dialecticam elatus, ignauus in ijs euadere videatur.

## *De remedijs ingeniorum. Cap. XVI.*

COgnita hoc pacto ingeniorum natura per methodum in ſuperioribus traditam, id vnum videtur ſupereſſe ſcitu digniſſimum, an ſcilicet ingenium res diuina, & ab omnibus adeò concupita, arte aliqua in homine inſeri, & gigni poſſit, vel genitum poſtea conſeruari. Vt enim medici ſanitatem in corpus introducunt expulſo morbo, eamque introductam firmiùs artis præſidijs tuentur, ita veriſimile eſt, aliqua nobis præſto eſſe poſſe, quæ ingenijs medeantur, nempe ipſa vel in ortu ſuo perfectiora reddendo, vel iam producta in homine diutiùs conſeruando. Vtrunque disertè profitetur Galenus expleri poſſe lib. quod animi mores ſeq. corp. temper. cap. 9. vbi quinque rerum beneficio hominum ingenium ad mores, ac ſcien-

ſcientias habilius edocet fieri, videlicet cibo, potu, ventis, aeris temperie, ac regione: ratio dictat iſtorum ad ingenium alterandum vtilitatem, quia corporis ſummopere temperamentum immutant, à quo omnis propè manat ingenij vigor: conſtat verò illud inter cætera cibum mutare, ac potum, quia hi ſunt materia ſanguinis, qui in partium ſubſtantiam vertitur, in qua ipſarum temperamentum conſiſtit: qualis ergo cibus, & potus, tale etiam temperamentum, ac tale per conſequens reſultabit ingenium. Hæc affert inibi Galenus, ex quibus etiam apertè deducitur, quòd cum ſemen ſit vtile ſanguinis excrementum, & ex ſemine gignantur eiuſmodi partes, ſcilicet cerebrum, cor, hepar, ſpiritus, quæ ſunt præcipua ingenij inſtrumenta, talia hæc erunt, quale ſemen, iuxtà cuius variam proindè naturam, varium poterit ingenium genito communicari. Confert igitur mirum in modum cibus, & potus ingenij productioni, eiuſdéq. producti vel correctioni, vel conſeruationi, qua de cauſa parentes non immeritò ab omnibus ſuadentur, diebus aliquot ante concubitus vſum, optimis veſci alimentis, ac potibus, vt optimo creato ſanguine, ſemen etiam optimum generetur, quam pariter victus normam debent ſeruare nutrices, vt inculpatum lac gignant, in laudabilem pueri nutritionem cedens; ac eandem ſi poſtmodum ipſe puer ſeruauerit, magnum abſque dubio afferet ingenio adiumentum. Huiuſmodi cibos luculenter in ſecundo libro in cathalogo cauſarum ingenij recenſuimus, innuentes, quinam phantaſiæ, vel quinam memoriæ ſint vtiles, vel noxij, quos propterea hìc repetere fruſtrà eſſet; omnes etenim temperati, vel parùm ad calidum, ac ſiccum vergentes, tenuem, ſubtilem, commoderatumque progignent ſanguinem, indèque ſemen gignendis ingenij organis accommodatum. Inter hos præſertim ſilueſtrium auicularum caro cenſetur optima, perdicum inquam, phaſianorum, cothurnicum, gallinacearum, aliorumque huiuſmodi; montanis enim aluntur ſeminibus, ac fructibus, quos ſicciores conſtat eſſe, ac puriores, vnde purior, & ſapidior ipſorum caro, ac ſanitati etiam corporis conferentior: quamobrem ad obſonia incolumen diù, incorruptamque ſeruari, quotidie experimur. Porrò inter domeſticos hædus omnium ſingularis habetur, quia ſiccioris aliquantò temperiei, quàm agnus, vel vitulus: proſunt auiculæ omnes, vt alaudæ, turdi, columbi turriti: vitulus, gallinæ, capi, columbi domeſtici, quia humidiores ſunt illis, humidius etiam reddunt ſemen, nec adeò perfectum: hinc ſale, aceto, & aromatibus condita conferunt ſi cautè aſſumantur, quia extergere, acuere, ſubtiliareq; ſanguinem magis poſſunt. Excluduntur ab hoc cenſu craſſa omnia, vt bubali, bouis, ſuis, veruecis, caſtrati caro, caſeus etiam, & alia ex paſta, & lacte: ita legumina omnia, & ex oleribus allium, ac cepæ. Vt enim hæc ſingula, in quibus coqui à ventriculi calore poſſunt,

*Ingenium ex quinque rebus gignitur perfectius.*

*Cibus multũ poteſt ad creandũ bonum ingenium.*

*Cibi ingenio noxij.*

mem-

membrorum firmitati, corporiſque robori faciunt, ita ingenij obſunt fælicitati. Comprobant hoc ruſtici, & baiuli noſtri, Rhętorum genus, & apud Hippocratem Scithæ, ex quibus vel nullum, vel rarum prodijſſe ingenium ſatis liquet, vt qui huiuſmodi alantur cibis: ſolus ex his Anacarſis Philoſophus pro miraculo adnotatur à Galeno loc. cit. nec iniuria, cum lac equinum ea gens pro cibo ferè ſemper aſſumat, & olera.

Potus correſpondeat cibo: Plato probat adoleſcentibus aquam in Timęo, reijcit vinum, quia nimis ipſorum accendit præcordia: concedit viris paucum, vt calor quodammodo in ipſis decreſcens inſtauretur: ſenibus dat ad libitum, qui calido multo, atque humido indigent: in hoc Plato Græcorum regionem inſpiciens rectè ſentit, apud quos vinum erat apprimè generoſum, quod pueris poſſet calidis nimiùm vaporibus caput replere, ingenij aciem perturbantibus, ac in viris calidiorem, & acriorem gignere ſanguinem, ex quo intemperantius exindè ſemen produceretur. In hiſce regionibus, vbi vinum variæ multiplicíſque temperiei, ac roboris enaſcitur, tutò pueris, ac viris concedi poteſt, magis tamen, vel minùs copioſum, vel robuſtum pro varia cuiuſque natura, & conſuetudine, quam in nutritione tanti ſemper fecit Hippocrates. Ac ſicuti multorum perſępè ingenijs vinum prodeſt, frigidioribus nimirùm, ac tardioribus, ita cæteris nocet, qui calidiori, & vegetiori præpollent ſpiritu, ſicuti luculenter in 2. lib. cap. 10. edocuimus, vbi etiam de cauſis filiorum ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis ad parentes ex vi ſeminis abundè dictum. Dubites an huiuſmodi alimentis ſolus pater, an mater etiam vti debeat pro optimo ſemine generando, quia ex Ariſtotele mulier ichorem quendam eius tentiginis auctorem, non ſemen emittit, vel ſi emittit, id ſolam habet rationem materiæ, quæ à ſemine hominis actuatur formæ rationem gerente, quâ veram in ſe continet alterius generandi virtutem, cui etiam ſoli norma ciborum præſcribenda videtur pro ſeminis, indèque ingenij perfectione. Ex altera parte Galenus mulierem contendit ſemen emittere generandi vi præditum, licet imbecillius virili, ſumma illa ex alijs quamplurimis ratione innixus, quòd filij ſæpiùs aſſimilantur matri, quæ ſimilitudo nonniſi ab actione formæ ſeminis eius prodere poteſt, cum à materia tantùm nulla rebus diſtinctio conferatur, formæ quippe eſt facere hoc aliquid ex Philoſopho lib. 2. de anima: tex. 2. & additur ab recentioribus quòd in mulieribus adſunt etiam teſtes, & vaſa præparantia, duæ venæ, duæque arteriæ, & vaſa etiam deferentia, ſeu eiaculatoria duo æquè ac in homine, quæ nonniſi ſeminis gratia eſſe poſſunt, cum natura nullum vnquam fruſtrà organum in corpore ſit molita. Huiuſmodi quæſtio apud Philoſophos, & Medicos perpetuò controuerſa, non eſt hìc fuſiori à nobis diſcuſſione recolenda. Stet in præſenti pro optima ingenij creatione,

*An fœmina cõſtet ſemine generandi vi prædito.*

*Andr. Laurent. lib. 8. q. 5.*

ne, quòd vtrique parenti rectæ cibationis norma proderit; ſiue enim mater ſolum præbeat ſemen pro materia, ſiue in ea contineat etiam formatricem, multùm herclè vtrique conferet alimenti delectus, ex quo materia purior, forma vegetior reddi poteſt, vt in patre.

Quod verò ad ventos, aerem, ac regionem attinet, quorum beneficio Galenus plurimùm adiuuari cenſet ingenium, ſatis quomodo id contingat ſuperiùs in 2. lib. ſermonibus eſt oſtenſum, vbi etiam alia, quæ ingenium alterare poſſunt afferuntur: inter hæc ſunt præcipua educatio, & ſtudia, quæ tantùm poſſe à multis cenſentur, experientia duce, vt ſtupidi alioquin pueri acri ſtudiorum conatu, quodammodo ingenioſiores euadere inſpiciantur, quod certè fit exſiccatis à contemplatione phantaſiæ organis, quæ antea forſitan erant humidiora, mentiſque actibus ineptiora: fit etiam ab ipſa ætatis mutatione, cum qua corporis temperamentum mutatur: hinc aliquos ex pueris licet aduertere, qui cum mirandum ingenij præferant acumen, poſtea adultiores facti, eo quaſi videntur torpeſcere, quales ſenum filij, quia cum ex ſicciori ſint geniti ſemine in ætate generationi proxima, huiuſmodi ſiccitate multùm iuuantur, ob quam maximè videntur ingenioſi, ſed ea ætatis progreſſu adaucta magis, quàm rerum apprehenſioni conueniat, obdureſcunt ferè, ac derelinqui ab ingenio inſigni vulgarium admiratione cenſentur. Quæ ſingula prolixiori non indigent explicatione, ſi hoc tantùm addidero, vnicum eſſe præ cæteris, & incomparabile ingenij exornandi remedium, à munificentiſſimo animorum creatore illud expoſcere; quippe quod pietas quærit, firmaque fides, nunquam eius nobis denegat clementia, dictante oraculo: initium ſapientiæ eſt timor Domini.

*Studia multùm alterãt ingenium.*

*Senum filij deſtituũtur ingenio.*

# F I N I S.

VENETIIS, M. DC. XXXIX.

APVD IVNTAS.

# INDEX NOTABILIVM IN MVSÆO PHYSICO.


ABiectio ſui indicat genium Metaphyſicum. 186
Abſtinentiæ miræ dotes. 115
Achillis & Herculis ira. 207
Actionum excellentiū effectrix Phantaſia. 31
Actiuitas in actionibus prouenit à temperie calida & ſicca. 140
Aduocati indoles. 201
Aduocati valent in regendo. 201
Aduocati in Curia Veneta. 176
Aduocatorum temperies. 90
Aduocatorum ingenij ſigna. 200
Aer qualis conferat ingenio. 108
Aer ſiccus confert Ingenio. 108
Aer frigidus Ingenio inimicus. 109
Aegyptij & Caldęi cur Sapientes. 64
Aetatis mutatione Ingenia aliqua iuuantur, aliqua læduntur. 68
Aetatum variæ tēperies & mores. 68
Affectus moderati proſunt Ingenio. 129
Alexandri ſententia de Intellectu agente. 9
Alteratio duplex, perfectiua & corruptiua. 7
Amaſiæ Poetarum. 129
Amantum Ingenium. 129
Amor ad quid diſponat Ingeniū. 129
Ambitio in Ingenioſo. 169
Ambitio nobile quoddam vitium. 139
Andreæ Palladij Architecti Vicentini indoles. 188
Andreas Veſalius ex linea Medicorum. 195
Anima rationalis quomodo vtatur tēperamento. 27
Anima eſt radicaliter in Corde, manifeſtatiuè in Cerebro iuxta Auicennam. 51
Anima rationalis, ſi vteretur organo in Corpore, eſſet mortalis. 26
Anima in quiete fit ſapiens. 55
Anima ruſtici non differt ab anima Docti. 28
Animæ deſcendunt ad noſtra Corpora per tria vehicula ex Platone. 15
Animę rationales an perfectione differant. 26
Animæ rationalis vigor contagio Corporis labefactatur ex Platone. 12
Animæ rationales perfectione non differunt. 28
Animæ intellectiuæ duæ notiones. 29
Animas eſſe numero pares ſtellis Firmamenti putarunt Platonici. 15
Animarum rationalium diuerſæ ſpecies an dentur. 17
Animarū transmigratio refutatur. 18
Animarum ſpecies ex Platonicis. 16
Animi affectus ad Ingenia alteranda quid poſſint. 129
Animi fiunt magni magnis honoribus. 136.163
Animi vita, Corporis mors. 32
Animorum diuerſæ Philoſophorum opiniones. 1
Animalia frigida ac tenuem ſanguinē habentia ſapientiora ex Ariſtotele. 38
Antonij Lęuę reſponsū ad Carolum V.

Imperatorem. 214
*Antonius Caracalla.* 157
*Apollo parens Poetarum & Medicorum.* 88
*Aquæ montanæ aliquæ cur ſtrumas, botium, vel tumores in liene progignant.* 112
*Aquæ quæ bonæ, & quæ malæ.* 116
*Ariſtotelis vitia notantur ex pluribus Auctoribus.* 117
*Ariſtotelis explicatio noſtræ intellectionis.* 12
*Ariſtocratia Politicæ ſpecies.* 202
*Ars quomodo ratione vtatur.* 42
*Ars volandi tradita.* 80
*Artes non honoratæ langueſcunt.* 136
*Artifices Ingenioſi ex quo.* 31
*Aſiatici ex Regum ſubiectione ignaui.* 141
*Aſiaticis modò nullum præclarum Ingenium ex defectu diſciplinæ.* 141
*Atrabilares non ſunt boni Conſultores.* 90
*Atra bilis. Vide. Bilis.*
*Aulus Cæcina Vicentinus.* 210
*Diui Auguſtini diſcendi facilitas.* 183
*D. Auguſtinus tria optabat.* 99
*Audacia vnde.* 56.59
*Audacioribus ſanguis qualis.* 61
*Auicennas, & Auerroes lectores in Gymnaſio Cordubenſi.* 120
*Auicennæ opinio de Melancolia refellitur.* 105
*Auctoris Præſagium.* 104
*Auſtri noxæ.* 56.63
*Auſtri lædunt ſpiritus.* 63
*Auſter peſſimè aerem afficit.* 110
*Auſter eſt calidus & humidus, ſed magis calidus & minùs humidus in proprio Climate.* 110
*Auſtrales Populi apti contemplationi.* 110
*Auſtrales cur horreant vulnera, febrem minimè.* 119
*Auſtralium mores.* 118

B*Arbadicæ Familiæ dotes.* 124
*Barbaræ Familiæ dotes.* 124
*Balthaſar Caſtilioneus pingui corporis habitu, & eius mores.* 72
*Bartholomei Liuiani dos.* 161
*Bartoli & Bodini in regendo ineptia.* 202
*Bataui armis & arte nautica eminẽt.* 162
*Batauorum & Britannorum natura, & mores.* 122.162
*Bergomenſes cur ſolertes.* 111
*Bernardinus Paternus in Theorica Medicinæ excellens.* 33
*Baſiliſcus cur viſu interimat.* 106
*Bibax per accidens interdum valet ingenio.* 116.162
*Bilis atra humor inæqualis.* 35
*Bilis atra cur notabiliter ingenio conferat.* 103
*Bilis atra innumeros habet temperamenti gradus.* 104
*Bilis atra maximè dignoſcitur à moribus.* 193
*Bilis atræ quatuor excellentiæ.* 104
*Bilis atræ varij effectus.* 35
*Bili atræ multa refert Ariſtoteles.* 21
*Boemi ruſtici pugnando tormentis bellicis illæſi.* 205
*Boreas ſenſibus præſtat acutiem, & membris firmitatem.* 110
*Boreas eſt ventus frigidus & ſiccus magis autem frigidus, & minùs ſiccus in proprio Climate.* 110


Bre-

*Breuiloquentia indicium ingenij Militaris.* 211
*Britanni eminent armis æque ac literis.* 162
*Butirum vtile ad ingenium.* 114

C*Aballiſtici.* 80
*Caldei & Aegyptij cur ſapientes.* 64
*Caliditas & humiditas Ingenio inimica.* 55
*Calor gignitnr ex motu Cælorum.* 49
*Calor temperatus Ingenio conuenit.* 55
*Calor multus lędit Iudicium.* 39
*Calor remiſſus iuuat Iudicium.* 172
*Caloris quatuor gradus conſiderantur.* 39
*Caloris vehiculum eſt ſpiritus.* 49
*Calui ad Venerem proni.* 211
*Caluitici duplex cauſa.* 210
*Caluities eſt inditium vegetæ Phantaſiæ.* 210
*Camillus Faernus Archipoeta.* 67
*Canes capitis magni ſunt præ cæteris memores.* 179
*Capita ingenioſorum an ſint debilia iuxta Platonem.* 72
*Capillorum ſignificatio.* 135
*Capitis quæ bona conformatio.* 69
*Capitis paruitas mala, magnitudo bona cum decenti figura.* 69
*Capitis perfecta figura.* 73
*Caput pro ingenio aptum quomodo dignoſcatur.* 71
*Caput mediocre quomodo dignoſcatur.* 73
*Caput magnum & excarne ingenio aptum.* 71
*Caput plus iuſto magnum habentes cur inſani.* 70
*Caput magnum habentes ſunt ſenſati.* 69
*Caput metallicum artificioſè loquens.* 82
*Caput paruum habentes ſunt inſenſati.* 69
*Cardanus valebat intellectu, non iudicio.* 39
*Cardani indoles.* 200
*Carnes ſiccæ an poſſint eſſe in ingenioſo.* 160
*Caſtratio perdit intellectum.* 157
*Catonis natura, & indoles.* 173
*Cauſæ externę ingenij ſunt triplicis ordinis.* 108
*Cauſæ ſpiritum immutantes.* 63
*Cauſæ ingeniorum quatuor.* 34
*Cauſę particulares ingenij, qua Methodo inueniendæ.* 85
*Cauſæ ingenij Metaphyſicorum.* 85
*Theologorum.* 85
*Mathematicorum, Phyſicorum.* 86
*Poetarum.* 87
*Muſicorum, Pictorũ, Medicorũ.* 88
*Moralium, Politicorum.* 89
*Legiſtarum.* 90
*Magorum, ſuperſtitioſorum.* 91
*Ducum Militum.* 93
*Oratorum.* 94
*Grammaticorum.* 101
*Cæſaris & Caligulæ luxuria.* 211
*Cælorum motus gignit calorem.* 49
*Celeres in agendo & parui corpore ſunt perfectiores tardis, ac magnis.* 161
*Cerebri vſus eſt cor refrigerare ex Ariſtotele.* 50
*Cerebri temperies optima eſt calida ſicca moderata.* 66
*Cerebri parui vitia.* 69
*Cerebri ſubtilitatis ac mollitiei ſigna.* 141

*Cerebri mollities, & durities quibus conducant.* 151
*Cerebri & cordis temperici ſigna.* 135
*Cerebrum calidum humidum an valeat perſpicacia ſenſuum.* 142
*Cerebrum nimis refrigeratum caret memoria.* 178
*Cerebrum nimis frigidum, vel calidũ ingenio eſt ineptum.* 66
*Cerebrum maximum cur contigerit homini.* 68
*Charopus oculus quis ſit.* 166
*CHRISTVS Dominus ridere numquã viſus.* 169
*eius Phyſiognomia.* 169
*Cibus & potus quomodo conferant ingenio.* 113
*Cibi ingenio noxij.* 217
*Cibi optimi pro ingenio quales.* 114
*Cibus multùm poteſt ad creandum bonum ingenium.* 217
*Ciceronis imprudentia.* 96
*eius laus.* 97
*eiuſdem vitia excuſantur.* 98
*Ciceronis & Galeni dicta de Anima.* 15
*Cineres adhuc in aliud poſſunt tranſmutari.* 27
*Cingararum ingenium & indoles.* 92
*Claudius Marcellus non valebat iudicio.* 40
*eius celeritas.* 161
*Climata ad ingenium.* 108
*Colli macrities ingenij ſignum.* 71
*Collum magnum & pingue eſt bouinum.* 72
*Color ingenioſi.* 165
*Color charopus qualis.* 166
*Conformatio partium eſt cauſa materialis ingenij à temperamento deſtincta.* 154
*Conſuetudo quid.* 140
*Conſuetudinis vires.* 142
*Contarenæ Familiæ dotes.* 124
*Corneliæ Familiæ dotes.* 124
*Cor molle ingenio accomodatum.* 138
*Cor quale in ingenioſo.* 56
*Cor ingenioſi eſt mediocriter temperatum.* 57
*Cor iuxta Ariſtot. eſt Corporis pars princeps.* 49
*Cor magnum eſt cauſa timoris.* 59
*Cor Mediocre in Ingenioſo requiritur.* 59
*Cordis mollities quibus cognoſcatur.* 138
*Cordis quale temperamentum ingenio accomodatum.* 54
*Cordis temperamentum ingenioſi vergit ad mediocritatem.* 57
*Cordis caloris excedentis effectus.* 55
*Cordis calidi ſicci ſigna.* 135
*Cordis articulatio quid ſit.* 58
*Cornelij Agrippę facies deformis.* 206
*Corporis frigidi humidi ſigna.* 159
*Corpus quadratum eſt altitudine quatuor pedum & ſemis.* 73
*Corſus Puer memoriæ miraculum.* 180
*Curioſitas quæ vtilis, & quæ inutilis.* 190
*Curioſitas in Pueris probanda.* 190
*Cyrus Rex memoriæ inſignis.* 180

*Dæmon quibuſdam qualitatibus corporeis oblectatur.* 25
*Dæmon non vtitur organo in corpore.* 25
*Dæmon ſi vtexetur organo in corpore eſſet mortalis.* 26
*Dæmon quomodo in homine conſtituat ingenium.* 20

*Dæmon Animarum ſocius & adiutor ſecundum Platonicos.* 15
*Dæmon edebat oracula.* 107
*Dæmon Socrati & Cardano.* 83
*Dæmonum tres ſpecies.* 20
*Dæmones ingenium non communicant,* 19
*Dæmones ab illuſtribus Phyloſophis conceduntur.* 19
*Dæmones cur Ariſtot. non admiſerit.* 21
*Dæmones quid, Variæ opiniones.* 19
*Dæmones Dei miniſtri.* 20
*Dæmones natura boni, voluntate mali.* 20
*Dæmones aliquibus familiares.* 20
*Dæmon cur abditis vtatur characteribus.* 207
*Dæmones non admittunt Cardanus, & Pomponatius.* 20
*Dæmones corpora hominum obſidere poſſunt.* 25
*Dæmones lucis oſores, ac ſorditici parentes.* 26
*Dæmones vt corpora hominum obſideant nullas requirunt preuias diſpoſitiones.* 26
*Deformes cur interdùm ſint ingenioſiſſimi.* 171
*Democratia Politicæ ſpecies.* 202
*Democriti atomorum commentum vnde.* 78
*Demoſthenis laus.* 97
*Dentes quales in Ingenioſis.* 168
*Deſcriptio viri Iudicio prediti ex Porta.* 172
*Deriſores non proficiunt in Medicina.* 198
*Diaboli pabulum Melancolia.* 25
*Differentia inter actionem intellectus & ſenſus.* 8
*Digiti Ingenioſi.* 169
*Dignitates multùm Ingenia afficiunt.* 136
*Diogenes in agēdorum vſu ineptus.* 32
*Diuites plerunq; ſunt mali ac fatui.* 135
*Diuites rarò Ingenioſi.* 163
*Diuitiæ an conferant Ingenio & quomodo.* 135
*Diuitiæ moderatæ Ingenio conducunt.* 136
*Docti ſunt gubernationibus inepti.* 201
*Doctus ex improuiſo qua vi fiat.* 107
*Dolentium mores.* 131
*Dolentes videntur fieri ſapientiores.* 131
*Dolor & Gaudium omnium vitiorum, ac virtutum fundamentum.* 131
*Dorſi gracilitas Ingenij ſignum.* 156
*Dotes ſpiritus Ingenio neceſſariæ.* 63
*Duces ac Magi multùm conueniunt.* 93
*Ducibus Religio contempta.* 213
*Ducum complexio eſt bilioſa, & melancolica.* 94
*Ducum temperatura quæ.* 207

*EBrietas quomodo ſit admittenda.* 117
*Ebrietatis vtilitates.* 117
*Ebrij multi magni viri.* 117
*Ebrijs quibus de cauſis contingat fatuitas & dementia.* 55
*Edaciora animalia inepta.* 115
*Educatio multùm confert ad mores & ad Ingenium.* 141. 163
*Educationis vis exemplo Lycurgi.* 141
*Eloquentia cum Prudentia poteſt ſociari.* 98
*Eloquentiæ fundamētum ſapientia.* 98
*Eloquentia Phyloſophorum.* 99

*Medicorum, Theologorum.* 100
*Eloquutio non mendax Animi argumentum.* 165
*Effectus vel in corpore, vel extra corpus.* 146
*Eraſmi Roterodami petulantia.* 101
*Eruditi viri ſunt miſericordiæ proni.* 134
*Eſtenſis Familiæ dotes.* 124
*Europęi cur inter ſe maximè differant.* 109
*Euri qualitates & dotes.* 111
*Eurus per accidens pluuioſus.* 111
*Eurus ſaluberrimus corporibus & Vrbibus ad eum ſitis.* 111

F*Abius Maximus valebat iudicio & cur.* 40
*Fabius Pacius Medicus Vicentinus.* 155
*Fabæ cur eſſet infenſæ Pythagoræ.* 115
*Facies macra ingenij ſignum.* 168
*Facie macra cur ſint ingenioſi.* 155
*Faciei maculæ quid denotent.* 166
*Facultates ſenſitiuæ non ſentiunt, ſed anima per ipſas.* 47
*Facultates locis in Cerebro diſtinguuntur.* 178
*Familiarum quarumdam peculiares dotes.* 124
*Familiarum Italarum Genius.* 124
*Familiarum Genij cauſa eſt formatrix facultas.* 124
*Familiæ Romanorum.* 124
*Fatui cur aliquando ex Viris Sapientibus oriantur.* 126
*Fæmina an conſtet ſemine vi generandi prædito.* 218
*Fæminæ cur ad Magiam procliuiores.* 206
*Filij plerumque gignuntur parentibus ſimiles.* 128
*Filiorum ad Patres ſimilitudinis & diſſimilitudinis cauſa.* 126
*Florentiæ ſitus.* 123
*Florentinorum mores, Ingenia, & dotes.* 123.174
*Florentinorum odium in Henricum Imperatorem.* 130
*Fluuij qui laudabiliores.* 113
*Fluuij quomodo aerem alterent.* 113
*Forma digna Imperio.* 203
*Formatrix Facultas eſt Intelligentia ſecundum Auicennam.* 124
*In Deum refertur ſecundum Galenum.* 124
*In ſemine reponitur ſecundum Ariſtotelem, & varios habet motus.* 124
*Semper fœtum ſimilem Parentibus generat, niſi impediatur.* 125
*Fortuna Virtutem ſequitur.* 194
*Fortuna in Milite.* 212
*Fortuna fæmina.* 194
*Fortuna quid ſit.* 213
*Fortis ſigna & indicia.* 199
*Frons Ingenioſi qualis.* 168
*Franciſcus Piccolomineus ſui ſeculi lumen.* 33
*Franciſcus Robortellus in concione obmutuit.* 130.97
*Frigiditas, & humiditas pariunt ſtoliditatem.* 56
*Frigiditas iuuat Ingenium per accidens.* 55
*Futura quomodo naturaliter poſſumus prædicere.* 106
*Futurorum prædictio à Moribundis vnde.* 107
*Furor Poeticus quid.* 193

Galeni ſententia de Animæ rationalis natura reijcitur. 27
Galeni opinio de principatu membrorum. 50
Refutatur à Peripateticis. ibidem.
Galeni & Ariſtotelis contrarietas de venarum calore. 59
Galenus in Animæ cognitione anceps. 22
Gallorum corporis dotes. 121
Galli quibus in ſcientijs excellant. 121
Galli Ingenioſi. 64
Gallorum, Hiſpanorum, & Italorum comparatio. 121
Galliæ Regibus vis ſanandi ſtrumas vnde. 106
Gaudium eſt Virtutum fundamentum, Dolor Vitiorum. 131
Galli magis valent Ingenio. 121.172
Galli potiùs inuentores rerum, quàm Iudices. 121.162
Gallorum natura, & mores. 121
Gallorum Viri celebres. 121
Gellius Vallenſis Medicus illuſtris Vicentinus. 130
Genij quales. 5.20
Genij familiares multis. 20
Germanorum Ingenij mutatio propter ſtudia. 143
Germani vaſto corpore. 158
Gibboſi plures Viri illuſtres. 155
Gibboſitas Ingenij ſignum. 155
Gracilitas in Ingenioſo vnde. 60
Grammaticorum Ingenium. 96
Grammaticorum arrogantia. 101
Grammatici conditiones & mores. 216
Grammaticæ indolis ſigna. 216
Græcorum natio iactabunda. 170
Gottifredus Bullioneus. 120
Gulielmus Budeus pingui corporis habitu. 72

Habitus cognoſcitiui quot ſint. 77
Habitus corporis pendet à Corde, & à Iecore. 139
Habitus durus interdum inuenitur in Ingnioſis. 140
Hannibal Dux fortiſſimus. 93
Hannibalis odium in Romanos. 130
Hæreticis familiaris modus argumentandi ſophiſticè. 191
Heluetij vaſto corpore. 158
Heracliti dictum. 56
Herculis & Achillis ira. 207
Hepatis temperamenti ſigna. 135
Hiſpanorum natura & mores. 120
Hiſpani quibus in ſcientijs excellant. 120
Hiſpani valent magis Iudicio. 120.& 172
Hiſpani potiùs rerum iudices, quàm Inuentores. 120.162
Hiſpani ſagaci & acuto Ingenio. 158
Hiſpanorum Ingenia & Gallorũ. 162
Hiſpanorum, Gallorum, & Italorum comparatio. 121
Homeri catena aurea. 15
Homo ex ſermone cognoſcitur. 165
Homo cur habeat cerebrum maximum. 68
Hominum diuerſas ſpecies dari eſt ridiculum. 28
Homines magni intellectus malè ſcribunt, & cur. 185
Homines parui ſunt acuto Ingenio. 157
Homines valdè magni ſunt Ingenio tardi. 158
Homines parui calidi ſicci ſunt ſpeculationibus inhabiles. 158

Homi-

*Homines magni Corpore frigidi humidi Ingenio non valent.* 158
*Homines parui Corpore frigidi humidi Ingenio valent.* 159
*Homines Corpore magni calidi ſicci ſunt Ingenioſi.* 159
*Homines media Corporis ſtatura ſunt excellentiſſimi in animarum actionibus.* 160
*Homines, qui meliores, celeres an tardi magni an parui.* 161
*Homines in montanis degentes ſingulari præſtant ſolertia.* 111
*Homines deriſores in re Medica excellenter numquam proficiunt.* 198
*Homines degentes in collibus irriguis Ingenioſi.* 112
*Homini an maius malum ſit carere memoria, quàm Ingenio.* 181
*Honores poßunt indicare Ingenium.* 136
*Honos alit Artes.* 136
*Horatius Augenius in Theorica Medicinæ excellens.* 33
*Horologium formatũ in annulo à quodam Vicentino.* 78
*Huarthis ſententia de Ingenio.* 22
*Refellitur.* 23
*Huarthis rationes ſuadentes intellectũ bonum non ſtare cum bona phantaſia.* 38
*Diluuntur.* 41
*Huarthis error de Memoria.* 47
*Huarthes refellitur.* 99
*Humanitas eſt ſignum Cordis mollis.* 140
*Humerorum macredo ingenij ſignum.* 154
*Humiditas Ingenio nocet.* 56
*Humor Melancolicus duplex, naturalis, & non naturalis.* 103

I

*Iactantia in Ingenioſo.* 169
*Iacobus Gallus qualis.* 170
*Iacobus Critonius Scotus ingenioſus & Corpore robuſtus.* 62
*Iacobi Mazzonij dotes.* 100
*Ieiuni meliùs iudicant.*
*Indolis certa indicia.* 208
*Indolem ſuam quiſque detegit.* 183
*Ingenij nomen vnde dictum.* 5
*Ingenij definitiones variæ.* 5
*Ingenium optimum pendet ab optimo intellectu.* 13
*Ingenij Opinio Platonis.* 15
*Pythagoræ.* 17
*Maximi Tyrij.* 19
*Galeni.* 22
*Huarthis.* 22
*Recentiorum.* 26
*Auctoris.* 27
*Ingenium an fiat à Dæmonibus.* 19
*Ingenium an conſtituatur à temperamento.* 22
*Ingenium in hominibus naſcitur, non acquiritur.* 30
*Ingenia contemplationi apta in actione non valent.* 32
*Ingenium eſt qualitas indiuidui.* 34
*Ingenij quatuor cauſæ.* 34
*Ingeniorum differentiæ à quibus peti debeant.* 34
*Ingenium eße vim intellectus, ac phãtaſiæ probatur.* 36
*Ingenij vera definitio.* 37
*Ingenium cum magno calore caret Iudicio.* 41
*Ingenij optima temperatura quænam.* 41
*Ingenium eſt qualitas compoſiti.* 44
*Ingenium ineſt in diſpoſitionibus organi phantaſiæ.* 45

*Ingenij natura conſiſtit in cognitione. pag.* 45
*Ingenium in Indiuiduo conſideratur. pag.* 37
*Ingenium in qua parte corporis vigeat.* 49
*Ingenium eſt voluntas.* 47
*Ingenium in ſolo cerebro celebratur. pag.* 53
*Ingenium magis caliditate, Iudicium magis frigiditate gaudet.* 67
*Ingenium ab ætate iuuatur.* 68
*Ingenia Thomiſtarum & Scotiſtarum. pag.* 77
*Ingenia quędam valent in imaginatione rerum minimarum.* 78
*Ingenia pollentia in rebus maximis. pag.* 78
*Ingenia pollentia in rebus mobilibus. pag.* 79
*Ingenia pollentia in rebus cum quiete iunctis.* 80
*Ingenia pollentia in rebus cum numero iunctis.* 80
*Ingenia quæ valent in figuris noſcendis.* 81
*Ingenio verſatiles pollent fugaci prudentia.* 97
*Ingenium à pituita quomodo afficiatur.* 103
*Ingenij cauſæ externæ tres.* 108
*Ingenium magnum nullum ſine mixtura dementiæ.* 67
*Ingenia ſequuntur locorum naturam. pag.* 112
*Ingenia varia produci à parentibus. pag.* 124
*Ingenium interdùm iuuatur multo potu & cibo.* 116
*Ingenio qui valent, cur memoria non valeant.* 177
*Ingenij ac memoriæ organum in quo differant.* 178
*Ingenia quæ proficiunt in actiuis non valent in Metaphyſica.* 186
*Ingenium ex quinque rebus gignitur perfectius.* 217
*Ingenium excellens apud homines admirandum.* 1
*Ingenij cognitio ad quid conferat.* 1
*Ingenij ſpeculatio iucunda.* 2
*Ingenio nullus orbatur, niſi morbo vel diuino miraculo.* 21
*Ingenium non eſt potentia animæ remota, ſed proxima.* 30
*Ingenium conſiſtit in cognitionis facilitate.* 33
*Ingenio confert partium ſubtilitas, mollities, & tenuitas.* 67
*Ingenio magis conducit vinum, quàm cibus.* 116
*Ingenio temperamenti mediocritas vtilisſima.* 160
*Ingenij optima temperatura.* 41
*Ingenio conuenit calor temperatus.* 55
*Ingenio inimica caliditas & humiditas.* 55
*Ingenium bonum educatione melius, malum praua longè peſſimum fit.* 40
*Ingenium plurimum à morbis alteratur.* 139
*Ingeniorum differentiæ ex parte intellectus.* 77
*Ingeniorum differentiæ ex parte phantaſiæ.* 78
*Ingeniorum differentiæ ex cauſis.* 82
*Ingenia ætatis mutatione aliqua iuuantur, & aliqua læduntur.* 68
*Ingenij & Iudicij ſigna diſtinctiua. pag.* 176
*Ingenij ſigna ex Ariſtotele.* 36.154
*Ingenij ſigna an ſuperuacanea.* 182

Ingenij cognoſcendi duplex via. 145
Ingenijs cognoſcendis vtilis Medicina, & Ars Phyſiognomiæ. 145
Ingenium per cauſas, & per effectus cognoſcitur. 145
Ingenij ſigna communia. 145
Ingenij ſigna ex cauſis. 145
ex habitu corporis. 146
ex diſpoſitione Cordis. Hepatis. Capitis. 135
ex temperamento ſecundarum qualitatum. 138
ex ſingularum corporis partium conformatione. 154
ex totius corporis conformatione. pag. 156
ex cauſis externis. 161
ab Aere. 161
ex regionibus. 162
ex natalibus. 162
ex Animi affectibus. 163
à Nobilitate. 163
à Diuitijs. 163
à Paupertate. 163
ab Educatione. 163
ex Religione. 163
ex Lege. 163
ex Societate. 163
ab Effectibus. 164
à Sermone. 164
à Colore. 165
à Pilis. 166
ab Oculis. 166
à toto Corpore. 168
à Moribus. 169
Ingenioſus Homo disitur præſertim ob intellectum. 37
Ingenioſi nec audaces, nec puſillanimi, ſed circumſpecti. 57
Ingenioſi ſunt iracundi, timidi, & Melancolici, & vnde. 61
Ingenioſi ferè ſemper ſunt Melancolici. 35
Ingenioſi cur aliquando voraces & bibaces. 116
Ingenioſorum capita an ſint debilia iuxta Platonem. 72
Ingenioſi Cor mediocriter temperatū. pag. 57
Ingenioſorum habitus Corporis. 60
Ingenioſorum ſanguis. 61
Ingenioſi hepar. 60
Ingenioſi ſunt cholerici. 57
Ingenioſi ſunt timidi. 57
Ingenioſi cerebrum & Caput. 68
Ingenioſi Collum. 71
Ingenioſi vitijs abundant. 140
Ingenioſi cur facie macra. 155
Ingenioſi Corporis deſcriptio. 168
Ingenioſus propendet ad fletum. 169
Ingenioſus eſt iactabundus. 169
Ingenioſi veſtiunt ornatè. 170
Ingenioſi Cor quale. 135
Ingenioſi ſunt molles carne. 139
Ingenioſi an humani vel inhumani ſint. 140
Ingenioſi artifices ex quo. 31
Imaginatio. Vide. Phantaſia.
Inopes acutiores Ingenio. 163
Inſania & Poeſis magna affinitate iunguntur. 193
Inſidiatoris ſigna. 205
Inſtrumenta ſenſuum externorum. 137
Ira quid conducat Ingenio. 129
Ira quæ facilè remittitur ſignificat cor molle.
Ira Herculis & Achillis. 207
Iracundorum Ingenium. 129
Irreligio in Milite. 213
Intellectiuarum facultatum diſtinctio, & enumeratio. 6

*Intellectus & ſenſus ſimilitudo & diſſimilitudo.* 7
*Intellectus obiectum quod.* 8
*Intellectus patientis attributa quatuor.* 8
*Intellectus non habet organum.* 9
*probatur.* 23
*Huarthes contrà ſentit.* 24
*Intellectus agentis neceſſitas oſtenditur.* 9
*Intellectus agentis opinio Alexandri refellitur.* 9
*Intellectus agens quomodo moueat patientem.* 10
*Intellectus iudicium, cuinam competat patienti, an agenti.* 10
*Intellectionis facilitas pendet ab obiecto, difficultas à Phantaſia.* 11
*Intellectio quomodo fiat.* 11
*Intellectus quomodo dicatur eſſe qualis.* 25
*Intellectus habet potentiam proximã, & remotam.* 27
*Intellectus in habitu quid ſit.* 30
*Intellectus ſumitur latè ac ſtrictè.* 38
*Intellectus iuuatur ignis virtutibus. pag.* 39
*Intellectus caret organo.* 25
*Intellectus potentia duplex.* 29
*Intellectus eſt cauſa efficiens Ingenij primaria, phantaſia ſecundaria.* 31
*Intellectus operatio duplex.* 77
*Intellectus operatio.* 7
*Intellectus locus ſpecierum.* 9
*Intellectionem præcedit omnium partium ſenſitiuarum actio.* 9
*Intellectus à primo ſuo ortu ad agendum eſt aptus.* 29
*Intellectus cur ſtatim non exerceat ſuas operationes.* 29
*Intellectus eſt potentia animæ intellectiuæ & phantaſiæ.* 30
*Intellectus quomodo poſſit affici à calore vel frigore.* 35
*Intellectus nulli addictus corporis temperiei.* 36
*Intellectus quandoq; læditur non læſis imaginatione, & memoria ex Galeno.* 38
*Io: Georgius Triſſinus Poeta Vicentinus.* 188
*Io: de Monteregio efformauit Aquilam volantem.* 80
*Io: Argenterius in Theorica Medicinę excellens, non ſic in practica.* 33
*Itali prudentes, acuto, & verſatili ad omnia genio.* 162
*Italorum, Gallorum, Hiſpanorum cõparatio.* 121
*Intemperati cur Ingenioſi.* 117
*Iudicium animæ quid ſit.* 7
*Iudicium læditur à multo calore.* 39
*Iudicium viget in primo caloris gradu. pag.* 41
*Iudicium accipitur dupliciter.* 39
*Iudicium qua iuuetur temperie.* 58
*Iudicium ſpiritibus iuuatur quietioribus.* 65
*Iudicij ſigna.* 171
*Iudicij & Ingenij ſigna diſtinctiua. pag.* 176
*Iudicium eſt duplex.* 172
*Iudicium quo temperamento gaudeat. pag.* 172
*Iudicium Venetorum & Hiſpanorum. pag.* 174
*Iul: Cæſaris Ingenium.* 80
*Iul: Cæſaris ſtatura.* 160
*Iul: Cæſaris natura & mores.* 175
*Iul: Cæſaris Scaligeri ſtatura, & eius ingenium.* 62.160
*Iulius Pacius origine Vicentinus.* 121

*Iulius Camillus.* 100
*Iudicium & Iactãtia quomodo coeant.* pag. 187
*Iudicium maximè indicat Phyſicos.* pag. 191
*Inuerecundi ſunt ferè ſtupidi.* 133
*Iudicium iuuatur à remiſſo calore.* 172
*Iulianus Apoſtata iactabat in ſe renatum eſſe magnum Alexandrum.* 18
*Iuuenes cur ſenibus imprudentiores.* pag. 55
*Iuſti ſigna & indicia.* 199
*LAbor magnus in intellectione vnde contingat.* 12
*Lactis conditiones vt ſit optimum & ingenio aptum.* 114
*Lactis facultas in alterando corpore & ingenio.* 114
*Lacus & paludes quomodo aerem alterent.* 112
*Laxitas partium infernarum in Ingenioſis.* 155
*Lectoris ingenium quale.* 201
*Lætitia quodnam Ingenium influat.* pag. 131
*Leges quid conferant Hominibus.* 140
*Leggiſtarum & Aduocatorum temperies.* 90
*Leggiſta non multùm valet Ingenio.* pag. 200
*Leggiſta merus, Aſinus merus.* 32
*Leggiſtarum ſigna.* 198
*Lentigines in facie quid denotent.* 166
*Lingua qualis in Ingenioſo.* 168
*Leonardi Donati Ducis Venetiarum dotes.* 175
*Locorum ſitus quomodo afficiat Ingenium.* 118
*Logicæ ſubtilitates nimiæ in puero improbantur.* 185
*Logicis in rebus proficere indicat indolem Metaphyſicam.* 184
*Longi quàm plurimi Ingenioſi.* 160
*Loquaces interdùm docti ac prudentes.* pag. 101
*Loquentes multùm non valent genio ad Metaphyſicam.* 184
*Ludimagiſtrorum Ingenij ſigna.* 216
*Lupus cur raucedinem inducat.* 106
*MAculæ in facie quid notent.* 166
*Macrocephalorum mos.* 140
*Magia triplex.* 204
*Magi ac Duces multùm cõueniunt.* 93
*Magi.* 91
*Magus quinam ſit.* 205
*Magorum ingenij ſigna.* 204
*Manſuetudo quid præſtet Ingenio.* 129
*Manus Ingenioſi.* 169
*Magni non ſunt valde Ingenioſi.* 158
*Magni frigidi humidi non valent Ingenio.* 158
*Magni calidi ſicci valent Ingenio.* 159
*Marius oculos habebat ſplendentes.* pag. 64
*Maris accolæ & littorum eius Ingenioſi.* 113
*Maris accolarum, vel in eius littoribus degentium conditiones, & mores.* pag. 113
*Mathematicorum temperamentum eſt Melancolicum.* 86
*Mathematici cenſentur cæteris Ingenioſiores.* 189
*Mathematicæ Mechanicæ vigent in Gallia.*
*Mathematicorum Ingenij ſigna.* 187
*Mathematicorum ſigna quædam communia.* 188
*Mediceorum Aetruriæ Ducum Familiæ dotes.* 124
*Medicina non eſt à pietate ſeiuncta.* pag. 134

*Medi-*

*Medicina Theorica & Practica ſibi inuicem deſeruiunt.* 196
*Medici eloquentes.* 100
*Medico multùm inſeruit memoria.* 90
*Medicorum & Poetarum parens Apollo.* 88
*Medici debent valere iudicio.* 89
*Medicorum temperamentum eſt Melancolicum ſuprà Phyſicos, ſed infra Mathematicos.* 90
*Medici boni cur non inueniebantur Athenis.* 136
*Medicorum cur raò quis in Theorica valeat, & Practica.* 196
*Medicus debet valere Memoria.* 197
*Medici conditiones ex Hippocrate.* pag. 197
*Medicorum ſigna.* 195
*Medicus bonus eſt etiam bonus Phyſicus.*
*Medicus parùm diſcrepat, à Phyſico.*
*Mediocres corpore ſunt Ingenio excellentes.* 160
*Melancolia pabulum Diaboli.* 25
*Melancolicus humor eſt duplex, alius naturalis, alius non naturalis.* 103
*An ab eo pendeat prædictio futurorum.* 104
*An ab eo ſermo variarum linguarum in Idiota.* 105
*Melancoliç vires.* 102
*Melancoliæ & Vini ſimilitudo.* 35
*Melancolici Ingenioſiores.* 139
*Melancolia Hypocondriaca Ingenioſis familiaris.* 153
*Melancolici Hypocondriaci ſigna.* 153
*ex Melancolia cur ſpiritus exhalent ſubtiliores.* 153
*Mel & Butirum vtile ad Ingenium.* pag. 114
*Meliſſa acuit vim Phantaſiæ.* 115
*Memoria qui fuerint Inſignes.* 180
*Memoria & Phantaſia quomodo eadem.* 46. 177
*Memoria an appellari poſſit Ingenium.* pag. 43
*Memoria ex Tullio eſt Ingenium.* 44
*Memoria quomodo ſit ſenſus & Phantaſia.* 46
*Memoria nequit eſſe cognoſcitiua.* 46
*Memoria cum quibus iungatur Ingenijs.* 81
*Memoria in qua parte capitis ſit.* 178
*Memoria quale temperamentũ requirat.* 178
*Memoria quale caput requirat.* 179
*Memoria an debeat ſcriptis aut indice iuuari.* 181
*Memoria quid.* 177
*Memoria eſt Magiſtra Prudentiç.* 181
*Memoriæ confert crebra rerum meditatio.* 180
*Memoriæ Ars.* 180
*Memoriæ Miraculũ Puer Corſus.* 180
*Memoria Oratoriæ Indolis argumentum.* 215
*Memoriæ & Ingenij organum in quò differant.* 178
*Memoria magna eſt ſignum negatiuum Ingenij Theologici.* 184
*Memoriæ ſigna.* 177
*Memoriæ remedia.* 181
*Menſura paruorum, magnorum, mediocrium.* 157
*Mçrentes facilè fiunt Monachi.* 131
*Menelaus Conſtantij Imperatoris Sagittarius egregius.* 80
*Mercurius, & Saturnus à Ficino cauſæ Ingenij aſſignantur.* 109
*Memoriæ prauæ ſigna.* 136
*Metaphyſicorum Ingenium quomodo ex ſuis cauſis dignoſcatur.* 18

*Me-*

*Metaphyſicorum Ingenij ſigna.* 182
*Metus Ingenio cōfert & quomodo.* 130
*Militum Ingenium.* 93
*Militaris ars & venatio conueniunt.* pag. 209
*Militis verecundia propria.* 212
*Militaris genij ſignum incertum veſtitus negligentia.* 210
*Militaris tormenti inuentum vnde.* 79
*Milites aliqui pij.* 214
*Militaris ingenij ſigna.* 207
*Minerua inuita nihil.* 30
*Mærentes videntur fieri ſapientiores.* pag. 131
*Mærentium mores.* 131
*Miſericordia quam Ingenij ſpeciem cōſtituat.* 133
*Miſericordes valent Ingenio.* 134
*Miſericordia quid.* 134
*Miſericordes amatores mulierum.* 134
*Miſericordes præſtant in praxi Medicinæ & in praxi criminali.* 134
*Miſericordia ſignū Cordis mollis.* 140
*Mollities eſt duplex.* 149
*Mollitiei Cordis ſigna.* 138
*Molles carne Ingenioſi.* 36
*Monarchia ſpecies Politicæ, & ad eam quodnam Ingenium.* 202
*Monarchæ conditiones, & qualitates.* pag. 202
*Monarchiæ habilis Ingenij ſigna.* 198
*Montanis in locis Homines acuti.* 64
*Moralium & Politicorum Temperamentum.* 89
*Moralium temperamentum eſt mediū, ſed vergens ad ſanguineum.* 89
*Moralium ſigna.* 198
*Morales aliqui cur in corpore moraliū ſigna non habeant.* 200
*Motus Cælorum gignit calorem.* 49
*Motus & ſenſus communicantur à cerebro per irradiationem.* 53
*Motricis facultatis ſigna.* 136
*Mutatio temporum multùm valet ad alterandum Ingenium.* 109
*Mutina Ingeniorum fæcunda.* 112
*NAnorum actus reſpectu virorū, imperfecti.* 70
*Narſes Perſus Eunucus.* 157
*Naſturtium acuit vim phantaſiæ.* 115
*Natales poſſūt indicare Ingenium.* 162
*Nicolaus Leonicenus Vicentinus.* 160
*Nicolaus Picinninus Dux eximius.* pag. 158
*Nobilitas cauſa externa Ingenij.* 134
*Nobilitas poteſt indicare Ingenium.* pag. 163
*Nobiles humanitate præſertim excellunt.* 135
*Nobile quoddam vitium Ambitio.* pag. 139
*OBliuioſi quibus de cauſis.*
*Obiectum proprium intellectus eſt vniuerſale.* 6
*Obiectum ſenſus eſt ſingulare.* 8
*Occidentalium natura & mores.* 119. pag. 162
*Occipitis ſignificatio.* 136
*Oculi quales in Ingenioſo.* 166
*Oculi ſplendentes erant in Mario, Auguſto, & Cardano.* 64
*Oculus an ſit coloratus.* 23
*Occultæ quædam virtutes Virorum illuſtrium.* 83
*Odium quid præſtet Ingenio.* 130
*Odorantes à longa diſtantia non valēt Ingenio.* 137
*Oratorum Ingenium.* 94
*Oratorum temperamentum eſt bilioſum.* 95
*Oratores ſunt ambitioſi, & Iactabundi.* 95


*Orato-*

*Oratorum variæ ſpecies.* 96
*Oratoria & Sapientia in quibus iungantur.* 97
*Orator idem prudens & ſapiens eſſe poteſt.* 98
*Oratores ſecundum apparentiam prudentes quinam ſint.* 97
*Oratoriæ indolis duo præcipua ſigna.* pag. 215
*Orator debet docere, mouere, delectare.* 215
*Oratores inſignes euadunt Vicentini.* pag. 214
*Oratores Veneti.* 96
*Oratorum Ingenij ſigna.* 214
*Oracula fiebant à Dæmone.* 107
*Orientalium natura & Mores.* 118. pag. 162
*Organum tactus in quo conſiſtat.* 24
*Organo caret intellectus.* 25
*Otium ſine literis Mors eſt.* 143
*PAlæmon Grammaticus Vicentinus.* 101
*Paludes & lacus quomodo aerem alterent.* 112
*Patauium Aeſculapij officina.* 195
*Pars corporis in qua viget Ingenium.* pag. 49
*Pars princeps in noſtro corpore quæ.* 49
*Pallor & gracilitas in Ingenioſo vnde.* 60
*Paruitas corporis Ingenij ſignum.* 157
*Paruorum Ingenioſorũ exempla.* 157
*Parui Corpore Calidi ſicci carent ingenio.* 158
*Parui frigidi humidi valent ingenio.* pag. 159
*Paupertate Ingeniorũ vigor obruitur.* pag. 135
*Paupertate item homines ſummopere acuuntur.* 136
*Phantaſia eſt cauſa difficilis intellectionis.* 12
*Phantaſia eſt cauſa etiam facilis intellectionis.* 13
*Phantaſia eſt cauſa Materialis & efficiens ſecundaria Ingenij.* 31
*Phantaſię bonitas eſt neceſſaria in omni bono ingenio.* 32
*Contradicitur.* 38
*Phantaſiæ actio eſt immanens, vel trãſiens.* 33
*Phantaſia bona ſtat cum ſecundo caloris gradu.* 40
*Phantaſiæ actiones enumerantur.* 77
*Phantaſia diſcurſu quodam vtitur circa particularia.* 77
*Phantaſia & Memoria quomodo eadem.* 46
*Phantaſia poteſt producere effectus ad extra ex Auicenna.* 105
*Phantaſia deſeruit intellectui.* 8
*Phantaſia effectrix actionum excellẽtium.* 31
*Phantaſiæ obiectum eſt materiale ac ſingulare.* 38
*Phantaſiæ inuenta varia.* 79
*Phantaſia valent Septẽtrionales.* 119
*Phantaſia quomodo ſit cauſa ſimilitudinis.*
*Phantaſia vt facultas ſuperior regit actionem formatricis.*
*Philoſophorum & Medicorum exempla in actiuis ineptorum.* 33
*Philoſophorum eloquentia.* 99
*Philoſophicæ vtilitates in aduerſis.*
*Philoſophi, & Viri aliqui inſignes Vino indulgentes & intemperantes.* pag. 117
*Phyſici pollent Iudicio.* 87
*Phyſicorum temperamentum eſt melancolicum, & phlegmaticum.* 86

*Phy-*

Phyſicos indicat maximè Iudicium. pag. 191
Phyſicum Ingenium dignoſcendi pręcipua ſigna. 187. 190
Piccolomineæ Familię dotes. 124
Pictores excellunt Phantaſia. 38
Pictoris & Poetæ ſigna inter ſe diſtinctiua. 194
Pictores & Muſici aſſimilantur. 90
Pictores multi Sancti, Poetæ fortè nulli. 195
Pietas ſignum Cordis mollis. 140
Perugia Ingeniorum fœcunda. 112
Pierius Valerianus pingui corporis habitu. 72
Pili quales in Ingenioſo. 166
Pituitæ vis in Ingenio. 103
Pericles Athenienſis qualis. 174
Platonis laus. 97
Platonis peregrinatio. 16
Platonis opinio de principatu membrorum. 50
Plato Atticus Moſes vocatus à Numenio. 16
Platonicorum ſententia de Anima refutatur. 16
Peripateticorum diſputatio contra Galenum de principatu membrorum. pag. 50
Conuincuntur à Galeno & à Medicis. 51
Pinguedo à frigiditate, Corpulentia à calore fit. 59
Poetarum temperamentum eſt Melancolicum inæquale. 87
Poetæ ac Medici conueniunt in temperie. 90
Poetæ non valent iudicio. 90
Poeticus furor quid. 193
Poetæ ſunt leues. 193
Poetici genij ſigna. 194
Poetæ plurimi Philoſophi. 87
Poetarum mores. 87
Poetas excitat Vinum. 67
Poetarum Amaſiæ. 129
Poeſis & Inſania magna affinitate iunguntur. 193
Poetæ plerumq; in imo ſordeſcunt. 193
Poetæ & Pictoris ſimilitudo & diſcrimen. 194
Poculi Amatorij varij effectus.
Politici ſunt Conſultores. 90
Politicorum temperamentum. 89
Politicorum Ingenij ſigna. 198
Politicis negotijs an habilior ſit legiſta Theoricus, an Aduocatus. 201
Poetarum & Medicorum parens Apollo. 88
Pompeius Caimus. 170
Pompeius Targonius. 160
Populi ſolertes. 111
Populorum ingenia. 118
Porcius Latro Declamator egregius. pag. 97. 130
Populi in littoribus habitantes calliđiſſimi. 113
Potentia remota & proxima in quò differant. 44
Pronunciatio concinna ſignum Ingenij Oratoris. 215
Propenſio propria ad ſcientias, an à quolibet cognoſcatur. 182
Prædictio futurorum an ab Humore Melancolico. 106
Prædictio futurorum quomodo poſſit naturaliter fieri. 107
Prudentis proprium examinare conſilia. 174
Prudentia ex quibus dignoſcatur. 199
Pueris non conuenit multũ ſapere. 185
Pueri nimiæ ſubtilitates logicæ improbantur. 185

*Pueris an vinum concedendum.* 218
*Puerorum inſtinctus exemplis probatur.* 188
*Puerorum optima indoles.* 185
*Pueri ante tempus ſapientes deficiunt.* 185
*Puerorum profectus in logicis iudiciū futuræ excellentiæ in Phyſicis.* 191
*Puerorum curioſitas probanda.* 190
*Pueri multùm loquentes non ſunt habiles ad metaphyſicam.* 184
*Pulchritudo duplex.* 171
*Pulchri corpore cur plerunque malo ingenio.* 171
*Pulchri quinam careant ingenio.* 171
*Puſillanimi cur aliorum non miſereantur.* 134
*Puſillanimi vnde fiant.* 57
*Puſillanimi ſanguis qualis.* 61
*Puſillanimis humor melancolicus abūdat.* 61
*Pythagorę metempſichoſis quid.* 16
*Refutatur.* 18
*Pythagoræ opinio de anima.* 17
*Pythagoras inſigni forma eminebat.* 203
*Pythagoræ cur fabæ eßent infenſæ.* 115
Q*Valitas indiuidui eſt ingenium.* 34
*Qualitas compoſiti eſt ingenium.* 44
*Qualitates animi, corporis, & compoſiti.* 44
*Qualitatum primarum ſolas exuperantias ſentit tactus.* 24
*Qualis præceptor talis ſæpius diſcipulus.* 142
*Qualitates ingeniorum.* 144
*Quiete fit ſapiens anima.* 55
*Quiſque detegit ſuam indolem.* 183
R*Ationis læſio ſupponit phantaſiæ læſionem.* 42
*Religio eſt fortior lege.* 141
*Religio à ducibus contempta.* 213
*Regionum temperatarum mores.* 120
*Regiones calidæ ſunt aptæ ingenio, nimis calidæ ineptæ.*
*Regunt plurimi abſque legali ſcientia, & cur.*
*Regula veriſſima iudicandi indolem puerorum.* 189
*Remedia ingeniorum.* 216
*Reminiſcentia ſtat cum ingenio.* 177
*Reminiſcentia propria præſtantium ingeniorum.* 177
*Reſpublica ex Nobilibus melior.* 163
*Riſus à quo fiat.* 169
*Ruſtici anima non differt ab anima Docti.* 28
*Ruſticus qua vi de improuiſo doctè loquatur.* 107
S*Anguis ingenioſorū vergit ad melancolicum & bilioſum.*
*Sanguinis temperies cur iuuet ingenium.* 61
*Sanguis ingenioſorum eſt mediocriter temperatus.* 61
*Sanguinis virtus in ingenium.* 111
*Sapientes filij cur aliquando ex fatuis parentibus naſcantur.*
*Saturnus & Mercurius ſtudiorum numina tutelaria Ficino.* 109
*Scytharum nemo vmquam philoſophus præter Anacarſim.* 63
*Scipionis natura & mores.* 175
*Scotorum viri præclari.* 122
*Scotorum gens fortiſſima & ingenio ualens.* 122
*Scotorum mores & ingenia.* 122.162.
*Scribere malè cur familiare hominibus magni intellectus.* 185

*Selimi Turcarũ Imperat. mores.* 213
*Senes cur prudentia magis valeãt.* 115
*Senum filij deſtituuntur ingenio.* 219
*Senes cur obliuioſi.* 178
*Senſatio quomodo fiat.* 7
*Senſatio tribus inſtãtibus cõtinetur.* 7
*Senſus & intellectus ſimilitudo & diſſimilitudo.* 7
*Senſio facilis quomodo fiat.* 11
*Senſus ac motus communicantur à cerebro per irradiationem.* 53
*Senſus externi ſignificant diſpoſitionem cerebri.* 137
*Sermo eſt maximũ ingenij ſignũ.* 164
*Septentrionaliũ mores & natura.* 119
*Septentrionales cur febrem horreant, vulnera negligant.* 119
*Septentrionales pręſtant in mechanicis.* 119. 162
*Septentrionales valent phantaſia.* 119
*Seueritas ſequitur Ducis temperamẽtum.* 209
*Sibillæ ex Ariſtot. affectæ ab atra bile.* 35
*Sibillarum oracula vnde.* 107
*Siccitas ingenio maximè confert.* 56
*Sigiſmundus Boldonius.* 170
*Signa in phyſiognomia oſtendunt propenſiones non paſſiones.* 200
*Signa boni intellectus & phantaſiæ.* 136
*Signa diſtinctiua ingenij & iudicij.* 176
*Signa iudicij in Fabio Maximo.* 173
*Signa iudicij in Catone.* 173
*Signa iudicij valent ad dignoſcendos Politicos.* 198
*Signa præcipua dignoſcendi Phyſicum ingenium.* 190
*Signa iuſti.* 199
*Signa indolis ad Theoricam & practicam medicinam an ſint eadem.* 195
*Signa diſtinctiua inter Poetam & Pictorem.* 194
*Signa temperamenti calidi ſicci moderati.* 136
*Signa cordis calidi ſicci.* 135
*Significatio capillorum.* 135
*Signa motricis facultatis.* 136
*Signa praue memorię.* 136
*Significatio occipitis.* 136.
*Significatio ſincipitis.* 137
*Signa ſubtilitatis & molliciei cerebri.* 151
*Simile e ſimili generatur.* 162
*Similes duo homines vix reperiũtur.* 13
*Similitudinis & diſſimilitudinis natorum ad parentes cauſæ.* 123
*Opinio Auicennæ, & Galeni.* 124
*Opinio Ariſtotelis.* 125
*Opinio Aliorum.* 126
*Opinio Auctoris.* 127
*Simon magus fauet opinioni Pythagorę.* 18
*Eius præſtigia.* 204
*Silue cur multas nebulas in aerem inducant.* 112
*Situs locorum quomodo afficiat ingenium.* 118
*Sobrietatis vtilitates.* 115
*Sobrietas confert maximè ingenio.* 162
*Societas multùm poteſt ad mores, & ingenium.* 142
*Societas ſimilitudinem gignit.* 142
*Solertia in agibilibus cum Oratoria iungi poteſt.* 98
*Socratis indoles.* 200
*Solum cauſa externi ingenij.* 108
*Soli quatuor differentię.* 111
*Soli ſeu locorum quales ſunt naturę, talia etiam corpora, mores, ingenia.* 112

Sophiſtarum ingenium. 191
Spes conſtituit ingeniorum differentias. 132
Spei varij effectus. 132
Sperare non ignaui eſt Hominis, & deſperare ignauiſſimi. 132
Spes & Induſtria ſe inuicem comitãtur. 132
Spiritus eſt caloris vehiculum. 48
Spiritus animalis non datur. 51
Spiritus vitalis ſolus conceditur in corpore. 52
Spiritus à tribus cauſis mutatur. 63
Spiritus lęduntur ab Auſtris. 63
Spiritus dotes Ingenio vel noxię vel vtiles. 64
Spiritus atri quomodo terreant animam. 64
Spiritus ſicci cur ingenio vtiliores humidis. 65
Spiritus quietiores Iudicio vtiles. 65
Spiritus multus & copioſus debet eſſe in Ingenioſo. 65
Statura parua acuti ingenij eſt.
Studia quibus de cauſis proſint ingenio. 142
Studia multum alterant ingenium. 219
Subſtantiæ gradum addere eſt ſpeciem variare. 28
Supercilia Ingenioſorum. 168
Superſtitioſarum artium ſtudioſi ſunt imprudentes. 91
Superſtitioſi vnde fiant. 90
Superſtitioſorum ſigna. 204
TActus ſentit ſolas qualitatum primarum exuperantias. 24
Tactus organum in quo conſiſtat. 24
Temperamẽtum ingenio accomodatum quod nam ſit. 56
Temperamentum cerebri optimum pro ingenio. 66
Temperamentum eſt præcipuum humani corporis accidens. 82
Temperamentum cordis quale ingenio accomodatum. 54
Temperamentum cordis Ingenioſi vergit ad mediocritatem. 57
Temperamenti mediocritas Ingenio vtiliſſima. 160
Temperatura optima ingenij. 41
Temperies qua iuuetur Iudicium. 58
Supra Temperamentum quæ nam ſint. 83
Taſſi dementia. 67
Temperantis ſigna. 199
Temporum mutatio multùm valet ad hominis mentem excitandam. 109
Temporum mutatio potiſſimùm ob vẽtos contingit. ibid.
Theologorum eloquentia. 103
Theologorum temperamentum. 85
Theologorum ſigna. 182
Timidorum Ingenium. 130
Timidi homines ingenioſiores. 55
Timoris cauſa Cor magnum. 59
Timor eſt ſerui, verecundia liberi. 133
Timentes rerum conſeruationi ſunt habiles. 130
Titiani pictoris indoles. 189
D. Thomas omnium Metaphyſicorum, ac Theologorum exemplar. 184
D. Thomas pingui corporis habitu. 72
Tormenti militaris inuentum vndè. 79
VEnatio & militaris ars conueniunt. 209
Venæ an latę, an paruę ſint ſigna caloris vel frigoris. 59
Venæ in Ingenioſo quales. 60
Vehicula animarum quænam ſint. 15
Venetorum Corpora, mores, & ſitus. 113. 174
Venetorum Senatus primas tenet con-

ſultandi laudes. 90.174.202
Veneti Inſignes Politici. 90.202
Veneti cur polleant iudicio. 187
Veneti Oratores. 96
Veneti Aduocati. 176
Venti ſunt proprij & communes. 109
Venti ſunt quatuor iuxta varia Cæli puncta. 110
Verba qualitatẽ Animi denotãt. 164
Verboſi puſillanimi. 211
Verboſitas eſt ſignum negatiuum indolis militaris. 212
Verecundia quodnam ingeniorum conſtituat. 133
Verecundia laudatur in Adoleſcentibus, vituperatur in ſenibus. 133
Verecundia eſt liberi, ſerui timor. 133
Verecundia militis propria. 212
Veronæ ſitus. 123
Veronenſium mores & Ingenia. 123
Veſtitus negligentia in milite. 210
Veſtitus ingenioſi. 170
Vicentię ſitus. 122
Vicentinorum mores & Ingenia. 123
Vicentini Oratores euadunt inſignes. 214
Vicentini cuiuſdam Horologium formatum in annulo. 78
Vinum magis conducit ingenio quàm cibus. 116
Vinum quale & quantum ingenio conferat. 116
Vinum quale optimum. 116
Vinum an pueris concedendum. 218
Vino indulgentes viri clariſſimi. 117
Vinum excitat Poetas. 67
Vini & Melancoliæ ſimilitudo. 35
Virtuti fauet Fortuna. 194
Virtutes quædam occultæ Virorum illuſtrium. 83
Voluntas an ſit libera. 47
Voluntas quomodo ſit libera. 48
Vox qualis in Ingenioſo. 169
VRBANI VIII. P. M. dotes. 176
Vrbis alicuius ingenia dignoſcendi methodus. 122
Vtilitates ad opinionum examen conſequentes. 14
Zabarella ſui ſæculi lumen. 33
Zenocratis ſententia de Anima ingenioſa. 34
Zefiri natura, & vis in noſtra Corpora. 110.161
Zefirus ab Occidente perflat. 110
Zefirus ventus leniſſimus & temperatus. 110
Zimaræ Conſideratio. 33

FINIS.

# Typographus Lectori.

CVm opus difficili ſatis auctoris charactere, contractiſq; ſæpè ſyllabis ad nos fuerit Vicentia tranſmiſſum, decreueramus ipſum remittere, quò in planius, & facilius exemplum commutaretur. Sed experimento à noſtris miniſtris facto, viſum eſt eis vlterius impreſſione progredi, at illo euentu, vt nonnulla irrepſerint menda, quæ tu benigne Lector ita corriges.

| pag. | Lin. | *Menda.* | *Emenda.* |
|---|---|---|---|
| 14 | 3 | Diſtincta | Diſtinctam |
| ead. | 11 | Etiam | Eſſe |
| ead. | 31 | Sententiarũ | Sententias |
| 15 | 6 | Secundum | Duplex |
| 20 | 3 | Rationem | Ratione |
| 21 | 37 | Ingenioſi | Ingenioſos |
| 22 | 12 | Connatas | Connatæ |
| 25 | 9 | Fuiſſe | Fuiſſet |
| 37 | 27 | Iuncta | Iunctæ |
| 38 | 31 | Adſtantibus | Ab adſtãtibus |
| 48 | 26 | Monetur | Mouetur |
| 49 | 14 | Quique | Quiſque |
| 52 | 7 | Certitudine | Certitudini |
| 49 | 32 | Gignit, ſer-uat ac fouet | Gignat, ſer-uet, ac foueat |
| 59 | 29 | Cernuntus | Cernuntur |
| 60 | 14 | Succolenti | Succulenti |
| 64 | 6 | Vergunt | Vergit |
| 81 | 24 | Induſtres | Induſtrij |
| 91 | 10 | Plegmatis | Phlegmatis |
| 92 | 17 | Induſtres | Induſtrij |
| 93 | 10 | Circumue-niant | Circumue-niat |
| 95 | 32 | Intelligens | Intelligente |
| 97 | 5 | Declamatur | Declamator |
| 99 | 22 | Hallucinan-tur | Hallucina-tur |
| ead. | 4 | Principium eſt | Eſt princi-pium |
| 104 | 38 | Conceptam | Concepta |
| 106 | 9 | Pſyllijs | Pſyllis |
| 107 | 29 | Expoſitio | Expoſito |
| ead. | 38 | Garribunt | Garrient |
| 109 | 24 | Præterea | Prætereo |
| ead. | 36 | Ineptum | Ineptam |
| 110 | 35 | In noſtra cor-pora | In noſtris corporibus |
| 115 | 17 | Sicci | Siccæ |
| 118 | 7 | Orientalis, Occidẽtalis, Auſtralis. Septentrio-nalis. | Orientale, Occidẽtale, Auſtrale, Septẽtrio-nale. |
| 125 | 7 | Vt abaui | Vel abauil |
| 127 | 34 | Hippocrates | Hippocratis |
| 128 | 18 | Preterquam | Preterquã ꝙ |
| 130 | 31 | In quo | In qua |
| 136 | 3 | ò ciues, ò ciues. | ò ciues, ci-ues. |
| 136 | 20 | Deplorat | Explorat |
| 139 | 3 | Proportio-natum | Proportio-natus |
| 141 | 41 | Creant | Coeant |
| 142 | 2 | Apta | Aptam |
| 163 | 12 | Reſſurectos | Reuocatos |
| 167 | 2 | Qualis | Qualem |
| 170 | 41 | Magnam rẽ | Rẽ magnam |
| 175 | 28 | Inſinuauit | Inſinuarit |
| 181 | 30 | Nulla | Vlla |
| 183 | 27 | Facti | Factæ |
| 185 | 19 | Poſternis | Poſtremis |
| 188 | 22 | Nõ audiant | Audiant |
| 191 | 11 | Siſtuntur | Siſtunt |
| 195 | 8 | Phyſici | Phyſicis |
| 207 | 8 | Carceres | Carcerem |
| 195 | 1 | Maior | Maius |
| 212 | 6 | Virium | Viribus |
| 217 | 6 | Vettitur | Vertitur |
| 217 | 31 | Incolumen | Incolumem |
| 218 | 33 | Prodere | Prodire |

VENETIIS, M. DC. XL.

APVD IVNTAS.

SPECIAL 84-B
27439

THE J PAUL GETTY CENTER
LIBRARY